


UNIVERSA
THEOLOGIA
DOGMATICO-SCHOLASTICA

PRO

SCIENTIÆ SACRÆ STUDIOSIS ET AMATORIBUS
CONCINNATA

A

P. Fr. DALMATIO KICK,
ORD. MIN. S. P. FRANCISCI REFORM. LECTORE EMERITO
PROVINCIÆ ANTONIANO - BAVARICÆ EX - MINISTRO
PROVINCIALI.

TOMUS III.

IN DUAS PARTES DIVISUS,

QUARUM PRIOR

PERTRACTAT TRACTATUS

DE

ANGELIS, DE PECCATIS

ET

PRIMO HOMINE, GRATIA ET MERITO.

ALTERA

DE ACTIBUS HUMANIS, CONSCIENTIA ET LEGIBUS.

PERMISSU SUPERIORUM.

AUGUSTÆ VINDEL. ET OENIPONTI,
SUMTIBUS JOSEPHI WOLFF, MDCCLXVI.




Approbatio Cenſoris.

In hoc Tom. III. Clariſſimus Author de Angelis, de Peccatis, primo homine, gratia, & merito, de actibus humanis, conſcientia, & legibus non ſolum Catholicè, ſed & ſolidè diſcurrit pro ſolita methodo, ideoque laudem, & lucem publicam iterum jure meretur. Auguſtæ Vindelicorum die 7. Aprilis 1766.

Henricus Sigismundus de Fercher,
SS. Theologiæ Doctor, Eccleſiæ Cathedralis Auguſtanæ Canonicus Capitularis, Sereniſſimi Elect. Palatini, ac Rev. & Ser. Principis & Epiſc. Auguſtani, Landgravii Haſſiæ, Conſiliarius Eccleſiaſticus, & Vicarius in Spiritualibus Generalis, Decanus Capituli Monheimenſis & Parochus Civitatis Wembdinganæ.

Franciſcus Joſephus de Handl,
SS. Theol. Lic. Rev. & Sereniſſ. Princ. & Epiſc. Auguſtan. Conſil. Eccleſ. Maj. Pœnit. & Libr. Cenſ. nec non Inſign. Eccleſ. Colleg. ad S. Maur. Canon. & Paroch.



Facultas

Reverendissimi Commissarii Generalis totius Cismontanæ Familiæ.

Fr. Joseph Maria de Vedano Ordinis Minorum Lector Jubilatus, & in universa Cismontana Familia tam observantium, quam Reformatorum, & Conceptionistarum Commissarius Generalis, ac in Domino Servus.

Cum juxta Apostolicas, nostrique Ordinis Constitutiones de Mandato nostro idonei Censores opus quoddam a Rev. Patre Fratre Dalmatio Kick, nostræ Reformatæ Provinciæ Bavariæ Lectore Emerito, ac Ex-Provinciali elaboratum, cui titulus est: *Theologia Dogmatico-Scholastica*, Tomus III.: recognoverint, illudque ab ipsis revisum, & approbatum fuerit: Nos præsentium tenore ad salutaris obedientiæ meritum facultatem facimus, quatenus, servatis de reliquo servandis, idipsum Typis mandari possit, & valeat.

Dat. Romæ ex hoc nostro Aracælitano Conventu die 11. Decemb. 1765.

Fr. Joseph Maria de Vedano
Commissarius Generalis,

(L.S.)

De Mandato Reverendissimi in Christo Patris
Fr. Antonius a Fundo
Secretarius Generalis.

Appro-

Approbatio Theologica.

Tomus III. Theologiæ Dògmatico-Scholaſticæ, cujus pars I. Tractat de Angelis, peccatis, gratia, & merito: pars II. vero de actibus humanis, conſcientia, & legibus, ab A. R. P. Dalmatio Kick Ord. FFr. Min. S. P. Franciſci Reformatorum Lectore Emerito & Ex-Provinciali elucubratus, & ex comiſſione A. R. P. Jacobi de Marchia ejusdem Ordinis, ac Provinciæ Antoniano-Bavaricæ Lectoris Generalis & Miniſtri Provincialis actualis, a me ſedulo reviſus, cum a ſuo clariſſimo Authore, tum ab intrinſeca ſua præſtantia, ſoliditate, claritate & utilitate maximam meretur laudem, & commendationem, & quia præterea nihil bonis moribus, aut Catholicæ Fidei contrarium continet, hinc prædictum Tomum tertium quoad utramque partem prælo digniſſimum cenſeo.

Dabam Joſephsburgi die 24. Octobris 1765.

Fr. Deogratias Häring
ejusdem Ordinis Lector Emeritus & Provinciæ Cuſtos.

Approbatio Theologica.

De Mandato A. R. P. Jacobi de Marchia Schöpfer Ord. FFr. Min. S. P. Franc. Reform. Lectoris Generalis, & Provinciæ Antoniano - Bavaricæ Ministri Provincialis Actualis non minori diligentia, quam animi oblectatione Theologiæ Dogmatico - Scholasticæ Tomum III., in cujus parte I. A. R. P. Dalmatius Kick ejusdem Ordinis, & Almæ Provinciæ Lector Emeritus, ac Ex - Provincialis de Angelis, Peccatis, Gratia, & Merito: in Parte II. de Actibus humanis, Conscientia, & Legibus pertractat, perlegi, & contemplatus fui in uno Tractatu Doctorem Seraphicum instar Angeli Superioris inferiores illuminantem, in alio Doctorem Gratiæ acutissimo D. Augustini gladio hæreticos debellantem, in residuis Doctorem subtilem viam regiam, quæ est immaculata, secura, & media inter nocivam laxitatem probabilismi, & excessivum rigorem Tutiorismi, monstrantem. In Tomo hoc Sane nil a Sanctissimis veræ fidei, morúmque regulis alienum reperi, verùm potius Doctrinæ soliditatem, soliditatis profunditatem, profunditatis claritatem admiratus fui. Opus itaque hoc ex sua materia pretiosissimum, ex sua forma ornatissimum, ex suo fructu utilissimum, à sobria crisi eruditissimum & suo Authore in orbe Literario celebratissimo, & luce publica dignissimum censeo.

Datum Monachii in Conventu S. Antonio Thaumaturgo Sacro die 23. *Octobr.* 1765.

Fr. Perpetuus Zangmaister
Provinciæ Diffinitor, Secretarius, Lector Generalis, & SS. Canonum actualis.



SERIES TRACTATUUM,

Dissertationum, Articulorum, Paragraphorum, Assertionum, & aliorum in hoc III. Tomo Theologiæ Universæ Scholastico-Dogmaticæ Comprehensorum.

TRACTATUS PRIMUS.

Asser-





❁ ❖ ❁

TRACTATUS II.

DE PECCATIS.



Asser-



TRA-



TRACTATUS III.

DE DIVERSIS STATIBUS NATURÆ HUMANÆ.

DIS-

R.

TRACTATUS IV.

✿ ✿ ✿

Asser-

❀ ❀ ❀



TOMI III.

UNIVERSÆ THEOLOGIÆ DOGMATICO-SCHOLASTICÆ, SEU LIBRI II. SENTENTIARUM.

PARS II.

DE ACTIBUS HUMANIS, CONSCIENTIA ET LEGIBUS,

Asser-

✿ ✿ ✿

§. II.



TRACTATUS II.

DE CONSCIENTIA.

TRACTATUS III.

DE LEGE, SEU REGULA EXTERNA ACTUUM HUMANORUM.



§. I.

PRO-



PROLOQUIUM.

Postquam libro I. Sententiarum explanata sunt DEI Unius & Trini Arcana, ac Virtutum Theologicarum, quibus in Deum præcipue tendimus, expensa est trias, nunc ad principalia opera Omnipotentiæ divinæ, creaturas nempe nobilissimas gressum promovemus, Angelos, ac Primum Hominem, quæ circa Eos sunt, consideraturi. Neque hic Tractatus suis caret difficultatibus. Et quidem loquendo de primo Tractatu, de Angelis, de illo sic loqui liceat cum D. Dionysio de Cœlesti Hierarchia: *Nos enim Cœlestium mentium Mysteria, Sanctissimasque Earum perfectiones intelligere non possumus, nisi forte ea contendet aliquis nos intelligere, quæ nos per eas divinitas Ipsa docuit.* Ut tamen eam de his altissimis Cælestis Curiæ Ministris notitiam, quam humana haurire concedit imbecillitas obtineamus, universum tractatum in tres Dissertationes dividam. Quarum *Prima* Essentiam, Existentiam, ac Distinctionem, *Altera* Intellectum & voluntatem, *Tertia* Locum, Mensuram, Durationem, Missionem, Custodiam &c. &c. Angelorum declarabit, assistentibus, ut pie rogo, & spero, Angelorum Rege Christo JESU, & Regina Matre Virginea MARIA, Ipsisque, quorum Naturam & Qualitates examinamus, faventibus Angelis. Sit itaque



Tractatus I.

Dissertatio I.

DE NATURA, ET EXISTENTIA ANGELORUM.

1 Hoc Nomen *Angelus*, si Etymologia ejus consideretur, officium, non naturam Geniorum illorum, de quibus modo sermo est, indigitat; significat enim Nuntium. Attamen jam vox hæc per Antonomasiam Naturas Spirituales completas, & frequentius quidem Genios Cœlestes, non raro tamen etiam dæmones infernales indicat. Hoc Tractatu, & maxime hac Quæstione prima agemus tam de Angelis bonis, quam malis, quia in existentia, Essentia &c. nulla est differentia inter Eos. Potest autem Angelus describi, quod sit *Substantia creata Spiritualis, ac intellectualis completa*; seu est substantia aliqua a Deo creata, Intellectu & per consequens etiam voluntate prædita, expers omnis Corporis, etiam tenuissimi, ac talis, quæ non ordinatur ad constituendum aliquod compositum cum alia comparte, veluti anima rationalis ordinatur ad Corpus tanquam compartem, & cum hoc Constituit hominem. Unde hac ipsa de causa Angelus differt specie ab anima rationali, & multo excellentior est, quam anima rationalis: quia Angelus est Spiritus Completus & purus, ac proinde Deo similior, quam anima, quæ est incompleta, & pars &c.

Articulus I.

An, & quomodo possit probari existentia Angelorum; ubi etiam aliqua quæsita de productione Angelorum Solvuntur.

2 Certum, ac de fide est, contra Atheos, Saducæos, ac quosdam antiquos Philosophos, quod existant, consequenter etiam possibiles sint Angeli. Sic enim Math. 18. Dicitur: *Angeli eorum in cœlis*

lis semper vident faciem Patris. Innumeris etiam aliis locis Sacræ Scripturæ fit mentio Angelorum. Concilium Lateran. quoque *c. firmiter. de Summa Trinitate.* Sic habet : *Sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam , spiritualem, & corporalem , Angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam, quasi Communem ex Spiritu & corpore constitutam.* Adde PP. Testimonia quasi infinita , ubique obvia. Quæstio solum remanet

§. I.

An Angelorum Existentia possit ratione pure naturali demonstrari?

Assero, & R. negative. Communis Scotistarum. Anton. Mayr tract. 2. n. 5. contra Vivam & alios.

Prob. Si demonstrarentur Angeli, tunc vel quasi a priori, vel a posteriori : nullo ex his modis demonstrantur: ergo. M. est clara : quia alius modus demonstrationis non potest assignari. m. prob. Si demonstraretur existentia Angelorum quasi a priori, tunc per intrinsecum aliquod prædicatum Eorum , quod necessario & essentialiter exigeret existentiam Angelorum ; atqui Angelus non habet tale prædicatum: Angelus enim tanquam ens mere contingens, non exigit necessario existere , sed potest existere, vel non existere.

Neque demonstratur a priori per causam extrinsecam. Talis enim causa deberet necessario connecti cum Angelorum existentia ; atqui causa productiva Angelorum non necessario connectitur cum existentia Angelorum : ergo. M. Constat ; si enim causa productiva non necessario connectitur cum suo effectu , tunc ex tali causa & ejus potentia productiva non infertur certo & determinate existentia effectus : sic quia nostra voluntas non est causa necessaria, post se necessario trahens v. g. actum amoris Dei, ideo ex existentia nostræ voluntatis non possum certo & determinate inferre existentiam actus amoris Dei ; m. iterum patet : Causa productiva Angelorum est solus Deus, qui ad extra agit liberrime , & Creaturas omnes ita producit , ut potuisset earum productionem omittere.

Neque demonstratur a posteriori. Quia non dantur effectus Angelis evidenter proprii, seu tales, qui non possent saltem satis

probabiliter aliis Causis adscribi, insistendo solum rationi naturali. Sic effectus mirabiles superantes humanam potentiam, si sunt boni, & honesti v. g. motus Cœlorum, gubernatio entium materialium in bonum hominis possunt Deo adscribi, vel saltem animabus separatis bonis. Si sunt effectus mali, vel inordinati, uti in energumenis, & responsa Idolorum &c. possunt adscribi animabus separatis malis, saltem pluribus mutuo sese adjuvantibus; certum enim videtur, quod animæ separatæ magis suam virtutem naturalem exercere possint, quam si sint corpori unitæ, a quo sæpe impediuntur in suis actionibus.

Nec ex perfectione universi evidenter infertur existentia Angelorum; quia etiam sine Angelis, si Eos Deus noluisset creare, mundus adhuc fuisset sufficienter perfectus, & juxta normam voluntatis divinæ *formaliter* perfectissimus: *materialiter* autem & entitative non debet esse perfectissimus, cum neque de facto talis sit.

3 Ob. 1. Philosophi gentiles, ut Plato, Aristoteles, agnoverunt existentiam Angelorum, quos Intelligentias, vel dæmones, aut Genios &c. vocabant: ergo existentia Angelorum naturali ratione demonstrari potest; etenim Philosophi non illustrati lumine fidei, habuerunt tantum notitiam mere naturalem. R. n. c. Gentiles Philosophi de existentia Angelorum tantum habuerunt probabiles conjecturas, non autem veram scientiam, quæ per demonstrationem gignitur. Vel notitiam suam, qualiscunque illa fuit de his Spiritibus, hauserunt ex S. Scripturæ libris, qui antiquiores sunt omnibus Scriptis Philosophorum & Poetarum, teste Josepho, & Augustino, & aliis PP. Nam ex iisdem Sacræ Scripturæ libris Philosophi & Poetæ Ethnici multa alia transtulerunt, prout iterum testes sunt Augustin. Justin. Tertull. & alii.

Ob. 2. Mundus sine Angelis esset imperfectus: ergo evidenter debent existere Angeli. c. prob. mundus imperfectus dedecet Deum Creatorem; ergo ne sit imperfectus, evidenter debent existere Angeli in mundo.

R. D. a. Esset imperfectus negative, seu materialiter minus perfectus c. a. esset imperfectus positive n. a. etiam sine Unione hypostatica mundus foret minus perfectus materialiter, & tamen non sequitur, quod Unio hypostatica evidenter existat, existente mundo.

Dices:

Dices: Effectus est positive imperfectus nisi assimiletur suæ causæ, in quantum potest: sed Mundus sine Angelis non assimilatur suæ causæ, scilicet Deo, in quantum potest: ergo. R. N. M. Scriptura, harmonia Musicæ &c. quamvis effectus sint hominis, non debent habere maximam similitudinem cum homine, sed tantum cum Idea, & regula scribendi &c. quæ est in mente hominis. Quare ille effectus causæ naturalis & liberæ solum est imperfectus, qui non assimilatur Ideæ, quam causa de tali effectu concepit.

Ob. 3. Deus semper facit, quod est melius; sed melius est, esse Angelos, quam non esse: ergo Deus fecit Angelos. M. est D. August. de libero arbitrio. L. 3. c. 5. ubi dicit: *quidquid enim tibi vera ratione occurrerit, scias fecisse Deum.*

R. D. M. Deus semper facit, quod est melius materialiter, & entitative n. M. quod est melius formaliter, seu magis conforme in his circumstantiis voluntati & beneplacito Divino c. M. Neque Adversarii admittere possunt Deum esse necessitatum semper ad producendum optimum entitative & materialiter; alias sicuti potuit, ita debuisset Deus necessario producere Mundum meliorem, nobilioribus Creaturis instructum, quam iste est; item debuisset Creare adhuc perfectiores Angelos &c. Deus igitur solum necessitatur ad optimum *formaliter*, quod plerumque non in entitate rei physica, quæ producitur, consistit, sed in conformitate cum libera voluntate Dei; nam voluntas Dei est regula omnis honestatis & perfectionis.

Ob. 4. Omne agens intendit producere effectum sibi simillimum, quantum fieri potest; ergo etiam Deus; ergo Deus intendit producere Angelos, qui Deo inter Creaturas sunt maxime, quantum fieri potest, similes. R. 1. retor. arg. Ergo Deus intendit producere adhuc nobiliores Angelos, qui adhuc sunt magis similes Deo, quam isti, qui nunc dantur. R. 2. D. a. Omne agens necessarium, & producens in similitudinem naturæ intendit &c. c. a. etiam agens liberum, n. a.

Ob. 5. Debet evidenter dari intellectus Creatus, qui possit cognitione comprehensiva cognoscere Mundum, sed talis intellectus est solus Angelicus. M. prob. Mundus habet potentiam passivam, ut possit ab intellectu creato comprehendi: ergo debet ei respondere potentia activa comprehendens; alias frustra esset ejusmodi comprehensibilitas passiva, sicut frustra esset color, si non daretur oculus, qui eum posset videre.

R. 1. N. M. ad ejus prob. n. c. nam non omni potentiæ passivæ debet respondere potentia activa actu existens, sed sufficit, si ea sit possibilis. Sic nunc quodlibet ens Creatum habet potentiam passivam, & Capacitatem recipiendi varias perfectiones, quas nunquam recipit; ita noster intellectus posset plurimas cognitiones bonas habere, & habitus bonos acquirere, quos nunquam obtinet &c.

Præterea etsi Mundus non existentibus Angelis, hoc fine careret per accidens, quod non posset comprehendi, tamen haberet adhuc alios fines, ob quos utiliter existeret; ad paritatem de colore dico: vel color nullum alium finem habet, quam hunc, quod oculo corporeo possit videri? & tunc nulla est paritas. Vel habet alium finem? tunc etiam non existente oculo, posset naturaliter existere.

R. 2. N. m. Cur enim Anima separata suo intellectu non possit etiam comprehendere Creaturas, præsertim si accedant habitus aliqui a Deo infusi, vel Deus specialiter adjuvet intellectum animæ separatæ?

Ob. 6. Si Angeli non existerent, Deus non haberet suam gloriam in mundo, quam tamen in omnibus operibus intendit: ergo. R. D. a. non haberet tantam gloriam, quantam habet existentibus Angelis c. a. nullam haberet n. a. Etiam non existentibus Angelis fuissent homines, qui Ipsum glorificassent; neque Deus necessario intendit omnem, & maximam gloriam, quam a Creaturis potest habere.

§. II.

Solvuntur aliqua quæsita de productione Angelorum.

4 Quæres 1. Ob quem finem Deus Creaverit Angelos? R. Ob hunc triplicem. 1. Ut Laudes divinas Concinant: unde S. Bernardus Eos appellat *Cœli Cantores.* 2. Ut Mundum Corporeum administrent. Deus enim regere solet inferiora per Superiora, & Corporea per Spiritualia. Hinc Angeli dici solent Mundi rectores, Providentiæ Divinæ Ministri; ac portare orbem dicuntur; Juxta illud Job. c. 9. *Deus, Cujus iræ nemo resistere potest, & sub quo curvantur, qui portant orbem.* 3. Ut succurrant præcipue hominibus, eosdem custodiant, & gubernent secundum illud ad Hebræos 1. *Sunt Administratorii Spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.*

Quæ-

Quæres 2. Quando Angeli ſint conditi? R. 1. Angeli non ſunt creati ab æterno, eſto ab æterno produci potuiſſent. Ratio eſt: quia in moderna Providentia nulla res eſt ab æterno producta, ut habet Concilium Lateranenſe cit. n. 2. Quod dicit: *ab initio temporis*: conſequenter non ab æterno eſſe conditam Creaturam tam Spiritualem, quam corpoream. 5

R. 2. Angeli non ſunt creati ante mundum corporeum. Ita omnes pene Scholaſtici contra Originem & aliquos Græcos PP. exiſtimantes, quod Angeli ſint creati ante mundum corporeum. P. 1. Exodi 20. dicitur: *Sex diebus fecit Dominus cœlum & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt*, adeoque & Angelos, qui Pſal. 103. annumerantur operibus ſex dierum; & Pſal. 148. accenſentur iis, quæ ſunt in cœlis. 2. S. Epiphanius hæreſi 65. ait: *eſſe intranſmutabile verum, quod ante cœlum & terram nihil erat in creatis.* Accedit etiam Concil. Lateran. allegatum n. 2. quod aſſerit ab initio temporis, ubi condebatur mundus, conſequenter non antea, eſſe conditam naturam Angelicam ſimul cum corporea.

R. 3. Angeli ſunt ſimul creati cum cœlo & terra, nec antea, nec poſt. Ita habet communis, & patet ex Concil. Lateran. ſupra laudato, quod teſte Anton. Mayr probabilius loquitur de ſimultate vera Phyſica, & non ſolum morali. Id etiam indicare videtur Scriptura *Job.* 38. *v.* 7. Ubi Deus alloquens Jobum ait: *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ, cum me laudarent aſtra matutina, & jubilarent omnes Filii Dei?* id eſt, Angeli, ut vertunt 70. Interpretes. Qui textus ſupponit Angelos ſimul cum terra fuiſſe productos, & ſtatim in laudes Dei erupiſſe.

Quamvis autem noſtra ſententia videatur eſſe ſatis tradita a Concilio Lateranenſi, tamen non eſt de fide. Ratio eſt; quia Concilium Lateranenſe non videtur aliquid definire voluiſſe contra graviſſimos PP. Nazianzenum, Damaſcenum & DD. Græcos, qui concorditer contrarium tenent.

Quæres 3. Ubi Angeli ſint conditi? R. Probabiliter ſunt conditi in cœlo Empyreo. Herincx cum aliis contra Fraſſen & alios putantes, quod Angeli ſint conditi in cœlo ſydereo, quod eſt proximum Empyreo; Ratio eſt, quia ita ſentit communior Th. Th. cum Magiſt. D. Thoma. D. Bonavent. citati apud Herincx. 2. Apud Ezechielem 28. dicitur: *Lucifer in deliciis Paradiſi Dei fuiſti.* Paradiſus autem Dei eſt cœlum Empyreum. 3. Noſtram ſententiam tenent D. Gregorius, ac Venerab. Beda apud Herincx laudati. 6

Articulus II.

De Natura Angelorum.

§. I.

An Angeli habeant Corpus, vel sint puri Spiritus?

7 Assero: Angeli sunt meri Spiritus, consequenter neque totaliter, neque ex parte sunt corporei. Communis Th. Th.

P. 1. Ex S. Scriptura, quæ Angelos bonos & malos appellat Spiritus. Sic Psal. 103. *Qui facis Angelos tuos Spiritus.* Et ad Heb. 1. *Omnes sunt administratorii Spiritus in ministerium missi &c.* Et de dæmonibus dicitur apud Matth. 8. *Ejiciebat Spiritus.* Et Luc. 10. *Spiritus subjicientur vobis*: atqui vox *Spiritus* accepta in significatione propria (in qua verba Scripturæ semper accipi debent, nisi aliquid obstet, sicuti hic nihil obstat) vox, inquam *Spiritus* in significatione sua propria indicat aliquid incorporeum, etiam juxta phrasin Scripturæ, quæ hoc nomen ideo tribuit Deo, & animæ rationali, quia sunt entia corporis expertia; sic Joan. 4. dicitur: *Spiritus est Deus.* Et Joan. 19. *inclinato capite emisit Spiritum*, seu animam: ergo.

P. 2. Ex Concil. Lateran. superius citato n. 2. quod Angelicam naturam dicit substantiam Spiritualem, eamque opponit substantiæ corporali; atque teste Herincx nil clarius posset pro nostra sententia dici, quam ille textus Concil. Laudati. Imo Smising in M. S. de Angelis fuse contendit, conclusionem nostram esse citato loco a Concil. Lateranensi definitam. Verum, quamvis plerique existiment, verba illa Concilii non esse definitiva, tamen magnam certitudinem faciunt, maxime, quia adeo assertive ponuntur in professione fidei, in qua omnia antecedentia & subsequentia sunt de fide, & quia verba ita sunt clara, ut Concilium clarioribus uti non potuisset, si expresse definire voluisset. Ita recte discurrit Herincx de Angelis n 13.

P. 3. Ex D. Dionysio, qui de divinis Nominib. c. 4. sub initium loquens de Angelis dicit: *Mente præditæ sunt Essentiæ, vitamque habent sempiternam ab omni interitu, morte, materia, ortuque solutæ.* Nostram conclusionem etiam tenent Nazianzenus, Chrysostomus, Cyrillus, & plurimi alii PP. allegati apud Suarez, Vasquez, Frassen, & alios.

P. 4.

P. 4. Angelus est substantia perfectior anima rationali, quæ est mere Spiritualis: ergo a fortiori est Angelus mere Spiritualis.

Neque ulla ratio est assignandi Angelis corpora etiam subtilissima.

Ob. 1. Plures ex SS. PP. tribuunt Angelis corpora: ergo etiam nos debemus eis tribuere corpora. R. 1. Opponendo alios SS. PP. & Concilium Lateran. a quibus Angelis negantur corpora. 8

R. 2. D. a. plures ex SS. PP. antiquioribus tribuerunt Angelis corpora, quia tunc res ista erat adhuc satis obscura tr. a. tribuerint adhuc ipsis corpora, si modo viverent & scriberent, ubi nostra sententia est magis declarata, & clare ex Concilio Lateranensi deducitur n. a.

R. 3. SS. PP. nobis oppositi possunt satis commode explicari. Vel enim non loquuntur ex propria sententia, sed aliorum referunt; ita D. Bonavent. 2. *d.* 8. *p.* 1. *art.* 1. *q.* 1. *ad hoc.* Vel nihil absolute asserunt, ut D. August. Lib. 21. de Civit. c. 10. & Epist. 250. sub finem. Vel sumunt *corpus* improprie pro *substantia vera*: quo pacto D. Augustinus Epist. 28. Animam humanam vocat corpus, id est substantiam. Et S. Paulus ad Coloss. 2. dicit: *In Christo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, id est, *vere*, ac substantialiter. Vel loquuntur comparative; quia id omne, etiam spirituale, quod cum Deo confertur, *quasi crassum & materiale reperitur*; ut ait D. Damascenus L. 2. de fide.

Dato etiam, quod antiqui PP. Philosophia Platonica imbuti corpora tribuerint Angelis, nunc tamen communis DD. & Concilium Lateran. aliud nos docent.

Dices: D. Gregor. Homil. 10. vocat Angelum Animal rationale, sed tale non esset, nisi foret corporeus: ergo. R. 1. Opponendo alium textum D. Gregorii *l.* 4. *Dialogorum c.* 29. Ubi Dæmones dicit incorporeos. R. 2. S. Doctorem per to *Animal* nil aliud intelligere, quam *vivens*.

Ob. 2. Gen. 6. v. 4. dicitur: quod Filii Dei commixti sint filiabus hominum, & genuerint gigantes: ubi Septuaginta Interpretes loco filiorum Dei legunt Angeli Dei: ergo Angeli fuere corporei, alias non potuissent corporaliter commisceri.

R. S. August. apud Herincx, Ambrosius & Athanasius apud Delgadillo, & multi alii, per filios Dei intelligunt filios Enos, apud quos cultus viguit veri Dei: per filias hominum intelligunt filias Cain more Parentum rebus terrenis immersas. Neque obstat, quod septua-

ptuaginta loco filii Dei ponant *Angeli Dei*, nam homines pii etiam Angeli dicuntur; sic Matth. 11. & Juxta Malach. 3. Joannes vocatur Angelus. Deinde boni Angeli hoc non fecerant, mali vero non dicuntur filii Dei. Adde, quamvis Angeli essent corporei, tamen ob diversissimam naturam Eos fore improportionatos ad generationem humanam: quodsi aliquando opera dæmonis incubi natus esset homo, vel aliud animal, tunc id contigisset mediante semine aliunde translato. De quo Delrius. Opera autem dæmonis succubi non potest nasci Animal.

Ob. 3. Dæmones delectantur odoribus, ligantur &c. Ergo debent habere corpora.

R. Dæmones delectantur odoribus, & nidoribus sacrificiorum, non quatenus sunt res sensibiles afficientes corpus, sed quatenus sunt signum adorationis exhibitæ dæmonibus. 2. Ligantur non vinculis corporeis, sed moralibus, scilicet imperio Dei & Angelorum Sanctorum. 3. Sonus Cytharæ fugat Dæmonem eatenus, quatenus dissipat melancholiam tanquam optimam dispositionem ad recipiendas tentationes Dæmonis. 4. Dæmon non vere timet gladios, virgas, sed solum simulat timorem, ut dementet magos. 5. Angeli non vere physice comedunt. Sic S. Raphael ad Tobiam c. 12. v. 19. *Videbar quidem vobis manducare & bibere, sed ego cibo invisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor.* 6. Apparent Angeli sæpe vere, sed non in corpore proprio, bene in assumpto, & ex aere, vel aliis corpusculis formato; de quo alibi. 7. Angeli dicuntur *Ignis urens* ob ardentem charitatem, ut vult D. August. & ob vim purgandi animas, ut habet S. Nazianzenus. Ac ob vim consumendi Dei inimicos, ut censent alii.

Ob. 4. In Synodo Generali 7. Actione 5. approbatur Scriptum Joannis Episcopi Thessalonicensis, in quo contendebat Angelos posse pingi, eoquod habeant corpus flammeum, vel aëreum, & quia ut homines apparuerunt: ergo Angeli habent corpus ejusmodi.

R. N. c. In laudata Synodo fuit approbata sola conclusio, & assertio, quod liceat Angelos pingere, non vero ejus ratio prima. Etenim in Conciliis solæ definitiones & Conclusiones, non vero rationes additæ approbari solent; ut alibi jam sæpius monui. Deinde Concilium tantum fuit congregatum contra Iconoclastas, egitque de cultu imaginum, non vero de hac quæstione, an Angeli essent spirituales vel corporei, consequenter circa hoc punctum nihil defini-

re

re voluit. Quod autem illam rationem, quod Angeli habeant corpus, Patres Concilii positive non rejecerint, ideo factum est, quia tunc temporis ea fuit probabilis.

§. II.

An Angeli sint Physice compositi ex aliqua materia & forma?

Assero: Angeli sunt Physice simplices, seu non sunt compositi ex materia, & forma substantiali. Communior contra Aureolum, Richardum, & non nullos alios, in quorum sententiam etiam propendet D. Bonaventura 2. *d.* 3. *p.* 1. *a.* 1. *q.* 1. *in corpore.* Aliqui vero ex his nostris AAriis tribuunt Angelis materiam supernaturalem & diversæ rationis a materia prima rerum corporearum; alii vero adscribunt Illis materiam ejusdem rationis cum nostra materia prima. Contra quos omnes 9

P. Conclusio 1. D. Dionysius de divinis Nominibus c. 7. & alibi ait: *Angelos esse materiæ expertes.* Et D. Damascenus. *l.* 2. *de fide c.* 3. Definit Angelum *substantiam intelligentem materiæ & corporis expertem.*

P. 2. Neque ratio, neque Authoritas sufficiens habetur pro existentia ejusmodi materiæ in Angelis: ergo ea gratis adstruitur.

P. 3. Talis materia ad nihil foret utilis: ergo ea non datur. Consequentia patet, quia sine utilitate, & prorsus gratis ac frustra entia vel entitates non sunt multiplicandæ. a. p. Nam in Angelis non datur aliqua transmutatio unius entis in aliud aliquo communi remanente, sicut in rebus corporeis: ergo talis materia esset inutilis.

Neque nostræ Conclusioni obstat Scotus: quamvis enim in Tractatu de rerum principio ex materia prima & forma dicat componi Angelos & animas rationales; tamen in libris sententiarum (qui a Scotistis maxime sunt admittendi) nostram sententiam ex propria mente tenet. Sic 2. *d.* 1. *q.* 4. *ſſ. secundum primam* ℣. *& ad Minorem dico. n.* 30. negat, quod in Angelis sit *aliquid potentiale*, quod se habeat per modum materiæ primæ physice componentis; ut legenti textum liquet. Iterum 3. *d.* 22. *q. un.* §. *quantum ergo n.* 13. ait: *aliqua entia habent causalitatem intrinsecam per causas inexistentes, materiam scilicet & formam, ut entia materialia composita, & aliqua entia simplicem entitatem non causatam causalitate intrinseca ex diversis causis materiali & formali realiter distinctis, ut Angeli secundum communiorem doctrinam.*

 Ob.

10 Ob. 1. Angelus non eſt purus actus: ergo eſt compoſitus ex materia & forma. R. n. c. Angelus non eſt purus actus quia eſt metaphyſice compoſitus ex genere & differentia, & quia in ſe ſuſcipit accidentia realiter diſtincta, cum quibus facit compoſitionem accidentalem.

Ob. 2. Angelus conſtat genere & differentia: ergo etiam componitur phyſice ex materia & forma. c. prob. genus ſumitur a materia, & differentia a forma: ergo ſi Angelus conſtat genere & differentia, debet etiam conſtare materia & forma. R. N. c. prob. a. diſt. genus ſumitur a materia ſimilitudinarie, quatenus genus eſt commune multis rebus metaphyſice, ſicut & materia prima ſaltem ſucceſſive eſt communis & inexiſtit multis & diverſis rebus corporeis c. a. ſecus n. a.

Ob 3. In rerum natura datur aliqua forma ſpiritualis, ſcilicet anima rationalis: ergo etiam debet dari aliqua materia ſpiritualis. R. N. c. datur aliqua forma ſpiritualis, quia habet finem & utilitatem; aſt materia ſpiritualis in Angelis non haberet finem, aut utilitatem aliquam.

Ob. 4. Ex una parte ſubſtantiæ ſpirituales compoſitæ ex materia & forma non implicant, ex altera parte eſſent perfectiones univerſi: ergo dantur.

R. 1. Retorq. argum. ex una parte ſubſtantiæ ſpirituales phyſice ſimplices non implicant, ex altera parte ſunt magna perfectio univerſi, imo major quam ſubſtantiæ compoſitæ, quia ſubſtantia ſimplex magis aſſimilatur perfectioni divinæ, ſcilicet ſimplicitati: ergo etiam ſubſtantiæ ſpirituales phyſice ſimplices dantur.

R. 2. Transmiſſo primo membro a. nam nolo penitus negare poſſibilitatem Angelorum compoſitorum ex materia & forma, quam tamen poſſibilitatem aliqui in dubium vocant. Diſtinguo alterum membrum antec. Ita tamen, ut & ſubſtantia creata ſpiritualis ſimplex ſit magna, vel omnino major perfectio univerſi c. a. ſecus n. a.

Ob. 5. Varios Textus SS. PP. quibus talem compoſitionem ex materia & forma etiam in ſubſtantiis creatis ſpiritualibus, Angelo ſcilicet & anima rationali videntur adſtruere. R. 1. Opponendo alios SS. PP. in noſtra probatione adductos. R. 2. Iſtos PP. dubitative ibi loqui, & propendere ibi in ſententiam Platonicam, quæ affirmat Angelos habere corpora, conſequenter & materiam, ex qua corpora conſtant: verum ſicut non admittimus, quod Angeli ſint corporei. Sic neque poſſumus aſſerere, quod conſtent materia. Imo

SS.

SS. PP. Isti exponi possunt de compositione accidentali ex substantia Angelica, & accidentibus in ea subjectatis, vel de compositione metaphysica ex genere & differentia &c.

§. III.

An Angeli sint immortales?

Assero 1. Angeli sunt immortales, & in æternum exstituri. Est 11
de fide, & colligitur ex omnibus iis Scripturæ textibus, quibus constat Angelos bonos esse perseveraturos in æterna gloria, & malos in pœna æterna; ut legitur Math. 25. Luc. 20. & in Epist. Judæ Apostoli v. 6. ubi dicitur: Angelos qui non servaverunt suum principatum, esse vinculis æternis sub caligine reservatos. Accedit D. Dionysius c. 4. de divinis Nominibus, ubi ait: Angelos *habere vitam sempiternam, & quæ imminui non potest, ab omni interitu & morte solutam.* Idem docent alii SS. PP.

Assero 2. Angeli ex natura sua intrinseca sunt immortales & 12
incorruptibiles ac non annihilabiles de potentia ordinaria, seu naturaliter. Frassen, Herincx cum aliis &c. Prob. 1. Illud omne non potest naturaliter destrui, cujus destructionem nec natura intrinseca, nec exigentia alicujus causæ secundæ petit; atqui natura propria Angeli non exigit ejus destructionem, cum Angelus tanquam Ens physice simplex non habeat in se principium motus destructivi, sicut corpora habent materiam primam. Neque aliqua causa extrinseca exigit destructionem Angeli, cum nulla possit qualitates corruptivas, vel corruptionem exigentes in Angelum inducere; quænam enim essent illæ qualitates corruptivæ Angeli? ergo Angelus naturaliter petit conservari, & si destrueretur, tunc id fieret miraculose contra exigentiam naturæ.

P. 2. Concilium Lateranense sub Leone X. definit animam rationalem esse immortalem: ergo idem dicendum est de Angelo.

P. 3. S. Cyrillus L. 20. Thesauri. Angelum vocat eo modo immortalem, sicut ignis habet vim urendi; atqui ignis naturaliter habet vim urendi; ergo & Angelus naturaliter est immortalis.

Ob. 1. Angelus potest a Deo destrui, & annihilari: ergo non 13
est ex natura sua immortalis. R. 1. Retorq. argum. ignis debite approximatus potest a Deo impediri ne urat; iterum lapis, ne deor-

sum descendat: ergo ignis non urit naturaliter, nec lapis naturaliter petit deorsum descendere.

R. 2. D. a. De potentia extraordinaria c. a. de potentia ordinaria, ac juxta exigentiam naturæ n. a. Ita etiam explicari debet Scotus 1. *d.* 8. *q.* 5. *n.* 22. Ibi enim tantum vult, quod Angelus absolute non sit ens necessarium, & consequenter saltem per absolutam Dei potentiam, & extraordinariam destrui possit: hinc injuriam videntur facere Doctori, illi, qui ajunt, Scotum negasse, quod Angelus sit ex natura sua immortalis.

Ob. 2. S. Ambrosius L. 3. de fide c. 2. dicit: Angelum non esse immortalem naturaliter, quia Ejus immortalitas est in voluntate creatoris, & S. Damasc. L. 2. c. 3. *Immortalis est Angelus non natura, sed gratia:* ergo.

R. SS. PP. negant Angelum esse ex natura sua immortalem, quatenus *To ex natura* sua idem dicit, ac *a se*, & independenter a causa extrinseca nempe Deo producente, & conservante, & eatenus affirmant Angelos esse immortales *per gratiam*, quatenus libere & gratuito conservantur a Deo, qui secundum potentiam suam absolutam eos posset annihilare.

Articulus III.

De distinctione tam specifica, ac Numerica Angelorum.

§. I.

An aliqui Angeli distinguantur specie?

14 Assero: probabiliter datur aliqua distinctio specifica inter Angelos, vel dantur Angeli aliqui specie distincti. Ita contra Mastrium, Delgadillo, & alios, sentiunt Viva, Herincx, Frassen & alii; ex quibus Viva & Herincx indicant saltem illos distingui specie, qui sunt diversæ Hierarchiæ, & diversi chori; hancque sententiam videtur supponere Scotus, saltem probabilem 2. d. 3. q. 7. n. 4. §. qui dicunt ad quæstiones, ℣. & pessumdati. Ubi habet: quod non ceciderit aliqua tota species Angelica, quamvis forte de qualibet specie ceciderit aliquis.

P. 1. Authoritate. S. Dionysius c. 5. de cœlesti Hierarchia ait: *enunciant SS. voluminum traditiones, superiores substantias esse graduum inter*

ter se celsitudine differentes: ergo differunt specie; nam plura individua solo numero diversa non differunt graduum celsitudine. 2. SS. Isidorus, & Nazianzenus ora. 2. de Theolog. admittunt ordinem inæqualitatis inter Angelos, quem Nazianzenus vocat *naturæ proportionem*: ergo secundum naturam & essentiam Angeli sunt inæquales, quod iterum sine distinctione specifica fieri non potest. 3 S. Chrysostomus *homil. 2. de incomprehensibili Dei natura*, affirmat: *esse genera cælestia innumerabilia*: ergo.

Confirm. Theologi passim cum D. Basilio L. de Spiritu S. ad Amphilochium. c. 16. S. Gregor. homil. 34. in Evang. & alibi. S. Damasceno l. 2. de fide c. 3. docent: Angelos accepisse gratiam proportionate ad sua naturalia, quatenus videlicet secundum proportionem & diversitatem naturarum Angelicarum (non vero secundum meritum naturarum, quod Pelagianum foret) Deus varie, & differenter Angelis gratias distribuerit: ergo supponunt SS. PP. & Theologi passim, quod in Angelis sit diversitas & inæqualitas naturarum.

P. 2. Ratione: Id probabiliter asserendum est, Deum fecisse, quod ex una parte cedit in Ipsius divinæ potentiæ & sapientiæ commendationem, ac universi decorem, & quod ex altera parte non repugnat, atqui plures Angeli specie diversi ex una parte cedunt in divinæ potentiæ & sapientiæ commendationem, & totius universi decorem, *tum*, quia ostendunt, quod divina potentia, & sapientia non sit alligata uni speciei Angelorum, sed se possit extendere ad plures producendas. *Tum*, quia ad universi decorem, & Divinæ Potentiæ ac Sapientiæ commendationem est, quod plures specie distinctæ substantiæ corporeæ viventes sint productæ: ergo etiam ad commendationem ejusdem Divinæ Sapientiæ & Potentiæ, nec non ad decorem totius universi facit, quod plures specie distinctæ substantiæ spirituales completæ productæ sint. Et plane cum Deus adeo liberalis fuerit in multiplicandis speciebus entitatum corporearum, cur non etiam aliquas saltem specie distinctas substantias spirituales completas produxerit?

Neque etiam repugnat, plures specie distinctos Angelos dari & produci: talis enim repugnantia non est ex parte Dei, qui est omnipotens, & omne possibile producere potest. Neque est ex parte Naturæ Angelicæ: nam facile potest intelligi, quomodo plures species Angelicæ distinctæ sub uno genere possint contineri. Sic possunt convenire in ratione entis intellectivi completi tanquam in ratione

tione generica, & possunt differre specie, quatenus unus Angelus magis perfectiusque participat rationem intellectivi, quam alter; potest autem magis & perfectius participare eatenus, quatenus habet talem naturam & intellectivitatem, quæ ex se & intrinsece exigit plura objecta simul, eaque perfectius cognoscere quam altera.

Confirm. Infinita intellectivitas divina tantæ est perfectionis, ut in infinitum diversis, ac variis etiam specie distinctis modis a creatura participari possit: ergo.

Dixi in conclusione: *probabiliter*, quia in hac materia non potest haberi certitudo; & rationes, quas pro nostra sententia adducimus, sunt mere congruentiales & afferunt solam verisimilitudinem; ut proinde recte dixerit D. Damascenus L. 2. de fide c. 3. æqualésne inter se, an dispares sint (Angeli) haud quaquam compertum habemus; solus ille scit, qui illos creavit. Similia etiam habent, S. Augustinus ac Bernardus apud Herincx.

Dixi 2. *Aliqui Angeli*: nam non omnes distinguuntur specie; sed juxta eandem speciem dantur plures solo numero distincti; ut §. sequenti dicetur.

15 Ob. 1. Plurimi SS. PP. asserunt Angelos esse ejusdem Naturæ & speciei: ergo sunt ejusdem speciei. a. p. D. Athanasius, vel certe alius, qui est Author quæstionum ad Antiochum q. 3. ait: eandem esse essentiam Angelorum, sicut & hominum: atqui homines non differunt specie: consequenter nec Angeli. Similia habet D. Damascenus *L. de decretis* c. 1. Et D. Anselmus. tandem *S. Basilius L.* 3. *contra Eunomium* dicit: Prioritatem in Personis D. non impedire unitatem essentiæ; Angeli enim priores sunt alii aliis, & tamen sunt ejusdem essentiæ &c. &c. ergo.

R. 1. Opponendo textus alios superius citatos. R. 2. D. a. asserunt Angelos ejusdem naturæ genericæ, ac speciei subalternæ c. a. ejusdem speciei infimæ. n. a. SS. PP. in his & aliis textibus, qui nobis videntur esse contrarii, solum loquuntur de unitate generica, ac specie subalterna Angelorum, non vero de specie infima, quam Isti PP. in rigore Philosophico noluerunt examinare. Adde, quod PP. ideo dicant Angelos esse ejusdem speciei, & naturæ, quia conveniunt in ratione spiritualis & intellectivitatis, quæ est perfectio maxime nota in Angelis, sed non indicat speciem infimam, bene autem gradum genericum ac speciem subalternam. Neque obstant istæ comparationes cum natura humana, & divina; quia comparationes

SS.

SS. PP. plerumque non important paritatem omnimodam, sed similitudinem aliquam, quæ ordinarie ex aliqua parte claudicare solet. Sic etiam in Symbolo dicit laudatus S. Athanasius: sicut anima rationalis & Caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus; & tamen non est paritas omnimoda; quia Deus & homo in Christo non conveniunt in unam naturam completam, sicut Caro & anima in homine, sed tantum in unam personam. Et similitudo D. Basilii per se non potest esse adæquata; etenim in tribus D. Personis non solum specie, sed & numero una est natura.

Neque obstant nobis reliqui SS. PP. qui dubitative loquuntur; *tum*, quia positive nobis non sunt contrarii; *tum*, quia inde solum sequitur, quod nostra sententia non sit certa, & indubitata; *tum*, quia saltem aliquos textus habemus, ex quibus probabiliter & verisimiliter nostram conclusionem deducimus.

Ob. 2. Distinctio Angelorum probatur ex donis, quæ acceptant a Deo, & ex officiis, ad quæ deputantur; sed ex his non infertur vera distinctio specifica: etenim etiam homines ejusdem speciei accipiunt diversissima dona a Deo, & ad varia munera deputantur: ergo. R. D. M. probatur inadæquate c. M. adæquate. n. M. nos præcipue probamus nostram Conclusionem tam ex Authoritate, quam ex ratione superius adducta, quæ se non fundat in istis donis, & muneribus, quamvis SS. PP. quos pro nobis allegamus, supponant Angelos esse specie diversos, quia diversis donis sunt instructi &c.

Ob. 3. Omnes animæ rationales sunt ejusdem speciei: ergo & omnes Angeli. R. N. c. & paritatem. Quamvis omnes animæ rationales sint ejusdem speciei, & constituant homines ac animalia ejusdem speciei, nihilominus præter naturam humanam, ad cujus constitutionem anima rationalis ex se est ordinata, dantur plures aliæ species substantiarum corporearum, viventium, & non viventium: ast vero, si Angeli essent omnes ejusdem speciei, non darentur plures substantiæ spirituales completæ specie distinctæ. Accedit, quod omnes homines, qui defacto sunt, per propagationem & generationem naturalem ab uno homine descendant: ergo naturaliter tantum convenit ipsis inesse animam ejusdem speciei & naturæ cum anima sui propagatoris: Angeli vero non ab uno alio Angelo sunt propagati, sed ab ipso Deo, qui uti potuit, ita etiam ad ostensionem suæ omnipotentiæ ac ornatum universi censetur voluisse producere plures substantias spirituales completas.

Ob. 4. Si unus Angelus ab altero differret specie, tunc eatenus, quatenus unus haberet perfectiorem & majorem intellectivitatem, quam alter; atqui eatenus non differt unus ab altero specie; quia magis & minus non variant speciem, & homo unus potest esse magis intellectivus, & perspicax, quam alter; & tamen non differunt specie: ergo.

R. C. M. & n. m. 1. prob. d. a. magis & minus non mutant speciem, quando magis & minus sunt ejusdem rationis, & majus tantum habetur per additionem alicujus gradus, vel entitatis, quæ est ejusdem rationis cum minore c. quando majus est diversæ rationis, & consistit in aliquo indivisibili, non vero in collectione plurium graduum ejusdem rationis n. a. Anima rationalis tanquam magis perfecta utique differt specie ab anima Bruti minus perfecta &c. etiamsi hæc ponatur etiam esse spiritualis, prout multi ex Philosophis, præsertim Neotericis defendunt. Idem dic de Angelo magis intellectivo: ratio est, quia Angelus unus est magis intellectivus altero ob naturam indivisibilem alterius rationis, quæ sua indivisibili entitate non solum potest præstare ea, quæ præstantur ab imperfectiore Angelo, sed & alia, quæ Angelus imperfectior præstare non potest. Iterum natura Angelica essentialiter perfectior ex se, & sua intrinseca essentia exigit perfectiores intellectiones, quàm Angelus minus perfectus.

Est etiam disparitas cur homo minus intellectivus & minus perspicax non differat specie a magis perspicaci, nam quod unus homo sit magis perspicax, quam alter, non provenit per se, & ex natura intrinseca animæ rationalis, sed tantum ex diversis accidentibus, quæ afficiunt corpus humanum, illudque minus, vel magis dispositum reddunt ad phantasmata & sensationes internas, a quibus dependent, & quibus sese accommodant humanæ intellectiones: contra vero in Angelis hæc diversitas intellectuum proveniret ex ipsa natura intrinseca Angelorum specie distinctorum.

Ob. 5. Nullus Angelus ab altero differt in prædicato nobilissimo; quia omnes conveniunt in prædicato *intellectivi*, quod est nobilissimum: ergo nullus Angelus ab altero differt specie: c. prob. prædicatum nobilissimum est prædicatum differentiale & specificum: ergo si nullus Angelus ab altero differt in prædicato nobilissimo, nullus ab alio specie differt.

R. t.

R. t. a. n. c. & ad prob. n. a. quia prædicatum differentiale non est semper nobilissimum: liquet in Brutis, in quibus prædicatum *sensitivi*, quod est genericum, est nobilius prædicatis differentialibus v. g. *hinnibilis*, *rugibilis* &c. videatur Logica de differentia specifica.

Ob. 6. Visiones plures beatæ, quamvis inæquales, non differunt specie: ergo etiam plures Angeli, quamvis inæqualiter intellectivi non differunt specie. R. D. a. & hoc ideo, quia differunt solum penes minorem vel majorem intensionem homogeneam, seu ejusdem rationis c. a. secus n. a. & d. c. ergo etiam non differrent plures Angeli, si differrent per intensionem homogeneam c. c. si differant per naturas alterius rationis n. c. Non repugnant plures animæ rationales specie distinctæ, quamvis defacto non dentur; hinc defacto omnes homines sunt in specie infima; sed non sunt, si consideremus illud, quod tantum est possibile. Du Pasquier hac quæstione.

Dices: Angeli non habent specie distinctas visiones beatificas: ergo neque ipsi Angeli sunt distincti specie R. tr. a. n. c. effectus ejusdem speciei potest a causis specie distinctis produci, sic idem specie calor a sole, & igne, imo ab ipso calore existente in aqua & igne efficitur: ergo etiam visiones beatificæ & intellectiones ejusdem speciei possunt effici a pluribus Angelis etiam specie distinctis.

§. II.

An aliqui Angeli etiam distinguantur solo numero?

Assero: Non omnes Angeli inter se differunt specie, sed eti- 16
am defacto plures sunt Angeli ejusdem speciei, qui solo numero differunt. SScot. ac RRores. Contra Thomistas.

Prob. Ex una parte est possibile in unaquaque specie Angelica dari plures Angelos ejusdem specificæ essentiæ, ac solo numero diversos: ex altera parte, supposita ejusmodi possibilitate, multiplex ratio suadet defacto dari plures solo numero diversos Angelos: ergo dantur. a. quoad 1. memb. satis constat ex Logica, in qua contra T. Tas ostenditur principium individuationis non esse materiam signatam quantitate, ac quamlibet speciem, etiam spiritualem, ac Angelicam esse multiplicabilem in plura individua. Igitur solum

probatur 2. memb. a. 1. quia ejusmodi plura individua in unaquaque specie Angelica serviunt ad ornatum universi, sicut plura individua in unaquaque specie entium viventium corporeorum conducunt ad talem ornatum. 2. Facit etiam ad splendorem Aulæ Principis in omni gradu dari pluralitatem æqualium Ministrorum. 3. Plures Angeli conveniunt in officio, ordine &c. ergo probabiliter etiam in specie. 4. Non videtur Deus aliquam speciem integram Angelorum, quam produxit, voluisse damnare; sed hoc factum fuisset, nisi intra eandem speciem Angelicam darentur plura individua, quorum aliqua fuissent damnata, alia salvata: ergo.

Objectiones contra hanc conclusionem jam sunt solutæ in Logica, in quæstionibus de specie immultiplicabili, ac principio individuationis.

17 Quæres 1. quantus sit numerus Angelorum? R. 1. Maxima est multitudo Angelorum, est de fide. ex Dan. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millium assistebant ei.* Apoc. 5. *Erat numerus eorum millia millium.* Job. 25. *Nunquid est numerus militum ejus?* Per milites autem, ut ex contextu liquet, intelliguntur Angeli: per has autem loquendi formulas a S. Scriptura significatur multitudo maxima, & quasi innumerabilis Angelorum; & quamvis interdum S. Textus exprimat numerum determinatum v. g. *millia millium & decies millies centena millia*, tamen teste S. Gregorio 17. Moral. c. 7. in hujusmodi textibus ponitur numerus certus pro incerto, ita quidem, ut non sint præcise tot, quot in S. Codice exprimuntur, non tamen etiam sint pauciores, ut advertit Cyrill. Hierosol. Catechesi 15.

Quantus autem sit numerus Angelorum non potest certo definiri; quia in hac re DD. & PP. non conveniunt. Plerique teste Herincx de Angelis n. 28. censent Angelorum numerum esse longe majorem numero omnium hominum etiam successive existentium; ferunt etiam fuisse revelatum S. Birgittæ multitudinem Angelorum esse decuplo majorem numero omnium hominum, etiam successive existentium. Imo D. Thomas 1. p. q. 35. art. 3. ex D. Dionysio docet, Angelos numero superare omnes substantias materiales.

18 Quæres 2. quot sint Chori, & Hierarchiæ Angelorum? R. Dantur tres Hierarchiæ, & novem Chori Angelorum, ita, ut in prima Hierarchia sint tres Chori seu ordines, scilicet Seraphim, sic di-

cti ab excessu Amoris, Cherubim ab excessu scientiæ, Throni ab excessu puritatis, & affectuum sedatione, ut sint quasi sedes Divinæ Majestatis. In secunda Hierarchia sunt iterum tres Chori, nempe Potestates, quæ dæmones frænant, Virtutes, quæ cœlos regunt, Dominationes, quæ inferioribus præsunt quoad ea, quæ ad universalem providentiam spectant. In tertia Hierarchia sunt Principatus, qui Archangelos & Angelos illuminant, ac instruunt quoad ea, quæ ad universalem providentiam spectant: Archangeli, quibus Regum, Principum, ac Pontificum, urbium cura universalis est demandata, & Angeli, quibus cura demandatur privatorum hominum. Proinde novem Chori, vel ordines Angelorum dantur, quos omnes enumerat Ecclesia *in Officio omnium Sanctorum in* 1. *Vesperis in Antiphona ad Magnificat.* Eosdem jam prius enumeravit Ignatius Martyr Discipulus S. Joan. Evangelistæ *Epist.* 5. *ad Trallianos;* Illos etiam enumerant alii SS. PP. Imo S. Dionysius testatur se hanc doctrinam de novem Choris Angelorum accepisse a suo Magistro, nimirum a D. Paulo, vel saltem (ut alii volunt) ab Hierotheo. Idem tenent omnes Theologi. Ipsa quoque Scriptura omnium novem Chororum mentionem facit; nam Isaiæ 6. fit mentio Seraphinorum. Ezechielis 10. Cherubinorum, ad Ephes. 1. Dominationum, Principatuum, Potestatum, & Virtutum. Ad Colloss. 1. Thronorum. 1. ad Thessalon. 4. Archangelorum. ad Rom. 8. Angelorum. ex quo patet, quam immerito Calvinus *l.* 1. *instit. c.* 14. & alii recentiores Hæretici in nostros Theologos invehantur; quasi non recte adstruerent hos novem Choros Angelorum, cum tamen eosdem ex SS. PP. ac ipsa Scriptura deducant. Hinc iste numerus 9. Chororum quoad substantiam sine temeritate negari non potest; imo Suarez apud Hexincx censet, eum esse de fide. Dixi: *quoad substantiam* negari non potest. Nam quoad ordinationem in Hierarchias, aliqua controversia est inter DD. sic D. Gregorius & Bernardus in secunda Hierarchia ponunt Dominationes, Principatus, & Potestates. D. Dionysius vero Principatus in tertia & Virtutes in secunda Hierarchia collocat; quamvis juxta D. Bonaventuram magis credendum sit D. Dionysio.

Licet inter hos ordines sit diversitas non solum nominis, sed & Officii ac Dignitatis, tamen quandoque alicui Angelo in latiori significatione tribuitur nomen Chori, vel Ordinis, in quo non est: taliter nomen Angeli tribuitur omnibus Choris, quamvis antonomastice

mastice conveniat soli infimo Choro. Ita etiam SS. Michael, Gabriel & Raphael vocantur *Archangeli*, & tamen videntur esse ex altiore non solum Choro, sed & Hierarchia, quam est illa, in qua sunt Archangeli.

Dissertatio II.

DE INTELLECTU ANGELICO.

Suppono 1. Dari in Angelis intellectum; id enim patet, *tum* ex S. Scriptura, quæ Angelis tribuit visionem essentiæ divinæ; atqui hæc visio est operatio intellectualis, seu cognitio intellectiva. *Tum* exinde, quia Angeli potuere mereri & demereri; atqui meritum & demeritum soli convenit Creaturæ intellectuali.

Suppono 2. Intellectum Angelicum haud aliter ab Angelo distingui, quam distinguatur intellectus humanus ab Anima rationali; est enim utrobique par ratio.

Suppono 3. Probabilius intellectum Angelicum specie distingui ab intellectu humano. Deducitur ex Scoto in 3. d. 13. q. 4. §. ad tertiam quæstionem dico n. 18. ubi tenet, quod voluntas animæ Christi sit minoris activitatis, quam voluntas Angeli, consequenter voluntas humana sit alterius rationis, quam sit voluntas Angelica. Idem quoque a pari dicendum est de intellectu. Neque obstat Doctor in 2. d. 1. q. 5. n. 6. ibi enim solum dubitative, non vero assertive loquitur. Ratio est; quia Intellectus humanus nequit intelligere nisi dependenter a phantasmate, bene intellectus Angelicus. Pro objectionibus solvendis nota, quod ideo potentia visiva in Bruto & homine sit specie eadem, quia emanat ab homine & Bruto ut spectatis secundum rationem genericam, & quatenus sunt animal sensitivum; ast potentia intellectiva ab Angelo & anima non emanat præcise, quatenus sunt substantia intellectualis, sed quatenus habent substantiam intellectualem talis specificæ rationis, & perfectionis, quæ exigit minus vel magis perfectam potentiam intellectivam. Ex quo sequitur, etiam Angelos illos, qui specie inter se distinguuntur, debere habere intellectus pariter inter se distinctos specie, & essentialiter differentes.

Suppono 4. Etiam intellectum Angelicum posse discurrere, & ex rebus cognitis alias ignotas legitimo discursu concludere. Scot.

2. d.

2. d. 1. q. 1. n. 3. & alibi contra D. Thomam, qui part. 1. q. 58. a. 3. & alibi docet, intellectum Angeli non eſſe formaliter diſcurſivum. Quamvis enim Angeli non diſcurrant circa ea, quæ mox clare & intuitive apprehendunt, poſſunt tamen diſcurrere circa illa, quæ tantum inadæquate, imperfecte, & per ſpecies alienas cognoſcunt; nam in his multa prædicata latent, quæ primum per diſcurſum detegi debent, v. g. circa futura contingentia, poſſibilia &c. SS. PP. qui videntur Scoto oppoſiti, ſolum dicunt, cognitionem Angelorum matutinam, qua aliquid clare & evidenter in Verbo cognoſcunt, non eſſe diſcurſivam, vel negant Angelis diſcurſum dependenter a ſenſibus & phantaſia factum. Vel volunt, quod Angeli non tam figurate diſcurrant, quam homines: unde & homines vocantur *rationales*, Angeli vero *intellectuales*; his tanquam notioribus præmiſſis reſtant modo controverſiæ de objecto, & 2. de medio cognitionis Angelicæ, 3. de ipſa cognitione Angelica, ac 4. tandem de locutione & illuminatione Angelorum.

Articulus I.

De objecto cognitionis Angelicæ.

Nota 1. Objectum Intellectus Angelici adæquatum eſſe ens in tota 19
ſua latitudine: omne enim & ſolum illud poteſt ab intellectu Angelico attingi. Unde etiam Deus ad objectum hoc cognitionis Angelicæ ſpectat, quamvis ad Claram Dei viſionem, imo etiam ad actum fidei ſalutarem in Angelis quoque ſit neceſſarium aliquod principium ſupernaturale elevans intellectum: ex quo fit, quod Angelus viribus ſuis mere naturalibus non poſſit Clare Deum cognoſcere etiam cognitione tantum abſtractiva, ſed tantum confuſe ſicut nos. Hinc ſi Angelus haberet ſpeciem intelligibilem clare & abſtractive repræſentativam Dei, tunc ea foret ſupernaturalis, ut fatetur Scotus 2. d. 3. q. 9. n. 16.

Nota 2. Controverſiam eſſe de aliquibus entibus in particulari, an illa ſint objectum naturaliter attingibile ab intellectu. Et ſunt ex talibus entibus aliqua naturalia, aliqua ſupernaturalia. Naturalia ſunt futura, ac ſecreta cordium, ſupernaturalia ſunt Myſteria gratiæ, decreta divina &c.

Nota

Nota 3. Per ſecreta cordium intelligi actus liberos internos tam elicitos, quam imperatos hominis, & Angeli; nec non cognitiones illas, quæ dirigunt actus liberos &c.

§. I.

An Angelus cognoſcat naturaliter futura & ſecreta Cordium?

20 Aſſero 1. Futura, quæ dependent a cauſis mere neceſſariis naturaliter non impedibilibus, poteſt Angelus naturaliter certo præſcire, ſub conditione tamen, ſi Deus naturalem curſum talium cauſarum non impediat; v. g. Eclipſes Solis & Lunæ &c. Herincx & alii communiter.

P. Hæc futura ſunt ſatis determinata in ſuis cauſis: ergo præſciri poſſunt ab Angelo; quinimo Angelus hæc futura non tam præſcit, quam præſentia in ſuis cauſis aſpicit; poſita tamen conditione, quod Deus nolit impedire ejusmodi cauſas in ſuo naturali curſu.

Confirm. Homines etiam Aſtronomiæ periti poſſunt certo præſcire motus cœlorum, Eclipſes, aliaque futura contingentia: ergo a fortiori id poſſunt Angeli, qui longe fortioris ſunt intellectus, quam homines.

Concluſio etiam locum habet, quando eventus futurus dependet a multis cauſis mere neceſſariis, quamquam nimia multitudo, varietasque talium cauſarum poſſet interdum excedere perſpicaciam aliquorum ſaltem inferiorum Angelorum.

Dixi in Concluſione: *quæ dependent a cauſis mere neceſſariis &c.* Si enim effectus partialiter dependet a cauſis neceſſariis, & partialiter a cauſa aliqua libera, a qua impediri poteſt, tunc Angelus certo talem eventum præſcire, aut prædicere non poteſt, prout dicetur concluſione ſequenti. Sic Angelus neſcit certo & infallibiliter prædicere futuram fertilem meſſem; quia hæc non ſolum pendet a cauſis neceſſariis v. g. influxu Aſtrorum, fertilitate terræ &c. ſed & a libertate hominum, qui agrum debent colere, & nullum impedimentum ponere. Unde ſolum prædicere poteſt infallibiliter ſub conditione, ſi ager bene cultus malitia hominum non ſit vaſtandus &c.

Aſſero

Assero 2. Futura contingentia, quæ dependent a causa libera 21
creata, ipsosque actus nostros liberos nequit Angelus ex viribus suis naturalibus certo præscire, aut prædicere. Communis.

P. 1. S. Scriptura, & PP. talem præscientiam & prædictionem statuunt tanquam notam Divinitatis soli Deo competentem: ergo ea non convenit Angelis. a. prob. Isaiæ 41. dicitur: *annunciate, quæ futura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis.* Qui textus intelligendus est de futuris liberis. Unde D. Bonaventura *d. 7. p. 2. a. 2. q. 3. in corpore* ait: *cum talia prædicuntur, prædictio dicitur divinatio, quia talis est actus divinus.* Et Tertullianus Apologet. cap. 20. dicit: *testimonium divinitatis, veritas divinationis.* Quare (ut bene observat D. Bonaventura) quia Dæmon maxime affectat cultum divinum, ideo per Idola, Ariolos, & Aruspices conatur ostendere, se habere vim divinandi, & prædicendi futura.

P. 2. Ratione: ejusmodi futura non possunt præsciri ab Angelo in seipsis; nam in seipsis non sunt determinata, neque existunt. Neque possunt cognosci in sua causa, nempe in voluntate creata, quæ & ipsa ante actum liberum positum est indifferens, & indeterminata. Neque in decreto divino, quamvis enim hoc sit determinatum ab æterno, tamen secundum dicenda est Angelo naturaliter incognitum. Neque intellectus Angeli, utpote limitatus ista futura scire exigit.

P. 3. Angelus non præscit, quid Ipsemet in futurum libere sit acturus: nam juxta D. Anselmum l. de casu diaboli c. 21. & juxta D. Bonaventuram & alios DD. Diabolus non præscivit suum peccatum: ergo a fortiori nequit præscire actus futuros liberos alterius Angeli, vel hominis.

Dixi in conclusione: *certo præscire*: nam conjecturaliter, & verisimiliter non solum Angeli boni, sed & mali possunt multa futura contingentia libera prædicere, & præscire ex complexione hominis, aliisque signis & effectibus externis &c. Hæc tamen præscientia non est infallibilis.

Ob. Dæmones vel per se, vel per alios multa futura libera prænunciant, quæ postea eveniunt: ergo cognoscunt naturaliter futura 22
libera. R. N. c. nam vel 1. Dæmones tantum prædicunt vel prædixerunt ea, de quibus habent verisimilem conjecturam ex longa experientia, complexione, aut aliis indiciis desumptam, quæ tamen conjectura non est vera scientia. Vel 2. prædicunt ea, quæ ipsi

Deo juste permittente efficere postea proponunt. 3. Et ipsi Dæmones aliqua ab Angelis bonis Deo ita permittente discunt, ut post Augustinum L. 2. ad Simplicianum tradit D. Bonaventura ab Herincx *disp. 3.* de intellectu Angelorum *n. 10. allegatus.* Imo Deus etiam potest dæmonibus aliqua revelare, & per eos aliqua prædicere, sicut olim aliqua prædixit per Caipham & Balaam, atque Sybillas gentiles; & subin etiam Dæmones dignatur alloquio suo, ut patet ex cap. 1. & 2. Job. 4. Talia futura possunt colligere ex dictis & Scriptis SS. hominum, quibus ea divinitus fuerunt revelata. Adde, quod Diabolus prædictiones suas sæpe amphibologiis involvat, ut suam ignorantiam tegat. Denique quod attinet Angelos bonos, isti multa futura contingentia libera Deo revelante cognoscunt.

23 Petes: an Angelus etiam naturaliter certo cognoscat actus creaturæ liberos jam præteritos? R. Potest eos omnino scire vi memoriæ aut recordationis, quia eos præscivit ut præsentes; iterum potest eos scire ex effectibus relictis. De cætero præscindendo a modo cognoscendi mox dicto, Angelus præterita ut præterita in se tam parum potest scire, quam futura; ut recte tradit Herincx part. 1. disp. 3. de intellectu & voluntate Angelorum n. 11. Ratio est: quia præterita ut præterita nec in se, nec in causa sua existunt, aut præsentia sunt; imo præterita sunt non ens; adeoque ex se non possunt movere intellectum ad sui cognitionem, sicut futura id non possunt.

24 Assero 3. Angeli naturaliter cognoscunt secreta cordium, saltem naturalia, nisi divinitus ab extrinseco impediantur. Scot. *2. d. 9. q. 2.* §. *ad argumenta secundæ quæstionis. & in 4. d. 45. q. 4.* §. *hic tria. &* §. *ad argumenta principalia.* Scotistæ communiter contra Thomistas.

P. 1. Affectiones voluntatis liberæ, & cognitiones earum directivæ sunt entia in substantia naturalia, & actu existunt: ergo sunt objecta sufficienter proportionata intellectui Angelorum, vel animarum separatarum.

P. 2. Angelus naturaliter cognoscit substantiam, accidentia, proprietates, species intelligibiles, & habitus alterius Angeli, vel hominis: ergo etiam sic cognoscere potest affectiones liberas alterius Angeli, vel hominis.

P. 3. Angelus naturaliter cognoscit secreta proprii Cordis: ergo & alieni. Insuper etiam in Adversariorum sententia Angelus unus potest alterius secreta cognoscere, si alter consentiat: ergo quoque si non consentiat. Plane nec identitas subjecti, nec consensus alterius Angeli tribuunt majorem intellectivitatem, neque meliorem faciunt proportionem inter potentiam cognoscitivam, & objectum: ergo æque potest aliquis Angelus aliena, ac propria secreta cognoscere, & similiter potest intelligere secreta alterius Angeli, sive alter consentiat, sive non.

Dices cum Adversariis: esse de essentia actus liberi, ut non videatur sine consensu illius, qui talem actum elicuit, vel posuit.

Contra est 1. Actus externus liber hominis potest videri sine consensu talis hominis, qui ipsum ponit: ergo etiam actus internus potest videri ab Angelo, respectu cujus tam parum est occultus actus internus voluntatis, quam parum est occultus actus externus respectu visus corporei rite dispositi, & debite applicati. Edisserant AArii. quodnam illud sit velamen, quo Angeli & animæ suas affectiones liberas coram perspicacissimo intellectu Angelico occultant?

Contra est 2. Quamvis actus voluntatis subdatur soli voluntati quoad suum esse, & productionem, ita, ut non producatur, vel existat, nisi dependenter a voluntate creata & divina, tamen non ita subditur soli voluntati quoad suam cognoscibilitatem; etenim Angelus & anima rationalis in creatione sua subduntur soli voluntati divinæ, a qua suum esse habent; ast postquam semel sunt producti, etiam naturaliter ab aliis Angelis & hominibus cognosci possunt: ergo. Ex his

Deduces 1. Quod Angeli boni defacto probabiliter videant secreta cordium alienorum. Ita Mastrius *in 2. sent. disput. 2. de Angelis a n.* 233. consentit Scotus 4. *d.* 45. *q.* 4. §. *in solutione ad secundum. n.* 7. nec obstat Doctor *alibi in contrarium allegandus.* Ubi solum asserit, Angelos malos defacto ex subtractione concursus divini non cognoscere secreta cordium, ne multa bona impediant, aut ne notitia ista in nimiam nostram perniciem uterentur. Est tamen hæc assertio contra egregios Scotistas, Delgadillum, Herincx, Frassen, & alios. Ratio est; quia ex una parte naturæ Angelorum competit noscere secreta cordium alterius Angeli, ut probatum est; ex al- 25

tera parte non eſt ulla ratio, cur Angeli boni hoc bono ſuo naturali a Deo priventur: ergo.

Confirm. Angeli boni offerunt noſtras orationes mentales, vel bona deſideria: ergo ea cognoſcunt. Convenit etiam, quod Angelus Cuſtos ſui Clientis bonos & malos motus internos penetret, ut hos deſtruat, illos promoveat: ergo.

Nec dicas, ipſam creaturam rationalem naturaliter exigere potentiam occultandi ſua ſecreta, cui exigentiæ Deus ſatisfaciens denegat concurſum ſuum ad cognitionem ejusmodi ſecretorum.

Contra eſt 1. Creatura rationalis non poteſt naturaliter exigere, ut objectum naturaliter cognoſcibile, & debite præſens non cognoſcatur, quia talis exigentia eſſet præjudicioſa naturæ vel activitati naturali intellectus. 2. Homo non exigit naturaliter, ut ejus actus externus factus coram aliis videntibus, ſit occultus: ergo etiam neque homo neque Angelus poteſt exigere naturaliter, ut ejus actus interni ſint occulti. 3. Potius natura rationalis exigit, ut ejus actus interni ſint noti Angelis ſaltem bonis; quia Angeli boni non habent alias cogitationes, quam bonas, ad laudem Dei cedentes. Convenit etiam Angelum bonum cognoſcere ſecreta Angelorum malorum, ut horum malitiam, qua hominibus obeſſe ſtudent, impedire poſſit. Etiam humanæ reipublicæ magis conſultum eſſet, ſi ſecreta cordium humanorum cuilibet paterent; *tum* quia multi timentes publicationem ſuorum malorum deſideriorum ab his abſtinerent. *Tum*, quia ſic boni a malitia aliorum ſibi cavere poſſent. Non cognoſcimus autem modo ſecreta aliorum hominum, quia obſtat moles materialis corporis, & dependentia a ſenſibus, quæ in Angelis & animabus ſeparatis non datur.

Deduces 2. Angelos tamen malos nunc impediri a Deo, ne cognoſcant ſecreta cordium, ut jam dixi ex Scoto, in illatione præcedente. Sic enim docet Author de Eccleſiaſticis dogmatibus apud D. Auguſt. c. 81. dicens: Internas animæ cogitationes Diabolum non videre certi ſumus. Deus ergo denegat dæmonibus ſuum concurſum ad ejusmodi cognitionem ob rationem ſuperius ex Scoto aſſignatam. Et quamvis hæc denegatio non conveniat naturæ Angelorum, convenit tamen ſtatui eorum, qui eſt damnationis & pœnæ, in qua plures violentias contra naturalem ſuum appetitum pati debent.

Ob.

Ob. 1. S. Scriptura, & SS. PP. attribuunt Deo soli cognitionem secretorum cordium tanquam notam Divinitatis: ergo hæc cognitio non convenit naturaliter Angelis. R. S. Scriptura & PP. volunt, quod Deus solus cognoscat secreta cordium omnia, id est, non solum cogitationes præsentes, sed & futuras, ac præteritas; cum tamen Angelus saltem futuras nequeat naturaliter cognoscere, ut dictum est. 2. Deus solus cognoscit modo inimpedibili. 3. Deus solus cognoscit ut Judex: atque in hoc sensu explicandæ veniunt Authoritates etiam conformiter sacro textui, qui dum soli Deo cognitionem secretorum justorum adscribit, agit de speciali modo, quo Deus ea cognoscit, ut Judex supremus: ait enim Jeremiæ 17. Ego Dominus scrutans corda, & probans renes, qui do unicuique juxta opera sua, in quo sensu etiam loquuntur, & exponunt textus nobis contrarios SS. Hieronymus, Chrysostomus, Cyrillus apud Mastrium. 26

Ob. 2. Deus non videtur, nisi volens: ergo neque secreta Angeli vident, nisi hic velit. R. 1. Retorq. arg. Deus neque quoad essentiam suam clare videtur, nisi volens: ergo etiam Angelus non videtur quoad essentiam suam, nisi volens. R. 2. n. c. & parit. Deus enim, cum natura sua infinitus sit, naturaliter videri non potest, & Ipsius perfectio infinita exigit, ut tantum ab illo videatur clare, cui se libere manifestat; ast non sic sunt infinita secreta, quæ habet Angelus vel homo.

Ob. 3. Si actus liberi creaturæ ab Angelo videntur naturaliter, tunc etiam eorum libertas videtur naturaliter; sed hæc non potest videri naturaliter: ergo. m. p. Si enim libertas actus talis cognosceretur, tunc deberet simul cognosci, quod concursus divinus non fuerit prædeterminans, sed tantum simultaneus; atqui hoc non posset cognosci, nisi simul videretur decretum divinum, quod naturaliter non est cognoscibile juxta dicenda §. sequenti: ergo. M. patet, quia libertas necessario importat, & exigit exclusionem concursus prædeterminantis. R. 1. Retorq. argumentum in secreta propria cujuslibet Angeli, & quæro, an & quomodo Angelus videat libertatem propriorum actuum liberorum? tali enim modo, & non alio videt, vel cognoscit etiam libertatem actuum liberorum alterius Angeli vel hominis.

R. 2. Angelus videt actum voluntatis alterius quoad essentiam, libertatem vero talis actus, quæ est denominatio extrinseca desum-

pta à toto actu primo proximo indifferente, alius non potest immediate naturaliter intuitive videre, quia non potest videre ipsum totum actum primum proximum utpote involventem exclusionem decreti prædeterminantis: siquidem denominationes extrinsecæ desumptæ ab aliqua forma positiva cognosci nequeunt, nisi quatenus cognoscitur ipsa forma positiva, sic non potest cognosci murus ut visus, nisi quatenus cognoscitur ipsa visio activa muri; atqui secundum rationem in objectione allatam non potest videri exclusio talis decreti &c. consequenter neque totus actus primus proximus requisitus ad actum liberum. Potest tamen Angelus evidentiam, & certitudinem physicam habere, quod ad talem actum non fuerit Angelus per decretum, vel concursum prædeterminantem, aut alio modo necessitatus; eoquod ejusmodi prædeterminatio esset supernaturalis, & contra exigentiam naturalem creatæ voluntatis. Tali modo etiam Angelus, & non alio, scit suum actum voluntatis esse liberum. Quare R. in forma: d. M. videtur etiam vel cognoscitur libertas actuum liberorum eo modo, quo libertas propriorum actuum liberorum intelligitur c. M. alio modo n. M. nos tantum volumus, quod unus Angelus possit secreta cordis alieni ita cognoscere, sicut cognoscit secreta propria.

Ob. 4. Ex nostra sententia sequeretur, frustraneam esse locutionem Angelorum: nam posset unus alterius internum conceptum videre absque omni locutione per solam cognitionem secretorum: ergo.

R. N. a. nam etiam de jam notis potest fieri locutio: ergo esto omnes cujuslibet cogitationes per cognitionem secretorum jam alteri Angelo sint notæ, tamen adhuc etiam de his jam notis loqui possunt. 2. Locutio importat communicationem conceptus proprii alteri libere & non naturaliter factam: ergo quamvis naturaliter jam essent nota vel cognita secreta cordium ab altero, tamen locutio adhuc locum haberet, ut unus Angelus alteri adhuc libere & liberaliter per locutionem posset communicare iteratam notitiam talium secretorum. 3. Unus Angelus posset esse distractus ad alia objecta, & non intendere alterius secretis, quo in casu ab altero loquente excitari posset; imo & in tali casu loquens distracto mentiri posset.

§. II.

§. II.

Quænam entia supernaturalia videant Angeli naturaliter?

Assero 1. Angeli non vident naturaliter visione intuitiva SSt. Trinitatem, neque decreta divina, aut alia prædicata, quæ sunt Deo identificata. Communis. Ratio est: quia Ipse Deus ob suam infinitatem non videtur naturaliter a Creatura: ergo neque illa prædicata, quæ ei sunt identificata; est enim specialis perfectio divina, quod quoad omnia sua prædicata intrinseca sit speculum voluntarium, & non possit quoad illa clare & intuitive videri, nisi velit, ac libere se & sua prædicata manifestet, ac concursum supernaturalem ad talem visionem præstet, de quo plura in tractatu de visione Beatifica. Ex quo 27

Deducis: quod Angelus non possit viribus naturalibus clare & intuitive videre remissionem peccati. Ratio est: quia remissio hæc non potest cognosci, nisi cognoscatur decretum, utpote sine quo non potest fieri; vel enim remittitur peccatum pure per condonationem extrinsecam, sine infusa qualitate gratiæ, & tunc per se consistit in mero decreto divino? vel fit per qualitatem gratiæ sanctificantis infusam, & tunc hæc qualitas non expellit ex natura sua peccatum, sed tantum ex decreto divino, ut dicemus in tractatu de gratia: ergo iterum decretum hoc cognosci debet; atqui nullum decretum divinum ab Angelo solis viribus naturæ cognoscitur clare & intuitive: ergo.

Assero 2. Angeli, si divinitus non impediantur, possunt virtute naturali clare & intuitive cognoscere entitates supernaturales a Deo productas secundum esse earum reale, quod post productionem suam habent: & hæc conclusio intelligenda est etiam de entibus creatis etiam quoad substantiam supernaturalibus, ut de visione beatifica, actu & habitu fidei, charitatis, imo etiam de Unione hypostatica. Herincx p. 1. disp. 3. de Angelis n. 4. cum Scotistis, saltem qui ex parte nobiscum sentiunt contra TTas & RRores passim, stat autem pro nobis Scotus 4. d. 10. q. 8. ubi §. *ad argumenta*. ℣. *ad tertium* n. 12. ad finem docet, generaliter de omnibus Mysteriis gratiæ, quod ea, postquam per productionem in effectu sunt posita, & existunt, possint naturaliter clare videri a quocunque Angelo, vel ani- 28

ma

ma ſeparata, niſi Deus impediat vim eorum naturalem per ſubtractionem concurſus, uti non raro facit in Angelis malis ne eorum malitia multa bona impediantur. Neque obeſt Doctor *q. 14. quodlib. §. de tertio principali n. 22. ℣. ad duo alia argumenta*; ibi enim tantum dubitative loquitur; nam inter alia, quæ merum dubium inſinuant, ait: *negaretur forte, quod anima, vel Angelus ex naturalibus poſſit cognoſcere ſeipſum, & etiam actum ſuum beatificum.*

Prob. 1. Talia entia ſupernaturalia ſunt omnia creata, & finita: ergo non excedunt vim finitam & creatam intellectus Angelici, alias perſpicaciſſimi.

P. 2. Angelus poteſt naturaliter cognoſcere ſuam & alterius Angeli etiam Superioris ſubſtantiam: ergo poteſt etiam cognoſcere tales entitates ſupernaturales, quæ tanquam accidentia ſunt multo imperfectiora, quam ſubſtantia aliqua.

Neque obeſt, quod talia entia ſint ſupernaturalia quoad ſubſtantiam: nam ſupernaturalitas alicujus entitatis, ut ſuo loco dicetur, tantum deſumitur a principio effectivo, non vero a potentia cognoſcitiva. Illud proin ſupernaturale eſt, quod tranſcendit vires cauſæ efficientis pure naturalis, & effici nequit, niſi concurrat principium effectivum ſupernaturale, & quidem qua ſupernaturale; non vero requiritur ad entitatem ſupernaturalem, ut illa tantum ſupernaturaliter, & non etiam naturaliter cognoſcatur.

29 Ob. 1. Qualis entitas, talis cognoſcibilitas: ergo ſi entitas eſt ſupernaturalis, etiam cognoſcibilitas eſt ſupernaturalis, & conſequenter ens ſupernaturale tantum ſupernaturaliter cognoſci poteſt. R. 1. Retorq. argum. ergo ſi entitas eſt infinita, uti eſt in Deo, tunc etiam cognoſcibilitas eſt infinita, & ſic Deus tantum per cognitionem infinitam, non autem per finitam intellectus creati cognoſci poteſt.

R. 2. D. a. Qualis entitas, talis eſt cognoſcibilitas objectiva & paſſiva c. a. talis eſt cognoſcibilitas activa, ſeu potentia cognoſcitiva, & naturalis cognitio n. a. Argumentum hoc inde peccat, quia exigit convenientiam eſſentialem & entitativam inter rem cognoſcibilem, & potentiam cognoſcitivam, ac ipſam cognitionem, ita, ut ſi res cognoſcibilis ſit ſupernaturalis, tunc etiam cognitio ſit ſupernaturalis: quod omnino falſum eſt, quia inter cognitionem & objectum non requiritur convenientia in eſſendo, ſed ſolum in repræſentan-

sentando: proinde sicut per cognitionem finitam res infinita, & per cognitionem quæ est accidens, quævis substantia potest intelligi, ita etiam per cognitionem naturalem potest intelligi ens creatum supernaturale.

Dices: Potentia & objectum debent esse in eodem ordine: ergo si objectum est supernaturale, debet etiam adesse aliquod comprincipium supernaturale. R. 1. Retorq. argum. ergo etiam si Deus est objectum, tunc principium elevans ad videndum clare Deum, debet esse in ordine divino & infinito, consequenter lumen gloriæ, quod est accidens finitum, nequit elevare intellectum ad videndum Deum. R. 2. Tr. a. n. c. in nostra enim sententia potentia & objectum sunt in eodem ordine: nam licet v. g. visio beatifica, vel aliud ens supernaturale sit altioris ordinis, scilicet supernaturalis, si comparetur ad causam efficientem, non tamen si comparatur ad potentiam cognoscentem; nam respectu intellectus Angelici est ordinis naturalis, seu objectum naturaliter ab eo intelligibile.

Ob. 2. Si Angelus naturaliter videret visionem beatificam alterius Angeli, tunc etiam videret naturaliter objectum talis visionis, scilicet Deum Unum, & Trinum; atqui Deum nemo naturaliter videre potest: ergo. M. constat, quia nequit actus distincte & intuitive cognosci, nisi cognoscatur cum ordine ad suum objectum; cognito autem tali ordine, & ipsum objectum cognoscitur: ergo. Adde, quod actus intellectus, qualis est visio beata, sit imago expressa sui objecti: ergo non potest clare cognosci talis visio, nisi etiam ejus objectum cognoscatur.

R. N. M. Visio beatifica respectu alterius Angeli videntis eam, se habet *ut quod*, & ut objectum cognitum, non vero *ut quo*, & ut ratio cognoscendi & intuitive videndi: nam se solum habet *ut quo* &c. respectu illius intellectus, cui inest; qui proinde solus mediante tali visione clare & intuitive attingit Deum. Neque obstat, quod visio sit imago expressa Dei: nam ex hoc solum sequitur, quod dum visio beatifica clare videtur, debeat Deus solum abstractive, non vero clare & intuitive cognosci; patet in exemplo: nam si quis videt intuitive imaginem Cæsaris, non per hoc intuetur Cæsarem clare in se, sed tantum eum cognoscit abstractive & repræsentatum in specie, ac imagine. Ita a pari.

Ob. 3. Saltem Unio hypostatica non potest naturaliter cognosci ab intellectu Angelico: ergo. a. prob. 1. quia SS. PP. negant hoc

Myfterium effe naturaliter cognofcibile: 2. quia alias etiam deberet cognofci naturaliter terminus Unionis hypoftaticæ, nempe Verbum Divinum, quia tota effentia hujus Unionis confiftit in ordine & refpectu ad Verbum Divinum, ad quod refert naturam humanam Eidem Verbo unitam; atqui hoc non eft naturaliter cognofcibile: ergo.

R. N. a. Ad primam probationem: Eam dico effe intelligendam de hominibus, quibus hoc Myfterium non eft naturaliter cognofcibile, vel fi aliqui PP. loquantur etiam de Angelis, tunc intelligendi funt de dæmonibus, quos Incarnatio Verbi Divini latuit, ob fubtractionem concurfus divini: quamvis & ipfi dæmones arguitive ex miraculis & impletione Scripturarum hoc Myfterium cognoverint faltem tempore prædicationis Chrifti, ut probabiliter putat Herincx p. 4. difput. 1. n. 10. ubi noftram conclufionem docet. Dift. m. atqui Verbum divinum ficut & Myfterium SS. Trinitatis non eft naturaliter cognofcibile ab anima humano corpori unita, & a fenfibus dependente c. m. ab anima feparata, & Angelo fubdift. non eft clare & intuitive ac in fe cognofcibile c. m. non eft cognofcibile abftractive & confufe, dum cognofcitur naturaliter vifio beatifica, vel Unio hypoftatica. n. m. neque ad claram vifionem relationis requiritur clara vifio termini, fed fufficit, fi is tantum abftractive, & confufe cognofcatur, ut dixi in Tractatu de animæ beatitudine, ubi docui cum Scotiftis, poffe videri unam relationem divinam, & unam Perfonam, quin ejus terminus clare videatur. Quare Angeli clare quidem vident ipfam relationem Unionis hypoftaticæ, terminum vero ejus, feu Verbum divinum cognofcunt folum abftractive, & confufe.

Objic. 4. Quia Deus eft ens fupernaturale, ideo nequit naturaliter videri a creatura: ergo etiam, quia vifio beatifica, & Unio hypoftatica funt entia fupernaturalia, nequeunt naturaliter videri. R. N. a. Quod Deus nequeat naturaliter, & fine principio fupernaturali elevante videri, inde venit, quia eft Ens infinitum, & ob perfectionem fuam undequaque infinitam exigit, ut nulli potentiæ mere naturali fit debita ejus vifio.

Objic. 5. Etiam illa cognitio intuitiva, qua unus Angelus alterius vifionem beatificam, vel Unionem hypoftaticam intelligeret, effet fupernaturalis: ergo Myfteria gratiæ creata non poffent naturaliter

raliter videri ab Angelo. a. prob. ad illam cognitionem intuitivam concurrit necessario ipsa entitas supernaturalis visionis beatificæ, vel Unio hypostatica tanquam objectum, & concausa; sed illa cognitio vel entitas est supernaturalis, quæ sine principio supernaturali concurrente haberi non potest: ergo.

R. N. a. ad prob. d. M. ad illam cognitionem concurrit Unio hypostatica & visio per modum objecti naturaliter moventis potentiam & intellectum c. M. per modum principii supernaturalis elevantis potentiam n. M. Minor hujus Syllogismi tunc vera est, quando objecto debite præsente, & applicato adhuc requiritur aliud comprincipium ex parte potentiæ, quod eam elevare, & complere debet. Neque omnis præsuppositio objecti supernaturalis statim infert cognitionem ejus esse supernaturalem. Sic enim etiam hæretici habent veros actus fidei mere naturales de SS. Trinitate, & Incarnatione, quos tamen non possent habere, nisi præsupponerent objecta ista supernaturalia, eaque essent supernaturaliter revelata. Deinde non omnis effectus, qui producitur ab ente supernaturali, est statim supernaturalis; sic etiam Deus, quamvis sit supernaturalis in substantia, tamen producit plurimas entitates naturales, quia scilicet non semper agit ut Author, vel causa supernaturalis, sed etiam ut causa naturalis juxta exigentiam entium mere naturalium: idem fit in proposito, ubi visio beatifica in sui cognitionem non influit tanquam agens supernaturale, sed ut objectum naturaliter movens, & ut proportionatum naturali virtuti intellectus Angelici.

Dixi in Conclusione: *secundum esse eorum reale*: nam hæc conclusio tantum loquitur de esse reali & quasi physico entium supernaturalium creatorum, non vero de esse mere morali, quod tantum habent a decreto divino. Sic gratia sanctificans quoad entitatem suam realem potest naturaliter ab Angelo cognosci intuitive, non vero quoad vim expulsivam peccati, quia hæc convenit gratiæ sanctificanti non ex natura sua, sed ex decreto divino, quod naturaliter non potest cognosci ab Angelo secundum dicta n. 27.

Articulus II.

De medio cognitionis Angelicæ, ſeu de ſpeciebus impreſſis, ac ipſa cognitione Angelica.

§. I.

De ſpeciebus Angelicis.

Quia hæc materia multum eſt Philoſophica, ideo paucis tractanda erit. Sunt autem omnia præſupponenda, quæ in Philoſophia de ſpeciebus impreſſis, expreſſisque, nec non de cognitione intuitiva & abſtractiva ſunt dicta. Quibus ſuppoſitis ſequuntur aliquæ breves reſolutiones.

30 Reſolvo 1. Angelum non indigere neceſſario ſpeciebus impreſſis ad cognitionem ſui Ipſius; etenim ſpecies impreſſa tanquam vicaria objecti requiritur tunc ſolum, quando objectum eſt abſens, aut non debite eſt applicatum intellectui; atqui Ipſe Angelus ſuo intellectui eſt debite præſens & applicatus: ergo. Ob eandem rationem non requiruntur ejusmodi ſpecies ad intelligenda alia objecta, tam ſpiritualia, quam materialia, quando hæc ſunt intra ſphæram activitatis intellectus Angelici; probabiliter enim intellectus Angelicus ab ipſo objecto, etiam materiali debite præſente determinari poteſt ad illud cognoſcendum absque ſpecie impreſſa: nam ſi intellectus humanus cum concurſu phantaſmatis materialis cauſare poteſt ſpeciem impreſſam intelligibilem ſpiritualem, quare non poterit intellectus Angelicus cum concurſu immediato objecti materialis cauſare ſpeciem expreſſam, ſeu cognitionem ſpiritualem illius? dummodo tale objectum exiſtat intra ſphæram activitatis intellectus Angelici, quæ ſphæra eo eſt amplior, quo Angelus eſt perfectior. Vide P. Herincx p. 1. diſp. 3. de intellect. Angel. n. 15. & ſeqq.

31 Reſolvo 2. Angelum indigere ſpeciebus impreſſis ad cognoſcenda objecta abſentia, vel non exiſtentia, ac ad recordationem præteritorum. Herincx mox cit. loco n. 21. cum communi. Ratio eſt; ſi objectum non poteſt influere per ſe in cognitionem, tunc debet influere per aliquid ſupplens vices ejus, quale eſt ordinarie ſpe-

species impressa; atqui quando objectum est absens, vel non existens, aut præteritum non potest influere per se, ut patet: ergo.

Resolvo 3. Species intelligibiles Angelorum non dimanare ab essentia Ipsorum tanquam proprietates notionales. Ita habet communis contra Durandum & Fonsecam. Ratio est: quia species sunt velut semen objecti: ergo ab objecto, vel in hujus defectu a Deo produci petunt. 2. Si species impressæ essent tales proprietates notitiæ Angelorum, tunc idem dici posset de speciebus expressis & cognitionibus Angelorum: quod tamen non videtur admittendum. Igitur Angelis ab initio creationis sunt a Deo infusæ species aliquæ intelligibiles. *Tum*, quia talis infusio congruit (non tamen debetur) perfectioni status, in quo natura Angelica est condita; *tum*, quia primo homini tribuitur talis infusio specierum, & dicitur esse conditus cum perfecta rerum naturalium scientia. *Tum*, quia id colligitur ex S. Scriptura, quæ Ezechielis 28. de Angelo reprobo in Persona Regis Tyri ita loquitur: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore.* Et infra: *perfectus in viis tuis a die conditionis* (id est creationis) *tuæ.* Plenitudo vero sapientiæ postulare videtur multitudinem specierum, per quas prompte & pro libitu suo Angelus ab initio creationis suæ objecta cognoscere potest; *tum*, quia id insinuat D. Aug. L. 2. *de Genesi ad litteram*, docens, creaturas Angelo inferiores prius esse factas in mentibus Angelicis, quam in seipsis, utique per cognitionem & repræsentationem in intellectu Angelico, quæ præsupponebat species, non quidem acquisitas a rebus ipsis, utpote nondum existentibus, sed a Deo infusas. Habuit ergo Angelus: ab initio originis suæ species infusas universalium quidditatum, & multarum rerum, quas scire Angelum ab initio congruum erat, & quæ ob absentiam, vel non existentiam in seipsis videri non poterant, v. g. species multorum Mysteriorum gratiæ, ac eorum, quæ primis sex diebus creanda erant &c. ut existimat Herincx. Ex his 32

Resolvo 4. Ipsam infusionem specierum Angelis in creatione factam, non fuisse connaturalem, id est, Eorum exigentiæ naturali stricte debitam. Angelica enim natura contenta fuit virtute naturali has species comparandi. Quare hæc infusio fundabatur in gratuita liberalitate Dei, quamvis & aliqualiter congrua, non vero rigorose debita erat statui perfecto Angelorum. 33

34 Resolvo 5. Non omnes omnino species intelligibiles esse Angelis ab exordio creationis suæ infusas. Ita Scotus cum SS. contra D. Thomam & Bonaventuram. Ratio est 1. quia incredibile est, Angelis esse congenitas species omnium rerum possibilium, item omnium rerum existentium per totam æternitatem & ab Angelo cognoscendarum, quarum multitudo nimia est. 2. Angelis defacto non convenit cognitio rerum futurarum: ergo neque earum species sunt Ipsis infusæ. 3. Ad objecta existentia & debite præsentia Angelus non indiget speciebus, quæ etiam essent inutiles ad cognitiones intellectuales intuitivas. 4. Saltem species rememorativæ, per quas Angeli recordantur præteritorum, non sunt eis ab initio infusæ, sed insunt medio actu cognitionis præterito, per quem producuntur, & quem ut talem recordatio primario respicit.

35 Resolvo 6. In Angelis etiam admitti intellectum stricte agentem, & patientem. Scotus 2. d. 3. q. 11. n. 4. contra Thomistas. Ratio est 1. quia intellectus agens & patiens, seu vis abstrahendi species impressas a rebus materialibus & mediantibus talibus speciebus acquirendi rerum materialium scientiam, est vera perfectio conveniens Angelico Intellectui. 2. Homo habet virtutem nativam acquirendi has species: ergo a fortiori Angelus. 3. Intellectus agens non dicit necessariam dependentiam a Phantasia, sed ab objecto, quod in Angelo & anima separata sufficiens est ad cudendam cum intellectu speciem intelligibilem. 4. Potuisset Deus creare Angelum sine speciebus infusis: quo in casu, si Angelus naturaliter non habuisset intellectum agentem, quo potuisset ipse species has acquirere, fuisset longe imperfectior homine, qui habet intellectum agentem.

36 Resolvo 7. Quod Angeli non habeant species intelligibiles universales repræsentativas plurium distinctorum particularium, & non subordinatorum objectorum. Scotus 2. *d.* 3. *q.* 10 §. *ista opinio.* Contra T. T. Suarez, & plures alios censentes, quod Angeli, quo sint Superiores, eo universaliores & plurium repræsentativas species habeant. Ratio est 1. Species particulares sunt connaturales Angelis, utpote quas ipsi acquirerent si sibi relinquerentur: ergo etiam Deus tantum infundit particulares, utpote qui etiam dum supplet defectum causarum secundarum, se connaturalitati earum accommodare solet. 2. Neque species universales magis decent Angelos,

gelos, quam particulares, quia per ſpecies univerſales non habetur perfectior cognitio, quam haberetur per plures particulares. Non enim ulla apparet ratio, cur aliquis perfectius intelligat nigredinem, & albedinem, dum repræſentantur per unam ſpeciem, quam dum repræſentantur per duas diſtinctas. Dicitur equidem alias in proverbio: *vis unita fortior, quam non unita*; aſt hoc ſolum tunc verum eſt, quando vi unionis & unitatis ſequitur major applicatio ad objectum vel paſſum: aſt hoc non contingeret in præſenti, quia etiam ſpecies particularis æque perfecte applicaretur ad ſuum particulare objectum, ac ſpecies univerſalis: imo univerſalitas ſpecierum ad majorem applicationem vel repræſentationem alicujus particularis objecti nihil videtur conferre.

Hinc intellectus Angelicus ideo ſolum eſt perfectior, quia eſt perſpicacior, & quia plura objecta percipit, non vero quia pauciores ſpecies habet; imo ſi per pauciores ſpecies objecta non perfectius intelligeret, iſta paucitas ſpecierum nihil ad rem faceret. Diſputant hic aliqui, an poſſibiles ſint ſpecies univerſales; verum hæc eſt quæſtio curioſa magis, quam utilis, & vel ideo etiam omittenda, quia ſatis convincenter nec poſſibilitas, nec impoſſibilitas harum ſpecierum juxta noſtrum Herincx poteſt oſtendi. Doctor ſubtilis loco citato negat has ſpecies eſſe poſſibiles. Nihilominus hæc noſtra aſſertio hucusque eſt intelligenda de ſpeciebus repræſentativis objectorum diſparatorum, ſeu non ſubordinatorum. Nam poteſt dari ſpecies tam impreſſa, quam expreſſa repræſentans plura objecta ſubordinata, qualia ſunt objectum materiale & formale, objectum concluſionis & præmiſſarum &c. ut in Philoſophia jam eſt dictum.

§. II.

De cognitione Angelica.

Iterum breviſſime per aliquas reſolutiones totus hic Paragraphus abſolvetur. Quare

Reſolvo 1. Cognitionem Angelicam eſſe realiter diſtinctam ab 37
intellectu & ſubſtantia Angelica. Communis Theologorum cum D. Thoma & Scotiſtis. Ratio eſt: quia intellectio noſtra realiter diſtinguitur ab intellectu noſtro. 2. Sæpe variatur intellectio Angelica

ca

ca dum ad varia objecta terminatur, & tamen eadem semper manet essentia & intellectus Angeli: ergo substantia & intellectio Angeli non possunt esse idem. Neque fiat paritas inter intellectionem Dei, & Angeli. Divina enim ob infinitatem suam Essentiæ divinæ petit eidem essentiæ divinæ identificari, & est semper invariata, etsi in diversissima tendat objecta: ast hoc privilegium non convenit intellectioni Angelicæ, quia hæc est in se limitata, & est tantum perfectio intellectus & essentiæ finitæ.

38 Resolvo 2. Angelum non posse naturaliter cessare ab omni intellectione. Herincx & alii: ratio est; causa necessaria debite applicata necessario agit; atqui intellectus Angelicus est causa necessaria, & semper est debite applicatus: quia semper habet aliquod objectum præsens, & si nullum aliud haberet, tunc ipse Angelus esset sibiipsi satis præsens: ergo Angelus semper aliquid necessario cognoscit. Neque voluntas potest intellectum impedire a cognitione objecti præsentis, sicut non potest impedire oculum apertum, & rite dispositum, ne videat objectum debite applicatum. Posset tamen voluntas indirecte impedire intellectum a consideratione hujus objecti, ipsum divertendo, & distrahendo ad alia, verum tunc licet hoc objectum non cognosceret, tamen cognosceret alia, & sic non cessaret ab omni cognitione.

39 Resolvo 3. Posse tamen, naturaliter loquendo, Angelum cessare a cognitione suiipsius, & Dei, est contra D. Thomam quoad cognitionem sui, & contra aliquos T. T. quoad cognitionem Dei. Ratio autem nostra est, quia intellectus Angelicus ex imperio suæ voluntatis tot aliis objectis posset se occupare, ut vis ejus naturalis intellectiva exhausta se non posset amplius extendere ad ipsam substantiam Angeli, vel Deum cognoscendum.

40 Resolvo 4. Angelum posse seipsum cognoscere abstractive. Herincx disp. 3. de intellectu Angelico n. 31. Ratio est: quia potest Angelus recordari se aliquando a seipso esse cognitum, quod fieret media specie intelligibili rememorativa, ac abstractive: imo talem abstractivam cognitionem & recordationem potest habere, dum simul seipsum intuitive cognoscit; ita etiam actu videns imaginem Regis vel Cæsaris potest recordari cognitione abstractiva, se illam etiam alias vidisse. Iterum (quamvis hoc moraliter non sit possibile) potest Angelus tam multis aliis objectis occupari, ut ultra co-

gnitio-

gnitionem sui abstractivam non possit habere intuitivam. Neque præsentia objecti obstat cognitioni abstractivæ: nam illa sola cognitio est intuitiva, & non abstractiva, quæ essentialiter requirit objectum ut præsens in ratione objecti, vel ad quam necessario movet & determinat objectum ut præsens, non autem sufficit, si tantum objectum præsens requiratur in ratione causæ efficientis vel subjecti, sicut præsentia Angeli ad talem cognitionem suiipsius tantum requiritur, ut possit illam cognitionem efficere, & in se ac suo intellectu subjectare, non autem ut in ratione objecti ad eam determinet, ac moveat: nam ad eam loco objecti & in ratione objecti jam movet species intelligibilis rememorativa aliunde jam præexistens in intellectu Angelico.

Resolvo 5. Cognitionem Angelicam naturaliter loquendo posse esse falsam. Herincx, Panger. Ratio est, quia Angeli circa illa, quorum evidentem notitiam non habent, possunt aliqua ex signo fallibili, aut inevidenti deducere; atque Angeli mali omnino sæpe dicipiuntur, dum inordinatis affectionibus odii & amoris incitati absolute assensum præbent rebus incertis, aut fallibilibus, aut ex verisimilibus tantum indiciis aliquid tanquam certum deducunt. Verumtamen Angeli boni, qui carent ejusmodi inordinatis affectionibus, ne decipiantur rebus tantum verisimilibus aut probabilibus, eas non affirmant absolute, sed tantum judicant eas esse, vel fore verisimiliter juxta gradum verisimilitudinis. Imo etiam D. Providentia videtur bonos Angelos semper impedire ab actibus falsis, vel subtrahendo suum concursum, vel aliunde præcavendo, aut impediendo omnem errorem in intellectu suorum Beatorum: id enim non quidem naturæ Angelorum secundum se sumptæ, bene vero statui beatitudinis, in quo sunt, convenit. 41

Resolvo 6. In Angelis etiam dari cognitionem matutinam, & vespertinam. Communis DD. Ratio est, quia congruit statui Angelorum perfectissimo cognoscere creaturas alio & alio modo, quo possunt cognosci, scilicet per cognitionem vespertinam in seipsis, vel per species creaturarum, & cognitionem matutinam, cognoscendo creaturas in Verbo vel Essentia divina. Et hoc de Angelis jam beatis est extra dubium; dubitatur vero, an Angeli adhuc constituti in via, & nondum visione beatifica præditi, habuerint cognitionem matutinam, & creaturas cognoverint in Deo. Ad quod Delgadillo respondet affirmative. *Tum*, quia D. Augustinus Ange-

lis in via constitutis videtur concedere similem cognitionem matutinam. *Tum*, quia licet Angeli in via Deum non cognoverint clare per cognitionem intuitivam, cognoverunt tamen Eum clare abstractive, per speciem a Deo illis in via specialiter infusam, & clare, quamvis abstractive repræsentantem Deum, imo & SS. Trinitatem; ut docet Scotus 2. *d.* 3. *q.* 9. §. *dico igitur. n.* 11. SSc. communiter. Ratio ulterior est; quia talis cognitio abstractiva *clara*, per speciem illam repræsentativam Essentiæ Divinæ ex una parte est possibilis, ut in tractatu de Beatitudine contra T. T. probatum est. Et ex altera parte ea congruit saltem perfectioni Angelorum adhuc in via existentium; quamvis non sit stricte debita exigentiæ naturali Angelorum. Adeoque Angeli in Deo sic abstractive clare tamen cognito potuerunt cognoscere creaturas, & sic etiam in via habere cognitionem matutinam. Notes tamen ex Eodem Scoto cit. *n.* 16. ℣. *et si objicitur.* Ejusmodi cognitionem non esse naturalem, sed supernaturalem; quia, ut ibi ait: *Angelus nullo modo posset habere illam speciem distinctam respectu Essentiæ Divinæ, nisi ab Ipso imprimente* (scilicet Deo) *& hoc non naturaliter, sed supernaturaliter*; & in hoc sensu etiam intelligenda sunt verba priora.

Articulus III.

De locutione & illuminatione Angelorum.

§. I.

Notanda, & refutatio sententiarum oppositarum.

43 Certum est, Angelos mutuo loqui posse locutione tali, qua unus alterum excitat ad audiendum. Id enim testatur S. Scriptura. Isaiæ 6. dicitur: *Seraphim clamabant alter ad alterum.* Et in Epist. Canon. Judæ. *Cum Michael Archangelus cum Diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore.*

Utut autem constet, Angelos loqui, ita modus, quo loquuntur, incertus est; pro quo indagando adverte locutionem generatim esse liberam conceptus interni communicationem certo indicio factam. Unde ad locutionem requiritur 1. ut fiat pro libitu loquentis, adeoque locutio non est actio mere necessaria, sed libera. 2.

Debet per locutionem ad audiendum excitari ille, ad quem dirigitur locutio. De his & aliis requiſitis plura per decurſum. Nunc autem ſententias nobis contrarias examinabimus. Igitur

Aliqui 1. Cum Durando ſtatuunt locutionem Angelorum fieri 44
per ſigna ſenſibilia, & corporea. Verum contra hanc opinionem eſt 1. Etſi poſſibilis foret locutio per ejusmodi ſigna corporea, & materialia, tamen ea non eſſet conveniens neque connaturalis Spiritibus penitus incorporeis & immaterialibus. 2. Etiamſi nullum ens corporeum fuiſſet productum, tamen Angeli potuiſſent loqui. 3. Accedit S. Gregorius Niſſenus c. 12. contra Eunomium, qui modum loquendi per ſigna corporea expreſſe denegat Angelis.

Neque Illi ſatisfaciunt, qui ut Vaſquez dicunt Angelos inter ſe mutuo loqui per ſigna ſpiritualia, diſtincta a ſpeciebus impreſſis, & expreſſis. Ratio eſt, quia iſta ſigna ſunt ſuperflua, cum omnia ſalvari poſſint per actus intellectus ſeu ſpecies impreſſas & expreſſas Angelicas. Accedit, quod ejusmodi ſigna ſpiritualia multis videantur aut omnino impoſſibilia, aut ſaltem inepta ad locutionem Angelorum.

Alii cum Viva part. 2. d. 4. q. 4. judicant locutionem Angelo- 45
rum fieri per cognitionem reflexam ſupra actum ſuum directum, quæ cognitio reflexa conceptum & actum intellectus ordinat ad alterum Angelum, Illique explicat. Thomiſtæ vero cum compluribus RR. locutionem fieri per hoc, quod Angelus unus ſuam cognitionem, vel actum internum voluntatis libere ad alterum Angelum ordinet per volitionem, volendo ſcilicet ut alter Angelus ſuum conceptum vel actum internum intelligat. Dicunt igitur Thomiſtæ, quod facta ſimili ordinatione ſpecies infuſa in Angelo B. audiente repræſentet conceptum Angeli A. loquentis. Alii vero Patroni hujus ſententiæ, qui negant ſpecies ſecretorum cordium eſſe Angelis in ſua creatione infuſas, dicunt, quod Deus tunc, quando Angelus vult ſua ſecreta manifeſtari, debeat de novo ſpecies repræſentativas talium ſecretorum infundere. Contra utramque ſententiam eſt

1. Locutio vere debet in altero cauſare auditionem, quod non poteſt fieri, niſi audiens phyſice excitetur ad audiendum per aliquid in ſe phyſice, & realiter de novo productum & receptum; atqui nec cognitio reflexa, nec ordinatio voluntatis aliquid phyſice producit in audiente Angelo: ergo. m. conſtat: quia cognitio

ista reflexa, & ordinatio voluntatis manent in solo loquente Angelo, nec aliquid de novo ponunt in audiente. M. vero prob. 1. quia saltem Angelus ad alia objecta intentus & distractus non potest fieri audiens, & attendens loquenti, nisi per loquentem physice excitetur, & in eo physicum quid producatur. 2. Per nostram Locutionem vocalem aliquid producitur in audiente, & is physice excitatur ad attentionem, imo & anima nostra sibiipsi Loquens per conceptus suos mentales producit in se verbum mentis, seu intellectionem: ergo etiam quando Angelus alteri loquitur debet aliquid in altero producere.

Contra est 2. Excitatio quam Adversarii adstruunt esset mere materialis consistens in remotione extrinseci impedimenti, quod obstabat, ne alter seu audiens Angelus libere potuerit intueri secreta & conceptus loquentis Angeli; atqui hæc remotio impedimenti extrinseci non est vera locutio: ergo. M. constat: quia per directionem intellectualem RRorum, & ordinationem voluntatis TTarum solum tollitur occultatio internorum conceptuum Angeli loquentis, tanquam impedimentum, ne antea Angelus audiens illos conceptus cognoscere potuerit. m. p. Ego non loquor, dum tantum velum a tabula removeo, ut illa possit videri. 2. Talis remotio impedimenti non excitat intellectum illius Angeli saltem, qui distractus est ad alia objecta, nisi insuper aliquid in tali intellectu producatur. 3. Etiam Deus dum nobis loquitur per suas illustrationes spirituales physice nos excitat, in nobis aliquid producendo, nempe gratiam illuminantem.

Nec dicas 1. sufficienter excitari intellectum audientis Angeli, quod facta simili directione species infusa in intellectu audientis repræsentet conceptum loquentis Angeli. Nam

Contra est 1. Quia jam supra negatum est, quod Angelus in creatione acceperit species rerum futurarum, consequenter & conceptuum Angelicorum futurorum, & sibi per locutionem aliquando manifestandorum: neque ulla necessitas fuit istas species infundendi in creatione, quia antequam tales conceptus & res futuræ existerent, non poterant ab Angelis cognosci, quando vero existebant, poterant ipsæ res vel in se intuitive cognosci, vel poterat ipse intellectus Angelicus per propriam virtutem species intelligibiles ab illis abstrahere. Vide etiam dicta superius n. 34.

Ex hoc capite etiam negatur Deum ſuppoſita ejusmodi ordinatione vel directione novas ſpecies infundere in intellectu Angeli audientis; *tum*, quia iſtæ ſpecies ſunt inutiles ob rationem indicatam, *tum* etiam, quia in ſimili caſu non tam Angelus ordinans ſuos conceptus ad alterum, quam Ipſe Deus infundens ejusmodi ſpeciem loqueretur, cum Deus per ſpeciem ſuam infuſam phyſice excitaret, Angelus vero ordinans & dirigens ſuos conceptus ſe haberet tanquam mera conditio & remotio impedimenti, quod Deum impediebat, ne alterum Angelum per ſpeciem jam antecedenter infuſam in creatione vel de novo infundendam excitaret.

Rejicitur 3. Specialiter explicatio Thomiſtarum. Quia locutio Angelica eſt formaliter actus intellectus; atqui in ſententia Thomiſtica eſſet potius actus voluntatis; eſſet enim ordinatio conceptus loquentis ad audientem, quæ ordinatio juxta Thomiſtas eſt actus voluntatis: ergo. M. prob. Loqui eſt exprimere ſuum conceptum internum, quod pertinet ad intellectum: ita etiam in divinis Pater æternus loqui dicitur expreſſione & productione Verbi, quæ eſt actus intellectus, non vero ſpiratione Spiritus Sancti, quæ eſt actus voluntatis. Locutio quoque humana non conſiſtit in actu voluntatis ordinantis verbum ſenſibile ad audientem, ſed in ipſa expreſſione verbi vocalis repræſentantis verbum mentale. Adde PP. S. Chryſoſtomum, Theodoretum, Theophilactum, qui apud Fraſſen in illa verba D. Pauli *ſi linguis hominum loquar & Angelorum*, dicunt linguam Angelorum eſſe intellectum, conſequenter & locutio eſt actus intellectus.

Ob. 1. Loqui ex communi acceptione eſt explicare alteri con- 46
ceptus ſuos; atqui hæc explicatio fit per directionem illam conceptus proprii ad alterum: ergo. R. D. M. eſt explicare alteri conceptus ſuos cum excitatione formali alterius ad audiendum c. M. ſecus n. M.

Ob. 2. Loquimur Deo, quin phyſice ipſum excitemus, aliquid producendo in eo: ergo etiam ſic loquitur Angelus Angelo, præciſe ordinando ſuos conceptus ad alterum, ſicut & nos, dum Deo per orationem loquimur, noſtra deſideria ad Deum ordinamus.

R. N. c. & paritatem. Deus ſemper attendit omnibus, & ideo nulla indiget excitatione formali in ſe ad attentionem conciliandam, ſed ſufficit excitatio objectiva in nobis, quia ſtatim ac fit aliquis con-

 ceptus

ceptus intellectualis, vel motus voluntatis in nostra mente, Deus ipsum necessario videt, vel verius per totam æternitatem jam prævidit. Angeli vero non omnia semper considerant, nec necessario attendunt, etiamsi objectum existat per se potens & aptum, ut cognoscatur, quia possunt totam vim suam intellectivam aliis objectis impendere, ut dictum est articulo præcedente: atque adeo ut attendant ad loquentem necessaria est vis aliqua eos provocans ad attentionem. 2. Deus ob immutabilitatem suam non potest physice excitari, sicut Angeli, qui sunt Creaturæ: igitur excitationem physicam petimus solum in Creatura ejus capaci, non vero in Deo, qui ejus est incapax.

§. II.

Statuitur nostra sententia.

47 Assero: Locutio Angelorum fit per veram excitationem physicam in intellectu Angeli audientis, seu fit per hoc: quod unus Angelus ex imperio voluntatis suæ producat in intellectu alterius Angeli passive se habentis speciem impressam, vel expressam objecti, de quo fit locutio. Scotus 2. d. 9. q. 2. n. 15. & 20. ac SScotæ communiter.

Prob. 1. Hoc systema Scotisticum explicat aptissime illa, quæ circa locutionem sunt explananda: ergo. Prob. 1. In hoc systemate habetur physica excitatio audientis per speciem &c. in eo productam. 2. Hæc excitatio fit ab ipso loquente, & quidem liberaliter, seu libere, dum eam imperat voluntas. 3. Ex hoc etiam habetur, quomodo unus Angelus pro libitu possit loqui uni, & non alteri, in uno producendo speciem, & non in altero: quia ejusmodi productio juxta dicenda dependet a libertate Angeli loquentis. 4. Loquens etiam directe audienti notificat ipsam rem, & objectum, cum in sententia Thomistica, & RRorum tantum immediate notificetur cognitio habita de objecto, & mediate ac indirecte solum objectum; juxta Scotistas vero immediate producitur cognitio, vel species repræsentativa ipsius objecti, de quo est locutio; sicut & per locutionem humanam immediate exprimitur res & objectum, de quo est locutio, non vero cognitio talis objecti. Et si quid aliud ad veram locutionem requiritur, id in hoc systemate reperitur, prout per decursum patebit; ergo.

P. 2.

P. 2. Ratione Doctoris noſtri : Angelus loquens alicui intellectualiter, intendit eum, cui loquitur deducere in cognitionem objecti illius, de quo fit locutio : adeoque, ſi cognitionem talis objecti in intellectu audientis producere poſſet, illam cenſetur velle producere; atqui ſic unus Angelus cognitionem objecti in intellectu alterius Angeli producere poteſt : ergo. m. prob. Intellectus etiam Angeli A. imbutus ſpecie intelligibili Petri poteſt in ſeipſo producere cognitionem Petri : ergo etiam poteſt producere talem cognitionem in intellectu Angeli B. ſi hic ſit debite applicatus, id eſt, intra ſphæram activitatis Angeli A. c. prob. 1. quia Angelus A. & Angelus B. habent intellectum capacem talis intellectionis, & ipſa cognitio Petri in intellectu A. & B. poteſt eſſe ejusdem rationis. 2. Quia etiam intellectus Angelicus poteſt recipere in ſe cognitionem a ſolo Deo productam, ut in Animaſtica docemus; ergo etiam unus intellectus Angelicus poteſt recipere intellectionem ab altero intellectu Angelico productam. 3. Neque obſtat, quod intellectio ſit actus vitalis, nam hoc optime ſalvatur, eſto non recipiatur in ipſo intellectu, a quo efficitur, ſed in alio, ut in objectionibus dicetur. 4. Unus Angelus alterum illuminare poteſt, ut dicetur §. ſequenti; ſed hæc illuminatio fit, quatenus Angelus illuminans in altero producit notitiam objecti a ſe cogniti : ergo. Ex his

Deduces 1. Etiam intellectum Angelicum poſſe producere ſpe- 48
ciem intelligibilem v. g. Patris in intellectu alterius Angeli : quia eſt par ratio. Sed ſi ſolam ſpeciem intelligibilem producit in altero Angelo, tunc tantum imperfecte ei loquitur, perfecte vero ſi vel cognitionem ipſam objecti, de quo loquitur, vel ſpeciem intelligibilem & cognitionem ſimul producat.

Deduces 2. Locutionem Angelicam eſſe formaliter actum intellectus, præſuppoſitive vero tanquam conditionem importare actum voluntatis imperantis Ratio eſt; quia intellectus immediate efficit conceptum objecti in audiente, & voluntas ſolum applicat intellectum.

Deduces .3 Intellectum non alligatum ſenſibus ſpecie impreſſa objecti fæcundatum eſſe cauſam adæquatam intellectionis producendæ in ſe & alio intellectu pariter non alligato ſenſibus. Dixi : *Intellectum*, non cognitionem talis intellectus : etenim ratio Scoti ſolum procedit de intellectu ſpecie intelligibili imbuto, non vero de intellectione; ut conſideranti patet.

Dedu-

Deduces 4. Intellectum Angeli loquentis habere rationem linguæ, quatenus alium intellectum phyfice excitat per efformatam in eo fpeciem impvel expreffam objecti. Intellectus vero Angeli audientis habet rationem auditus, quatenus recipit cognitionem objecti ab Angelo, & per eam tendit in objectum.

49 Objic. 1. Oculus Petri non poteft in oculo Pauli producere actum vifionis: ergo neque Intellectus Michaëlis poteft in intellectu Gabrielis producere actum intellectus. R. N. c. quia intellectus eft magis activus, quam potentia corporea.

Objic. 2. Intellectus Angelicus non poteft in altero Angelo vifionem beatificam producere: ergo neque aliam intellectionem. R. N. c. quia lumen gloriæ eft datum tantum ad formandam vifionem beatificam in illo intellectu, in quo tale lumen exiftit, & quia Deus non cenfetur velle concurrere ad productionem vifionis beatificæ in alieno intellectu.

Objic. 3. Neque nofter intellectus in intellectu Angelico, neque hic poteft immediate in noftro intellectu producere intellectionem: ergo. R. N. c. Nofter intellectus nunc alligatur Phantafmatibus: hinc neque hic in illum immediate agere poteft.

Objic. 4. Si noftra fententia eft vera, tunc etiam poffet dici, quod voluntas Michaelis in voluntate alterius Angeli poffit producere volitionem; atqui fequela videtur effe abfurda: ergo. M. patet a pari. m. prob. poffet unus Angelus in voluntate alterius eo repugnante producere actum v. g. odii, & fic una Creatura poffet alteram naturaliter cogere in actibus liberis, quod plane abfurdum eft. Refpondet Delgadillo cum aliis concedendo majorem, neque putat abfurdi aliquid inde fequi. Ego vero cum reliquis Scotiftis n. M. & paritat. Creata enim voluntas videtur naturaliter exigere ob fuam libertatem, ut omnes actus naturales in ea recepti ejus dominio fubdantur non folum quoad tendentiam in objectum, fed etiam quoad productionem. 2. Intellectio in altero intellectu habet fuum finem naturalem, & utilitatem, ut fic congrue poffet exerceri locutio Angelica; volitio vero producta in voluntate alterius Angeli effet prorfus fruftranea, & ad nihil utilis: ergo naturaliter faltem non poffet produci ejusmodi volitio in voluntate aliena: quia natura nihil facit fruftra.

Objic. 5. Implicat, quod hic ignis calefaciat per calefactionem non a se, sed ab alio igne productam: ergo etiam implicat, intellectum intelligere per intellectionem non a se, sed ab alio intellectu productam. R. 1. Retorq. arg. Non implicat, quod aqua calefaciat per calorem non a se, sed ab alio, nempe ab igne productum: ergo etiam non implicat intellectum intelligere per intellectionem non a se, sed ab alio intellectu productam.

R. 2. D. a. Et hoc ideo, quia calefacere nihil aliud esset, quam calorem producere tr. a. si esset aliquid aliud n. a. & c. intelligere non est præcise producere intellectionem, alias etiam Deus producens in nobis internam illustrationem, vel cognitionem, per eam intelligeret: sed tunc intelligit intellectus, quando per intellectionem sive a se, sive ab alio ente productam, in se receptam vitaliter tendit in objectum.

Objic. 6. Si posset unus Angelus in intellectu alterius intellectionem producere, tunc id posset etiam sine imperio voluntatis; sequela est contra nos: ergo. M. prob. quia intellectus in seipso cum sola specie impressa ac sine imperio voluntatis potest producere cognitionem objecti; item intellectus est potentia necessaria, adeoque non indiget concursu voluntatis: ergo. R. N. M. & ejus prob. Ratio negandi est: 1. quia plura requiruntur, ut intellectus aliquid producat extra se, quam intra se: & hinc ut agat intellectus ad extra, requiritur applicatio ejus per voluntatem facta. 2. Intellectus est quidem potentia naturalis & necessaria, spectata quoad ejus actum primarium & intellectionem ad intra, ad quam non necessario exigit imperium voluntatis: Nihilominus intellectus habens intellectionem pendet a voluntate quoad continuationem & conservationem ejusmodi cognitionis: siquidem voluntas potest intellectum avocare ab ulteriore consideratione objecti: taliter etiam intellectus Angelicus a voluntate dependere potest quoad productionem in alio intellectu.

Objic. 7. Cognitio est actus vitalis: ergo petit naturaliter produci ab illo principio, in quo recipitur. R. C. a. n. c. in tantum actus dicitur vitalis, in quantum potentia vitalis per ejusmodi actum percipit objectum, neque ad rationem actus vitalis aliquid aliud videtur desiderari; si vero actus vitalis interdum videtur exigere ita produci a potentia, in qua recipitur, ut a nulla alia possit procedere,

id non provenit a vitalitate, sed ex eo, quia nulla adsit causa secunda, quæ tunc talem actum producere, & in potentiam vitalem transmittere valeat; adde, quod Deus habeat actus vere vitales, nempe intellectionem & volitionem, quin eos producat.

Dices: Tendere in objectum per intellectionem, est illam producere: ergo Angelus non potest tendere in objectum per intellectionem ab alio Angelo, & non a se productam. R. N. a. nam tendentia in objectum non est effectus in genere causæ efficientis, qui per productionem solum causatur, sed in genere causæ formalis, qui habetur per meram sui præsentiam & unionem in subjecto: ita dum albedo unitur muro etiam ab agente extrinseco, & distincto, tamen formaliter denominat murum album, pariformiter dum intellectio etiam ab Angelo A. producta, unitur intellectui Angeli B. potest Angelum B. denominare formaliter intelligentem.

Objic. 8. Non potest explicari, quomodo unus Angelus producat in altero notitiam; non enim producit per intimam præsentiam illabendo in substantiam alterius Angeli: hic enim illapsus est soli Deo proprius. Neque etiam agit in distans, quia species vel intellectio per medium transire non possunt: ergo. R. N. a. Angelus enim unus potest agere in distans, quin agat in medium, ut Philosophia nostra docet; potest etiam loqui, illabendo suo modo in substantiam alterius Angeli: nam cum duo Angeli sint quantitatis expertes, possunt in eodem loco esse intime præsentes.

Dices: Ergo Angelus posset alteri loqui in infinitam distantiam, cum ejus locutio a medio & situ non dependeat? R. N. illatum. Quilibet enim Angelus habet determinatam sphæram activitatis suæ, extra quam agere non potest: talem enim sphæram limitatam exigit limitatio & finitudo creaturæ Angelicæ.

Objic. 9. In nostra sententia non posset Angelus uni secreto loqui, quin alii Angeli præsentes intelligerent talem locutionem; hoc videtur esse contra rationem locutionis: ergo. R. D. M. Quin alii intelligant, id est, naturaliter videant actum locutionis & intellectionis in alio Angelo productum c. M. quin alii audiant ejusmodi locutionem n. M. Esto enim alii, qui præsentes sunt, videant naturaliter secreta tam loquentis Angeli, consequenter & locutionem unius, & auditionem alterius, tamen nullus ex illis dicitur audire, nec alicui ex illis dicitur loqui ille, qui loquitur: ratio est; quia illi

solum loquitur Angelus A. in quo *libere* imprimit & producit speciem vel intellectionem, & quem sic voluntarie excitat: non autem loquitur illi, qui tantum naturaliter intelligit ejusmodi intellectionem, & actum impressum alteri; hic enim, qui naturaliter sic intelligit actum alteri impressum, tantum nudam habet speculationem, non autem vere audit, quia non est libere excitatus a loquente.

R. 2. Tr. M. n. m. Quia ad locutionem, præsertim Angelicam non requiritur essentialiter ut sit secreta, ut colligitur ex dictis n. 25. atque homo ille vere loquitur, qui habet vocem clamorosam etiamsi intelligatur a præsentibus, illis quoque, ad quos non direxit suam locutionem.

Objic. 10. Locutio debet esse ignoti manifestativa; atqui in sententia Scoti, in qua Angelus cognoscit secreta cordium, locutio non esset de ignotis, sed de secretis jam cognitis: ergo. R. N. M. Nam etiam de notis nos loqui possumus. Adeoque hæc conditio non est essentialis omni locutioni, vide hanc objectionem jam solutam n. 26.

Objic. 11. In nostra sententia Angelus malus non posset alteri Angelo mentiri; sequela est falsa: nam Joan. 18. expresse Diabolo tribuitur mendacium: ergo. M. prob. Angelus enim non posset in altero formare alium conceptum, quam omnino conformem suo conceptui, consequenter non loqueretur contra, sed juxta mentem suam: ergo. R. N. M. Posset enim Angelus de eodem objecto formare duplicem conceptum, & quidem secundum oppositum & difformem primo, huncque secundum conceptum per locutionem & productionem cognitionis alteri Angelo ita significare, quasi revera talis conceptus secundus esset primus, quem habuisset de objecto, cum tamen non esset primus, nec primo conceptui conformis: quo in casu mentiretur, seu contra mentem suam & conceptum suum loqueretur, & alter etiam deciperetur, si solum persisteret in receptione intellectionis impressæ a loquente, & se tantum converteret ad objectum talis intellectionis impressæ. Quodsi vero alter, seu audiens Angelus etiam intueretur mentem ipsam & secreta loquentis Angeli, tunc deprehenderet quidem ipsum fallaciter agere, quod tamen non obstaret mendacio: sicut adhuc ille homo dicitur mentiri, qui deprehenditur, & certo scitur fuisse locutus contra mentem, ut non raro accidit.

Ob. 12. Locutio exigit ita excitari audientem, ut is possit pro libitu attendere, vel non attendere loquenti; atqui hoc non fit in nostra sententia, in qua impressam intellectionem necessario recipit audiens, & sic ad attendendum necessitatur: ergo. R. N. M. Nam hæc conditio iterum non est necessaria, ut patet in locutione clamorosa, quæ vera est locutio, & tamen ita excitat audientem, ut necessario eam percipiat.

Objic. 13. Ad locutionem requiritur, ut audiens cognoscat, quis loquatur: hæc enim cognitio est necessaria, ut audiens sciat, cui respondere; atqui hæc conditio in Scoti sententia non adest; imprimitur enim tantum cognitio & species objecti, de quo fit locutio, non vero ipsius loquentis: ergo. R. 1. N. m. Nam Angelus audiens non tantum per cognitionem impressam cognoscit objectum, de quo fit locutio, sed etiam, si vult, potest se convertere ad ipsum Angelum, qui locutus est, & videre in illo volitionem manifestandi tale objectum, & similem intellectionem talis objecti; ex quibus utique colligere potest, hunc Angelum fuisse locutum. Idem est, si plures Angeli uni fuissent locuti, vel in uno produxissent ejusmodi conceptum.

R. 2. N. M. Nam, ut recte dicit Frassen, ad veram locutionem non exigitur, ut audiens cognoscat distincte, quis ipsum alloquatur. Potest enim aliquis nos alloqui interposito obstaculo, quem ideo non noscimus, & nihilominus talis proprie, & vere loquitur. Sufficit ergo ad veram locutionem, ut cognoscat objectum, de quo fit locutio, nec est necessarium, ut loquens etiam distincte ab audiente sit cognitus.

Objic. 14. Locutio vere & proprie talis gignit fidem, sed locutio Angelica in Systemate Scotistico non gignit fidem: ergo. M. constat a pari de locutione humana. m. prob. quia Angelus audiens potest scire tam loquentem, quam rem, de qua fit locutio. R. 1. N. M. Quia non est semper necessarium, ut locutio pariat fidem, ut tunc contingit, quando sermo est, etiam inter homines, de re jam clare nota, posito, quod illa sententia subsistat, quæ dicit, fidem non posse stare cum scientia: ex cujus supposito hæc objectio procedit.

R. 2. N. m. Nam locutio humana solum regulariter parit fidem de illo objecto, de quo fit locutio; non vero de ipsa locutione; hæc enim

enim physice sciri potest: ita quoque locutio Angelica potest parere fidem de objecto, de quo est locutio, saltem si illud aliunde non sit evidenter cognitum, non vero de locutione, quæ intuitive videtur.

Objic. 15. In Scoti sententia Angelus non posset pluribus simul loqui: nam Angeli virtus est finita; ergo non posset pluribus sine fine imprimere cognitionem aliquam; atqui sequela videtur esse absurda, quia etiam homo potest pluribus simul loqui.

R. N. sequelam. Angelus enim potest pluribus simul, sed in numero & spatio finito ac determinato existentibus loqui, non vero infinitis. Ratio est, quia virtus finita, qualis est productiva intellectionum in Angelo, postulat effectus nedum determinatos secundum speciem, sed etiam secundum numerum, si *simul sint producendi.* Etenim licet tales cognitiones producendæ in aliis Angelis sint effectus ejusdem rationis, quorum quilibet non exigit majorem aut aliam virtutem in causa; tamen quo magis applicatur ad plures simul & semel producendas, eo magis minuitur, & consumitur ex ipsa simultanea applicatione, & tandem penitus exhauritur per nimiam productionem simultaneam ejusmodi intellectionum. Unde fit, ut quo plures simul intellectiones intellectus unus producat, eo etiam producat imperfectiores. Quare non potest plures in infinitum *simultanee* efficere sive in se, sive in alio intellectu.

Quæres: quænam circa illuminationem Angelorum sint notanda? R. Sequentia. 1. Illuminatio est locutio, qua unus Angelus manifestat veritates excellentes, a Deo acceptas. Nec aliud vult dicere Scotus, dum illuminationem Angelicam definit: 2. d. 9. q. 2. n. 25. *Quod illuminatio Angelica sit quædam locutio de vero perfectiva in esse secundo.* Vocat enim Scotus illuminationem *perfectivam de vero*, quia non est de qualibet veritate obvia, naturaliter nota, sed de excellenti, ac naturaliter ignota, quam alii Angeli ex speciali revelatione a Deo hauserunt. 2. Datur in Angelis illuminatio. Communis Theologorum contra Durandum. Ita enim docent SS. PP. Dionysius de cœlesti Hierarchia c. 7. S. Ambrosius libro de communi Essentia. SS. Damascenus & Bernardus Serm. 5. de consideratione c. 4. Ratio est: quia ordini universi congruit, inferiores substantias per Superiores illustrari. 3. Saltem per omnipotentiam divinam Angelus inferior Superiorem illuminare potest. D. 2. d. 9 q. 2. §. *ad*

aliam quæstionem. Cur enim Deus non possit specialem notitiam communicare inferiori Angelo cum potestate eam communicandi Superioribus?

Dissertatio III.

DE VOLUNTATE, GRATIA, MERITO, AC DEMERITO, BEATITUDINE, ET DAMNATIONE ANGELORUM.

Articulus I.

De voluntate Angelica.

§. I.

Præmittuntur faciliora.

51 Resolvo 1. In Angelis certo dari voluntatem. Ratio hujus est 1. Quia S. Scriptura Angelis frequenter tribuit operationes voluntatis. Sic unus Angelus ad alios Angelos tanquam voluntate libera præditos clamabat: *nolite nocere terræ & mari.* & 1. Petri c. 1. indicat in Angelis esse desiderium; *in quem desiderant Angeli prospicere*; atqui desiderium est actus voluntatis. 2. Angeli potuerunt mereri, & demereri, sed meritum & demeritum sunt actus voluntatis. 3. Angelus habet intellectum: ergo & voluntatem, quia omni rei naturaliter inest suus appetitus ad bonum sibi proportionatum, rebus quidem inanimatis inest appetitus innatus & naturalis, animalibus sensitivis appetitus sensitivus, Entibus intellectu donatis appetitus rationalis, seu voluntas, essetque valde inconveniens, quod natura intellectualis bonum sibi conveniens posset cognoscere, non tamen posset illud amare, vel de illo gaudere.

52 Resolvo 2. Voluntatem Angelicam etiam esse liberam libertate indifferentiæ. Est certum, ac de fide. Nam Angeli fuerunt capaces præcepti, meriti, & demeriti: quæ omnia exigunt liberum arbitrium. Idem docent SS. PPres S. Basilius L. de S. Spiritu c. 16. de Angelis bonis

bonis ait: *habentes in eligendo liberum arbitrium, nunquam ab ejus, qui vere bonus eſt, conſortio excidentes.* Et de malis Angelis dicit: *quorum defectio comprobat, quod dicimus, Virtutes inviſibiles eſſe ſui arbitrii.* Quod idem eſt dicere, ac ex merito & demerito Angelorum rite deduci eorum liberum arbitrium, ſeu libertatem indifferentiæ. Subſcribunt D. Auguſtinus *L.* 22. *de civit. c.* 1. Gregorius Nyſſenus *L. de oratione Dominica.* ac S. Damaſcenus.

Reſolvo 3. Voluntatem Angelicam eſſe ita liberam, ut vi ſuæ 53
libertatis naturalis poſſit ab omni omnino actu ceſſare. Herincx, Fraſſen. Ratio eſt 1. quia nihil poteſt aſſignari, neque objectum, neque cognitio objecti, neque aliquid aliud, quod neceſſitaret voluntatem Angelicam ad neceſſario habendum aliquem actum, loquendo ſaltem de voluntate Angeli nondum Beati. 2. Quia magis commendatur dominium in ſuos actus, & libertas voluntatis Angelicæ, ſi ea poſſit ceſſare ab omni actu.

Poſſet autem hujusmodi ceſſatio dupliciter fieri, vel per puram omiſſionem liberam, vel poſitive, ut ſi voluntas in inſtanti A. imperaret ſibi pro inſtanti B. ceſſationem ab omni actu: vi talis imperii in inſtanti B. ceſſarent omnes actus voluntatis etiam actus prior imperans, qui exſtitit pro inſtanti A.

Dices: Voluntas Angelica non haberet ſufficiens motivum vel finem ceſſandi ab omni actu: ergo. R. N. a. Sufficiens motivum & finis foret exercitium libertatis, vel alius Angelo cognitus, etiamſi nobis non conſtaret. Ex quo

Deducis; Angelos ex natura ſua non neceſſario diligere ſeipſos; aut Deum ut finem naturalem. Rationem 1mam miniſtrant immediate dicta: quia voluntas Angeli poſſet amorem talem omittere, vel pure, vel ex imperio voluntatis ſuæ, cum poſſit omnem actum ſic omittere. 2. Dato, non conceſſo, quod voluntas Angeli ſemper debeat habere aliquem actum ſub disjunctione, id eſt, vel hunc, vel alium; non tamen debeat neceſſario habere amorem ſui vel Dei: tum, quia Angeli non ſemper neceſſario cogitant de Deo, & de ſeipſis, ut dictum eſt ſuperius. Tum, quia etſi neceſſario ſemper de ſe & Deo cogitarent, tamen nihil eſſet, quod ipſos neceſſario determinaret ad actum talis dilectionis: nam Angelus habet bonitatem limitatam, quæ non neceſſitat ſaltem phyſice ad amorem; Deus vero habet quidem bonitatem infinitam, ſed ab Angelis viatoribus non

intui-

intuitive sed tantum modo finito cognitam; hæc autem resolutio, uti & prior tantum loquitur de Angelis viatoribus, vel secundum suam vim naturalem consideratis, præscindendo a statu beatitudinis: nam quomodo Angeli beati necessitentur ad amandum semper Deum, jam fuit dictum in Tractatu de Beatitudine.

54 Resolvo 4. Etiam in voluntate Angelica esse possibiles, & dari habitus naturales, saltem ex supposito, quod tales habitus dentur in voluntate humana. Ratio est: quia utrobique est par ratio, & ejusmodi habitus in voluntate quoque Angelica habent suum finem; serviunt enim ad hoc, ut actus majori cum facilitate, promptitudine, ac intensione producantur, præsertim si sint actus difficiliores, ut subjici alteri &c. Dixi tamen: *ex supposito, quod tales habitus dentur in voluntate humana.* Lis enim est inter DD. an aliquis habitus *naturalis* detur in voluntate: RRres passim negant, Scotistæ vero affirmant, prout ex Philosophia notum est.

§. II.

An Angeli habeant liberum arbitrium inflexibile?

55 Assero: Voluntas Angelica non est ex natura sua immobilis, vel inflexibilis in proposito semel suscepto, sed potest illud mutare, sive nova cognoscantur motiva, quæ prius non fuerunt perpensa, sive permaneat eadem cognitio & apparentia motivorum. Scotus 2. d. 6. q. 2. n. 17. & alibi. Cum SSc. Molina, Suarez, Vasquez, Okam, Valentia, Viva & communiori Scholasticorum, contra D. Thomam & Thomistas, existimantes, quod Angeli ante electionem alicujus rei vere sint liberi & indifferentes, post electionem vero immobiliter adhæreant illi extremo, quod semel elegerunt. Contra quos

Prob. Conclusio 1. S. Damascenus L. 2. de fide c. 3. ait: *Est ergo natura Angeli vertibilis secundum propositum, seu voluntate mutabilis; nam omne creatum vertibile est.* Idem dicunt apud Frassen S. Augustinus *L.* 22. *de Civitate Dei. c.* 1. S. Prosper. *l.* 1. *de vita contemplativa c.* 3. S. Isidorus, S. Fulgentius *L. de fide ad Petrum c.* 3. Rupertus *L.* 5. *in cap.* 5. *Joan.* Qui inflexibilitatem bonorum Angelorum in bono adscribunt gratiæ divinæ, non naturæ liberi arbitrii: ergo.

Prob.

Prob. 2. Juxta Thomiſtas dæmones in primo inſtanti amarunt Deum ſuper omnia, habueruntque propoſitum ſervandi omnia præcepta & legem divinam, & in ſecundo inſtanti peccarunt, propoſitumque illud, & amorem Dei retractarunt: ergo Angelorum voluntas ex natura ſua non eſt immutabilis in propoſito, & actu electo.

Nec dicas: Primum actum Angelorum in primo inſtanti elicitum, non fuiſſe in plena libertate. Nam contra eſt; ille actus primus amoris ſecundum ſententiam D. Thomæ fuit meritorius: ergo etiam plene liber: & plane neque ex parte intellectus, neque ex parte voluntatis plene indifferentis aliquid defuit ad talem actum etiam in primo inſtanti plene libere eliciendum, ut dicetur n. 64.

Confirm. Tam Angeli boni, quam mali nunc etiamnum ſolent mutare ſua propoſita & electiones: mali deſiſtunt a tentationibus, dum vident eas potius prodeſſe, quam obeſſe; boni vero deſerunt eos, quos a vitiis fruſtra avertere conati ſunt: ergo.

Prob. 3. Voluntas Angelica ab initio libere eligit tale objectum, ita, ut poſſet non eligere: ergo etiam poſtea continuat libere talem electionem, ita, ut poſſet non continuare. Certe ſi motiva ab initio non neceſſitarunt voluntatem, ut electionem, vel propoſitum ejusmodi faceret, tunc neque neceſſitabunt, ut poſtea continuet, vel non retractet. Idem eſt de novis motivis; nam quæcunque motiva proponantur ex parte intellectus, voluntas etiam Angelica manet ſemper indifferens ad electionem ſuam faciendam, aut continuandam, vel non faciendam, aut non continuandam.

Prob. 4. Inflexibilitas voluntatis Angelicæ in malo potius imperfectio, quam perfectio foret: ergo ea non eſt adſtruenda.

Ob. 1. Intellectus Angelicus immobiliter adhæret illis, quæ in- 56
telligit, & judicat: ergo etiam voluntas Angelica immobiliter adhæret illis, quæ ſemel libere elegit: conſequentia patet, quia voluntas ſequitur intellectum, & modum Ipſius operandi imitatur. M. prob. Angelus apprehendit concluſiones in principiis: hinc judicat de concluſionibus, ſicut homines de primis principiis; atqui homines primis principiis immobiliter adhærent: ergo & Angelus ita adhæret omnibus, quæ apprehendit & judicat.

R. 1. N. a. Angelus enim non omnibus, quæ judicat, immobiliter adhæret, præſertim rebus inevidentibus: deinde illa quoque, quæ evidenter eſſent cognoſcibilia, ab Angelo non ſemper actu, &

pari attentione intelliguntur, cum poffit modo ad hæc, modo ad illa objecta, nunc ad iftas, nunc ad alias rerum circumftantias aciem intellectus intendere. Neque cognofcit conclufiones in principiis, fed habet virtutem difcurfivam, quæ poteft conclufiones deducere ex principiis.

R. 2. tr. a. n. c. Angelus non obftante judicio intellectus fuit liber in prima electione, ita, ut eam potuiffet non habere: ergo etiam non obftante eodem judicio intellectuali manet liber quoad continuationem & confervationem talis intellectionis, adeo, ut eam pro libitu poffit non continuare. Ratio rationis: quia libertas indifferentiæ confiftit in hoc, ut voluntas pofitis omnibus ad agendum requifitis, inter quæ eft etiam cognitio & judicium intellectus, poffit agere vel non agere, continuare actum, vel abrumpere: adeoque Judicium intellectus minime determinat voluntatem ad hoc determinate agendum, vel continuandum.

Objic. 2. Quo præftantius eft lumen, vel cognitio intellectus, eo tenacius voluntas objecto cognito adhæret: atqui lumen intellectus Angelici eft maximum: ergo & adhæfio eft tenaciffima. R. D. M. Ita tamen, ut voluntas poffit adhuc pro libertate fua fimpliciter non adhærere objecto c. M. fecus n. M. Hæc ratio tantum probat, quod Angeli folum non tam facile, ficut homines, propofitum vel electionem fuam mutare valeant, non autem evincit, quod omnino fint inflexibiles in femel cæpto propofito.

Objic. 3. Homines conftantes non mutant propofitum ex plena deliberatione conceptum, nifi nova occurrat ratio mutandi, atqui Angelis omnia comprehendentibus non poteft nova occurrere ratio mutandi propofitum: alias enim effent inconftantes, & leves: ergo. R. 1. Retor. arg. Ergo neque Angeli mali potuiffent mutare fuum propofitum bonum, quod ab initio habuerunt. R. 2. N. M. nam homines Sapientes absque nota inconftantiæ mutant prudenter propofitum malum, etiam ex plena deliberatione conceptum: ergo etiam fic Angeli mali prudenter mutarent propofitum malum. R. 3. Etiamfi homines ejusmodi propofitum non mutent, mutare tamen poffunt: ergo etiam Angeli. R. 4. Angeli fuerunt capaces peccati: ergo etiam funt capaces inconftantiæ. Ex his apparet, quid in forma ad fimile argumentum refponderi debeat.

Objic. 4. Voluntas Angelica eſt perfectiſſima : ergo inflexibiliter adhæret ſuis electionibus: id enim requirit ejus perfectio. R. N. c. quo perfectior eſt, eo ſimul eſt liberior voluntas Angelica, proinde eo magis poteſt moderari ſuas electiones & propoſita: imo ejus perfectio videtur exigere, ut non ſit immobilis in ſuis propoſitis; alias etiam neceſſario in propoſito malo ſemel cæpto permanere deberet, quod imperfectum eſt.

Objic. 5. Adhæſio ad finem ultimum, ſeu intentio illum conſequendi eſt principium omnium electionum, ſed Angelus immobiliter adhæret fini ultimo, quem ſibi deſtinavit, conſequenter & omnibus aliis rebus, quatenus ad illum ordinantur: ergo. R. 1. N.M. quia non eſt neceſſarium, ut prima omnium volitio ſit circa ultimum finem; nam etiam quoad hanc volitionem, & intentionem creatura eſt libera, ut eam poſſit elicere, vel non elicere. R. 2. N. m. quia etiam Angelus Viator primam intentionem, qua in Deum, ceu ultimum finem, ferebatur, potuiſſet retractare per actum peccaminoſum, ſicut revera mali Angeli retractarunt. Quod autem Angeli boni in ſtatu beatitudinis non amplius retractent, non ex natura voluntatis Angelicæ, ſed ex dono gratiæ divinæ venit.

Objic. 6. Si Angeli eſſent mutabiles, tunc etiam Angeli mali poſſent pœnitentiam agere; ſed non poſſunt amplius pœnitentiam agere: ergo. R. D. M. poſſent agere pœnitentiam naturalem, conſiſtentem in retractatione & deteſtatione ſuorum peccatorum, loquendo de potentia phyſica c. M. poſſent modo exiſtentes in termino & ſtatu damnationis agere pœnitentiam ſalutarem, vi cujus obtinerent remiſſionem peccatorum & pœnarum n. M.

Objic. 7. Si ad libertatem ſpectaret poſſe mutare ſuum propoſitum ſtante eadem cognitione, tunc etiam Deus, tanquam ens maxime liberum, poſſet mutare ſua decreta; ſequela eſt falſa: ergo. R. 1. Retorq. arg. Deus illa, quæ vult pro inſtanti A. poteſt nolle pro inſtanti B, etſi cætera ſint in eodem ſtatu: ergo etiam Angelus poteſt pro inſtanti A, velle hoc objectum, & pro inſtanti B nolle, etſi cognitio & omnia pro utroque inſtanti ſint paria. R. 2. N. M. Deus enim ratione ſuæ infinitatis eſt eatenus immutabilis, quatenus illa, quæ nunc vult pro hoc inſtanti, jam ab æterno per actum æternum voluit pro hoc inſtanti: creatura vero, quia eſt finita, & poteſt actum poſt actum habere, poteſt nunc per hunc a-

ctum pro hoc instanti aliquid velle, & instanti sequenti hunc actum omnino omittere.

§. III.

Expediuntur aliqua dubia.

57 Quæres 1. An Angeli mali in mora illa, quæ intercessit inter peccatum Diaboli & ejus damnationem, potuerint pœnitentiam agere? R. Affirmative. Scotus 2. *d.* 6. *q.* 2. *n.* 17. hinc post peccatum primum Angeli mali saltem aliqualiter adhuc duravit status viæ Ejus. Verba Scoti sunt: *Dico, quod, quando peccavit Angelus secundo peccato, adhuc fuit in via, & per consequens quando peccavit secundo peccato potuit pœnitere; & ita primum peccatum ex se non fuit irremediabile, quia si pœnituisset, invenisset veniam & misericordiam.* Cum Scoto sentiunt Gabriel Delgadillo, Herincx, & hoc teste plures alii contra alios.

Prob. 1. Authoritate. *Rupertus lib.* 1. *de victoria Verbi Dei c.* 21. dicit: *Illud datur intelligi, quod non statim in initio peccati de cœlo projectus fuerit, sed Ipsum quoque exspectaverit patientia Dei: ipse autem secundum duritiam suam, & impœnitens cor iram sibi thesaurizavit,* & affirmat Herincx D. Basilium aperte huic nostræ sententiæ favere.

Accedit ratio, quia status viæ videtur exigere, ut sicut Angeli mali fuerunt demeriti capaces, ita & meriti ac pœnitentiæ. Deinde Angelorum malorum arbitrium non erat simpliciter inflexibile, & gratia sufficiens sine ratione ipsis denegaretur; adeoque voluntarie per impœnitentiam finalem peccaverunt, & damnationem tandem incurrerunt.

Dices 1. SS. Patres videntur negare, quod Angeli post lapsum potuerint pœnitentiam salutarem agere: ergo. R. 1. Opponendo SS. PP. superius citatos. R. 2. Isti Patres dicunt, quod Angeli post lapsum consummatum & statum viæ finitum non possint amplius pœnitentiam salutiferam agere. Vel significant spatium pœnitentiæ fuisse adeo breve, ut moraliter pro nullo haberi, ac reputari posset; sicut illud, quod homini jamjam morituro, & ultimum fere spiritum tracturo adhuc superest.

Dices 2 Non est credibile, quod nullus ex tanto numero Angelorum pœnitentiam egisset, si potuisset per eam salutem consequi, & gratiam sufficientem habuisset. R. N. a. Nam magis mirum est,

quod

quod tanta multitudo tot donis naturalibus & ſupernaturalibus a Deo exornata tam enormiter peccarit, quam quod poſt lapſum non amplius egerit pœnitentiam, maxime, quia Angelica voluntas difficulter dimovetur ab illo, quod ſemel plene deliberate elegit: atque etiam merito Deus impœnitentiam finalem, ſubtrahendo gratiam efficacem finalem, in pœnam rebellionis tam horrendæ permiſit.

Quæres 2. An, & quomodo Angeli mali in termino, ſeu damnatione æterna exiſtentes ſint obſtinati in malo? 58

R. 1. Dæmones primo ſunt obſtinati negative, & privative, quatenus perpetuo carere debent pœnitentia *ſalutifera*, conſequenter ſemper manent in peccato habituali: quæ obſtinatio eſt referenda in ſubtractionem auxilii divini neceſſarii ad ſalutarem pœnitentiam. Herincx cum aliis. Ratio eſt: quia, ut ait D. Dionyſ. *L. de D. Nominibus c. 7. damnati carent omnibus divinis donis ob peccatum ſuum in via commiſſum.* Ob defectum gratiæ ſupernaturalis nullum quoque alium actum meritorium habere poſſunt damnati ſpiritus.

R. 2. Dæmones habent adhuc phyſicam, non tamen moralem libertatem ad actum naturalem moraliter bonum ponendum. Scotus 2. *d.* 7. *q. unica. n.* 24. Vaſquez, Viva & alii. Prob. 1. pars. Juxta D. Dionyſium de D. Nom. c. 4. Natura Angelica poſt peccatum manſit integra in naturalibus: ergo adhuc poſt peccatum & damnationem habet libertatem phyſicam, maxime, quia nihil poteſt oſtendi, quod in damnatione neceſſitatem huic phyſicæ potentiæ, & libertati contrariam Angelicæ naturæ imponeret. Neque dicendum eſt, quod Deus deneget concurſum ſuum ordinarium ad opus moraliter bonum: quia nulla ratione id probari poteſt; & non manſiſſent naturalia integra in Angelis malis, ſi concurſus generalis non eſſet iis paratus ad bonum, quod viribus naturæ facere poſſunt, quia etiam iſte concurſus, vel potius jus ad illum inter dona naturalia Angeli mali computari debet.

P. Etiam 2. pars: quod non habeant libertatem moralem ad actum bonum naturalem eliciendum & ad abſtinendum a peccato. Nam 1. ſunt deſtituti omni gratiæ divinæ auxilio. 2. pondere peccatorum ſuorum & peſſimorum habituum deprimuntur ſemper ad malum. 3. Accedit conſideratio graviſſimorum cruciatuum, qui a Deo vindice infliguntur, nec non deſperatio unquam evadendi has pœnas. Ex quibus omnibus ſimul junctis in voluntate dæmonum exurgit ra-

bies & odium adverſus Deum, ac impetus quidam in omne malum divinæ voluntati contrarium. Et tali modo obſtinantur & perſeverant in continuo peccato; quamvis enim phyſicam potentiam & libertatem haberent bene agendi, tamen ob prædictas rationes ſimul ſumptas nunquam per totam æternitatem bene moraliter agent, ſed ſemper peccabunt.

Dixi: *peccabunt*, nam odium Dei, furor, & alii actus moraliter mali, quos per totam æternitatem committunt, ſunt vere actus inhoneſti, moraliter mali. Ratio eſt: quia adhuc ſaltem cum libertate phyſica fiunt, quæ ſufficit ad bonum & malum morale. Nihilominus hi actus minime imputantur Angelis damnatis ad pœnam & demeritum; quia non amplius ſunt in via, ſed termino, ubi non amplius datur meritum, vel demeritum; ſicut & Beatis non amplius imputantur actus boni, quos in gloria eliciunt, ad præmiúm eſſentiale. Igitur damnati ex ejusmodi actibus malis reportant ſolum pœnam accidentalem, nimirum triſtitiam, quam ſecum affert culpa; quemadmodum Beati habent præmium accidentale, ſcilicet delectationem, quam percipiunt ex actibus ſuis honeſtis. Videantur Herincx *p. 2. diſp. 5. de ſtatu peccati & gratiæ Angelorum n. 47. & ſeq.* Fraſſen *tr. 2. diſp. 3. art. 3. q. 3.* Viva & alii.

Articulus II.

Quibus donis Angeli ſtatim in ſua creatione ſint inſtructi?

59 Conſtat, Angelos ex divino beneplacito non minus, quam homines eſſe creatos in hunc finem, ut Deum in æterna beatitudine videant, eoque fruantur per amorem beatificum. Certum inſuper eſt, ad hunc finem conſequendum per merita & actus ſupernaturales, Angelos indiguiſſe gratia ſupernaturali ſicut homines: ita enim docent SS. PP. apud Suarez, & conſentiunt Th. Th. ac ſuadet ratio: quia ad actus ſupernaturales eliciendos erant improportionatæ vires Angelicæ, ſibi ſolis relictæ, utpote mere naturales: debuit ergo illis ſuperaddi gratia ſupernaturalis. H. S.

§. I. An

§. I.

An Angeli sint creati in gloria, & Beatitudine cœlesti ac supernaturali?

Assero, & R. negative. Est certa, & communis sententia 60
PP. ac Theologorum, cum Scoto *2. d. 5. q. 2. n. 13. & ib.*

Prob. 1. Beatitudo supernaturalis de via ordinaria non potest amitti: ergo Angeli in creatione sua non habuerunt beatitudinem supernaturalem. c. prob. Angeli mali de facto non sunt beati, & boni potuissent esse non beati, quia potuissent peccare, & ob peccatum damnari: ergo vel Beatitudo supernaturalis est amissibilis, vel si non est amissibilis, tunc eam Angeli non habuerunt; quia alias eam amisissent multi, & reliqui potuissent amittere: ergo.

Prob. 2. Possidentes Beatitudinem supernaturalem sunt de via ordinaria impeccabiles, atqui Angeli non fuerunt impeccabiles quamdiu fuerunt in via: ergo quamdiu fuerunt in via non possederunt Beatitudinem supernaturalem. M. constat: quia aliqui eorum actu peccarunt, & aliqui potuissent peccare, ut dictum est, & dicetur amplius articulo sequenti.

Confirm. Saltem Angeli mali non sunt conditi in Beatitudine supernaturali: *tum*, quia alias Beatitudo fuisset amissibilis, *tum*, quia actu peccarunt: ergo neque Angeli boni fuerunt conditi in Beatitudine. c. prob. Angeli boni & mali in creatione sua fuerunt uniformes, & teste D. Augustino *l. 4. in Genesin*: *Deus non discernebat prius bonos a malis, quam essent discreti inter se*, scilicet per actus bonos, & malos ab ipsis Angelis elicitos: ergo si Angeli mali non fuerunt conditi in beatitudine supernaturali, tunc neque Angeli boni.

Objic. 1. SS. PP. Constanter affirmant, Angelos omnes fuisse 61
beatos ab initio: ergo. R. SS. PP. Loquuntur de beatitudine inchoata hujus viæ, scilicet de cognitione abstractiva Dei, vel fide in Deum, & amore Dei super omnia, qui in via adhuc haberi potest: non vero loquuntur de Beatitudine supernaturali & completa.

Objic. 2. D. Augustinus Angelis jam in creatione sua attribuit cognitionem matutinam, sed cognitio matutina est cognitio rerum in Verbo, & consequenter est beatifica: ergo. R. N. quod ista cognitio

gnitio matutina, quam Angeli statim in sua creatione habuerunt, sit vere beatifica; ut dictum est n. 42. quem vide. Diciturque ista cognitio matutina in Angelis viatoribus prior, quam vespertina, solum dignitate, non vero alia prioritate, quia fuit simultanea cum vespertina. Ita Herincx *p.* 1. *disp.* 5. *de Angelis n.* 3.

Objic. 3. S. Scriptura Ezechielis 28. de Lucifero in persona Regis Tyri dicit: *In deliciis Paradisi fuisti*; atqui esse in deliciis Paradisi est esse Beatum: ergo Lucifer fuit Beatus, consequenter in beatitudine conditus. R. Per delicias Paradisi intelligitur, quod Lucifer fuerit conditus in cœlo empyreo, tanquam loco amœnissimo; item intelliguntur cognitio Dei abstractiva clara, & amor Dei, sicut & reliqua dona tam naturalia, quam supernaturalia, quibus mali etiam Angeli in creatione sua a Deo sunt cumulati.

Objic. 4. Christus Dominus fuit simul Viator, & comprehensor, seu Beatus: ergo etiam Angeli potuerunt ita creari, ut simul essent Viatores & comprehensores, possent mereri, & simul esse in gloria. R. N. c. *Tum*, quia a Christo Domino tanquam Deo simul & homine, & capite, ac Rege Angelorum ad Angelos non est facienda paritas; *tum*, quia Christus Dominus qua homo fuit ita in via, & Beatitudine simul, ut non posset peccare, nec per peccatum perdere Beatitudinem: quod tamen non fuisset in Angelo; neque humanitas Christi debuit sibi mereri gloriam, sed tantum merita est eam aliis; Angeli vero debuerunt sibi Ipsis in via mereri gloriam.

Porro advertas, aliter homines, aliter Angelos fuisse in via; homo enim lapsus est in via tanquam exilio ob peccatum, Angeli boni nunquam fuere in exilio, quia nunquam peccaverunt, nec ab amore deflexerunt, viaque Eorum fuit brevissima, & quasi domi seu in Patria, ac cœlo empyreo peracta.

§. II.

An Angeli omnes fuerint in gratia creati?

62 Assero: Angeli tam boni, quam mali conditi sunt in gratia Sanctificante. Scotus hac in quæstione est problematicus; ut patet ex 2 d. 5. q. 1. & 2. Sicut & Alensis ac D. Bonaventura. Ex quibus D. Seraphicus magis in partem negativam propendet, tanquam tunc

tem-

temporis magis communem. Nobiscum sentiunt Herincx, Frassen, Viva & alii.

Prob. 1. Ex S. Scriptura. Ezech. 28. de Lucifero in figura Regis Tyri dicitur: *perfectus in viis tuis a die conditionis* (id est, creationis) *tuæ: donec inventa est iniquitas in te;* qui textus non loquitur de perfectione naturali, sed de supernaturali, seu gratia sanctificante: loquitur enim de tali perfectione, quæ tantum mansit usque ad peccatum Luciferi; atqui perfectiones naturales etiam manserunt post peccatum: ergo non de naturali, sed supernaturali gratiæ sanctificantis perfectione intelligi debet S. Scriptura; quæ proinde in Angelo statim in creatione ejus fuit, & mansit usque ad peccatum.

Prob. 2. Authoritate SS. PP. S. Aug. l. 12. de civit Dei c. 9. ait: *Deum creasse Angelos, simul in eis condendo naturam, & largiendo gratiam.* ac S. Basilius in illud Psal. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt*, ait: *Angelos, ut essent, Verbum opifex condidit, sanctificationem vero simul impendit Ipsis Spiritus S. non enim in infantili statu sunt creati, deinde paulatim exercitati, atque perfecti Spiritus susceptione digni habiti sunt; sed in ipsa constitutione, & quasi quadam conspersione suæ substantiæ simul infusam habuere sanctitatem.* Quod item de malis Angelis postea docet. Plura alia PP. testimonia videri possunt apud Frassen.

Prob. 3. Adam fuit conditus in gratia sanctificante: ergo & Angeli sic conditi sunt. Consequentia videtur liquere: quia Angeli non fuerunt creati in minore perfectione, quam primus homo. a prob. quia Tridentinum videtur insinuare primum hominem esse in gratia sanctificante conditum. ait enim *Sess.* 5. *in Decreto de peccato originali*; Adam post peccatum statim sanctitatem & Justitiam amisisse, in qua constitutus (id est, creatus) erat. 2. Id aperte docet Anacletus Papa Epist. 1. dicens: *hominem ideo dici conditum ad imaginem Dei, quia in sui creatione gratiam & cæteras habuit virtutes.* 3. Quia S. Scriptura clare id videtur testari, dum ait: Eccli. 7. *Deus fecit* (seu creavit) *hominem rectum*, id est in gratia constitutum. Rectitudo enim in S. Scriptura gratiam & Sanctitatem significat. 4. Id etiam innuit Arausicanum II. Can. 19. docens: naturam humanam fuisse *conditam in integritate.* 5. Filii ex Adamo nati, si ille in statu innocentiæ perseverasset, gratiam quasi congenitam habuissent: ergo & Ipse Adam eam statim accepit in instanti creationis suæ animæ.

Prob. 4. Angeli omnes, etiam mali, habuerunt gratiam sanctificantem: ergo gratiam hanc habuerunt statim ab initio & instanti realis creationis suæ; quia nulla est ratio differendi hanc gratiam. Imo congruebat, ut statim tunc Angeli Instruerentur mediis proportionatis ad finem supernaturalem consequendum, inter quæ est etiam gratia sanctificans. a. vero prob. 1. ex Dictis. 2. S. Cyprianus *L. de Zelo & Livore* ab initio ait: *dæmonem aliquando fuisse Deo acceptum, & charum.* Idem docent S. Basil. Epist. 141. & S. Hieronymus in illud Oseæ 3. *diligunt vinacia uvarum.* Ac favet Concil. Bruniacense I. Can. 7. dicens: Si quis dicit, Diabolum non fuisse prius Angelum bonum a Deo factum, anathema sit.

Confirmatur. Angeli creati fuerunt, ut per merita condigna Beatitudinem supernaturalem assequerentur: ergo cum meritum non sit condignum sine gratia sanctificante, dicendum est, quod Angeli statim in sua creatione acceperint gratiam sanctificantem. a. prob. *tum*, quia hic modus assequendi beatitudinem per merita condigna propria convenit *primo* creaturæ Angelicæ, cujus dignitati utique convenit modus nobilior assequendi eam non gratis, sed per merita propria condigna: *secundo* convenit etiam Providentiæ divinæ perducenti creaturas ad suos fines per earum cooperationem; quæ proinde etiam creaturas Angelicas per earum merita propria voluit perducere ad gloriam.

63. Objic. 1. Varii textus, qui videntur dicere, quod Deus in Angelis malis non posuerit charitatem; item quod Angelus ab initio fuerit creatura informis: ergo. R. Juxta hos textus Deus non posuit in Angelis malis charitatem & gratiam inamissibilem & consummatam c. amissibilem, & talem, qualem habent Viatores n. a. Deinde Angeli sunt creati informes, quia non habuerunt in se formam charitatis & gratiæ inamissibilis, vel quia fuerunt creati sine forma Beatitudinis supernaturalis.

Objic. 2. S. Scriptura indicat, quod Diabolus statim ab initio, dum creatus est, peccarit: ergo non habuit ab initio gratiam sanctificantem cum peccato incompossibilem. a. prob. *Diabolus ab initio peccat.* Joan. 3. *Ille (Diabolus) homicida erat ab initio, & in veritate non stetit.*

R. D. a. To statim ab initio accipiendo moraliter cum latitudine, ut sensum faciat, quod Diabolus paulo post creationem suam

pecca-

peccarit c. a. sumendo illud mathematice pro primo instanti creationis suæ, n. a. atque in hoc sensu exponendi sunt isti textus, ut cum aliis pro nobis allegatis concordentur.

Objic. 3. Gratia sanctificans in primo instanti fuisset frustra collata, præsertim Angelis, qui erant peccaturi: ergo. R. N. a. Nam 1. gratia sanctificans ornavit hos spiritus. 2. Illos aptos reddidit ad merita de condigno etiam in primo adhuc instanti creationis elicienda, ut patebit ex §. seq. 3. Quamvis in dæmonibus non habuerit fructum, hoc tamen mere per accidens ex malitia horum Spirituum factum est; econtra Deus etiam dæmonibus conferendo gratiam justificantem ostendit suam suavem providentiam, qua omnes vult salvos fieri, ac cuilibet oportuna concedit media ad salutem & gloriam.

Ob. 4. Si dæmon fuisset in gratia, eam non potuisset perdere: ergo. R. N. a. Quamvis enim in gratia fuerit, habuit tamen libertatem eam conservandi, & augendi, vel amittendi per peccatum.

Objic. 5. Gratia est medium inter naturam & gloriam; ergo Angeli debuerunt prius creari in statu naturæ puræ, deinde primum gratia donari. R. D. a. Si spectemus ordinem & prioritatem dignitatis, c. a. si spectemus ordinem temporis, n. a. Quamvis natura infimum, gratia medium, & gloria supremum gradum & ordinem obtineat, tamen simul potest stare in eodem subjecto natura cum gratia; imo Deus majorem liberalitatem ostendit, si cum natura simul gratiam concedat, & producat, quam si solum naturam sine gratia producat.

§. III.

An Angeli gratiam sanctificantem in primo instanti creationis collatam etiam meruerint?

Assero & Resp. Meruerunt eam de congruo, per propriam cooperationem & dispositionem. S. Th. 1. p. q. 62. art. 2. Scotus nihil certi in hac re videtur determinare. Nobiscum tamen sentiunt Suarez, Frassen, Viva, ac plurimi alii. 64

Prob. 1. Probabiliter Angeli sanctificati fuerunt modo nobiliori, qui creaturam rationalem decebat; atqui nobilior modus sanctificationis est respectu creaturæ puræ, qui fit per propriam dispositionem creaturæ, quam ille, qui fit per solam misericordiam & libera-

ralitatem Dei: ergo. M. patet: nam sicut Angeli sunt perfectissimæ creaturæ inter rationales, ita Eos inter creaturas rationales decet nobilior modus sanctificationis. m. prob. Quia ex suo genere, & cæteris paribus semper nobilius & perfectius est, aliquid habere a se saltem partialiter, quam mere ab alio, & esse saltem ex parte causam suæ perfectionis, quam illam totaliter ab alterius liberalitate accipere; atqui si Angeli se per proprios actus disponunt de congruo ad gratiam sanctificantem, sunt saltem partialis causa suæ sanctificationis & justificationis, cum concurrant cum auxilio actuali ad illam gratiam habitualem, & sanctificantem recipiendam: ergo.

Confirm. Qui se disponit ad gratiam habitualem, illam a Deo meretur saltem de congruo, ac Deum allicit ad hanc gratiam conferendam: ergo est aliquo modo causa suæ justificationis cum auxilio actuali concurrente.

Prob. 2. Quia homines adulti habent usum rationis, & se ad gratiam sanctificantem possunt disponere, ideo hæc ipsis tantum dependenter a propria dispositione confertur: ergo etiam quia Angeli in creatione sua jam habuerunt plenum usum rationis & libertatis, ideo etiam tantum dependenter a propria dispositione & usu libertatis acceperunt gratiam sanctificantem.

Prob. 3. Angeli in primo instanti creationis potuerunt se disponere ad gratiam sanctificantem, & potuerunt ibi operari libere & meritorie de congruo: ergo dicendum est, quod ibi se disposuerint, maxime, quia talis dispositio decebat Angelos. a. prob. pro illo instanti reali habuit Angelus voluntatem & usum rationis, neque censetur defuisse auxilium Dei necessarium ad dispositionem supernaturalem: ergo omnia requisita adfuerunt ad operationem hanc dispositivam, sed omnibus requisitis præsentibus etiam in primo instanti causa potest agere; sicut sol in primo instanti suæ creationis, & ignis in primo instanti productionis emittit lumen, & causat calorem.

Prob. 4. Deus conferendo gratiam sanctificantem cum Angelis iniit matrimonium spirituale, Eos adoptavit in filios, acceptavit in amicos: ad quæ de congruo videtur requiri consensus proprius Angelorum: ergo.

Dixi in conclusione: *de congruo &c.* Nam gratia prima sanctificans tanquam principium meriti *de condigno*, nequit cadere sub meritum de condigno, sed tantum de congruo.

Objic.

Objic. 1. Humanitas Christi accepit gratiam sanctificantem abs- 65
que dispositione prævia: ergo & Angeli. R. N. c. & paritatem: Humanitati Christi gratia sanctificans fuit debita ob Unionem Hypostaticam, quod magis est ei gloriosum, quam si eam meruisset. Unde nostræ rationes loquuntur solum de creatura pura non hypostatice unita Verbo, cui aliunde non est debita gratia: nam tali creaturæ puræ gloriosius est mereri gratiam, quam eam ex mera liberalitate & misericordia alterius sine propria cooperatione accipere.

Objic. 2. Deus arbores jam cum fructibus produxit: ergo & Angelos cum gratia & Justitia inhærente, tanquam fructibus nobilissimis horum Spirituum. R. tr. a. n. c. Deus arbores (si tamen hoc verum sit) cum suis fructibus in prima genesi mundi produxit, quia tunc tam cito ipsæ arbores non potuerunt se disponere ad tales fructus, nec illos producere: aliud est de Angelis, qui in primo instanti creationis potuerunt se ad gratiam disponere, ut dictum est.

Objic. 3. Nobilius erat operari cum habitu, quam sine illo: ergo dicendum, quod statim ad primam operationem Angeli concurrerit habitus charitatis, & consequenter nullus actus dispositivus præcesserit habitum charitatis & gratiæ in Angelo. R. D. a. Cæteris paribus c. a. secus n. a. Perfectius est ipsum habitum propria dispositione acquirere, & deinde cum habitu concurrere ad ulteriores actus.

Objic. 4. Angeli habuerunt gratiam sanctificantem concausatam: ergo illam non potuerunt per propria merita obtinere. R. N. c. Nam primum reale instans creationis potest, & debet in plura signa naturæ dividi, in primo supponitur ipsa essentia Angeli, in secundo signo gratiæ actualis auxilium collatum, in tertio signo supponitur operatio meritoria Angeli per actus fidei, Spei & Charitatis; in quarto signo infunditur gratia habitualis; in quinto signo habetur operatio de condigno meritoria concurrente habitu Charitatis & gratiæ: quæ omnia non implicant.

Quæres 1. An Angeli inæqualiter acceperint dona supernatu- 66
ralia, & gratiam sanctificantem juxta inæqualem, majorem aut minorem perfectionem naturalem?

R. Probabilius affirmative. D. Thom. 1. p. q. 62. art. 6. Frassen, Viva, ac communis Theologorum. Prob. 1. Authoritate, nam 1. S. Dionysius de Cælesti Hierarchia c. 6. & 7. dicit: *Angelos perfectio-*

res in natura esse quoque propinquiores Deo tam in officio, quam in splendoribus gratiæ & gloriæ. 2. S. Basilius *L. de Spiritu S. c.* 16. ait : *Cœlorum virtutes non suapte natura sanctæ sunt, sed juxta proportionem, qua se invicem superant, a Spiritu S. habent sanctificationis mensuram.* 3. S. Damascenus *L.* 2. *c.* 3. dicit : *Angelos quosvis pro sua classe & dignitate esse luminis & gratiæ participes.*

Prob. 2. Ratione : Quia hoc congruebat Providentiæ divinæ, ut Illos, quos meliores in natura condebat, in altiori gloria collocaret, & consequenter majoribus gratiis præveniret. Congruebat etiam ipsis Angelis, ut quo sunt perfectioris naturæ, eo vehementius & majori conatu gratiæ cooperarentur, & cum ea se disponerent : ergo.

Dices 1. Natura ceu inferior, quam gratia, non potest esse mensura & regula gratiæ : ergo. R. D. a. Non potest esse regula & mensura principalis, qualis est sola voluntas divina, dividens singulis prout vult. c. a. non potest esse regula occasionalis ex mera liberalitate Dei assumpta, n. a. Ex quo etiam habetur, quod perfectio naturalis in Angelis non fuerit dispositio vel initium, aut motivum aliquod divinæ gratiæ : hoc enim contra Pelagianos, & Semi-Pelagianos negari debet ; sed solum sequitur, quod Deus ex mero suo beneplacito Angelos natura sua perfectiores ad majorem gratiam, & gloriam ordinaverit.

Dices 2. Deus istam regulam non servat in hominibus ; sæpe enim infirma mundi eligit, ut confundat fortia : ergo idem fecit in Angelis. R. N. c. Nam hæc res pendet unice a voluntate divina, quæ aliter ordinavit circa Angelos, aliter circa homines, ut ex Authoritate constat ; quæ præcipua probatio est in illis rebus, quæ unice a libera voluntate Dei pendent. Quia ergo SS. PP. nostram conclusionem tenent, & congruentia simul nobis favet, ideo nostra sententia est præeligenda.

Dices 3. Ex nostra sententia sequitur, Luciferum in creatione sua habuisse majorem gratiam & meliora dona supernaturalia, quam aliquos Angelos ; sequela videtur absurda : ergo.

R. N. m. Si Angelus Lucifer fuit cœteris Angelis perfectior in natura, tunc nullum est inconveniens eum in majori gratia esse creatum : neque obstat huic responsioni, quod Lucifer fuerit prævisus peccaturus ; nam gratiæ non conferuntur secundum eventus futu-

ros, ſed juxta præſentem diſpoſitionem, & ſæpe illi homines quoque, qui majores habuerunt gratias, poſtea ſunt graviſſime lapſi.

Quæres 2. An Angeli boni meruerint ſuam beatitudinem, & per 67
quos actus?

R. 1. Angeli boni meriti ſunt ſuam beatitudinem. Scotus 2. *d.* 5. *q.* 1. *n.* 3. Ratio eſt: 1. quia id docet D. Auguſtinus *lib. de correctione, & gratia, c.* 11. 2. Hominibus imbecillioribus non datur gloria ſine merito, ergo neque Angelis conceſſa fuit ſine merito, maxime, quia Angeli cæteris paribus ſunt aptiores ad actus meritorios quam homines.

R. 2. Angeli meruerunt beatitudinem prius tempore quam eam acquiſierunt. Scotus cit. contra Magiſtrum Sententiarum. Ratio eſt: quia de via ordinaria beatitudo non eſt compoſibilis cum merito: ergo meritum in Angelis debuit tempore præcedere beatitudinem, ſi enim ſecutum fuiſſet beatitudinem jam acceptam, cum illa fuiſſet conjunctum. 2. prob. Beati defacto in cœlo non merentur ideo, quia cum ſtatu beatitudinis non eſt compoſſibile meritum.

R. 3. Angeli meruerunt beatitudinem præcipue per actus Virtutum Theologicarum fidei, Spei, & Charitatis. Fraſſen cum aliis. Ratio eſt, 1. de fide; quia D. Paulus ad Heb. 11. ait: *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Deinde homines non juſtificantur absque fide: ergo neque Angeli. Denique viſio beatifica ſpecialiter tanquam præmium ſuccedit fidei. Præter fidem etiam habuerunt ſpem & Charitatem: *tum*, quia eadem ratio de Spe & Charitate fere eſt, ſicut de fide; *tum*, quia Charitatem ſingulariter oſtenderunt pugnando contra perduelles Angelos; quod prælium aſſumpſerunt ex amore & in honorem Dei, ubi etiam oſtenderunt Spem, quam in auxilio divino reponebant. Objectiones, quæ contra dicta fieri poſſunt, uti & majorem eorum dilucidationem videre potes apud Fraſſen.

Arti-

Articulus III.

De peccabilitate, & peccato actuali Angelorum.

§. I.

An Angelus potuerit peccare in primo instanti suæ Creationis, & an possit a Deo creari Angelus, vel creatura rationalis essentialiter impeccabilis?

68 Assero 1. Angelus quilibet potuit peccare in primo instanti Creationis suæ. Scotus 2. d. 5. q. 2. n. 13. ac Scotistæ communiter contra T. Tas.

Prob. 1 arg. Scoti cit. Angeli in secundo instanti post creationem habuerunt potentiam peccandi physicam & moralem: ergo & in primo instanti. c. prob. Voluntas Angeli in primo instanti non habuit majorem determinationem ad non peccandum, quam in secundo instanti, cum nihil reale intrinsecum habuerit in primo, quod non habuit in secundo: ergo.

Prob. 2. Angelus in primo instanti Creationis habuit omnia requisita ad peccandum, nempe fuit in statu viæ, habuit libertatem physicam, & moralem: quia gratiæ a Deo collatæ non causabant tantam difficultatem, ut iisdem Angelus pro libitu non posset resistere; & potuit utique non obstantibus talibus gratiis Angelus in instanti secundo peccare, imo actu plures peccarunt: ergo &c. Nota tamen, Angelos habuisse quidem potentiam peccandi moralem, ast non, sicuti nos, scilicet ea in Angelis non erat conjuncta cum inclinatione ad malum.

Confirm. Homo in primo instanti obtenti usus rationis potest peccare: ergo & Angelus in primo instanti creationis; quia Angelus in primo instanti creationis jam habuit plenum usum rationis.

Prob. 3. Angeli potuerunt in primo instanti mereri etiam juxta Thomistas: ergo & demereri. c. prob. Angeli potuerunt mereri in primo instanti implendo actum præceptum: ergo etiam potuerunt demereri omittendo talem actum, quia ad meritum requiritur libertas saltem exercitii, vi cujus actus meritorius, qui est positus, potuisset etiam omitti. Ex his

Habes: quod Angeli potuerint peccare in primo inſtanti, ſi illi non ſolum ſpectentur ſecundum ſe, & quoad liberum Eorum arbitrium, ſed etiam ſi conſiderentur, prout modo ſunt creati in gratia ſanctificante. Nam quamvis gratia ſit incompatibilis cum peccato mortali, adeoque Angeli non potuiſſent illud committere in ſenſu compoſito gratiæ, quia ſcilicet non poterant peccatum cum gratia ſanctificante conjungere, potuiſſent tamen loco diſpoſitionis ad gratiam ſanctificantem ponere actum peccaminoſum, & ſic per peccatum ſuum impedire infuſionem gratiæ.

Reſpondebis 1. Angelus in inſtanti primo habuit tantum liber- 69
tatem exercitii, non vero ſpecificationis ad bonum & malum, ſed tantum determinatus ad bonum fuit.

Contra eſt 1. Angelus habuit libertatem exercitii in ordine ad implendum præceptum, quo primo inſtanti etiam juxta Thomiſtas ſe debuit convertere ad Deum per amorem: ergo potuit hunc actum præceptum omittere, & ſic peccare. 2. Angelus in primo inſtanti ſuæ creationis implevit iſtud præceptum liberum, & ſic meritus eſt: ergo eoipſo potuit omittere ejusmodi actum præceptum, & ſic peccare. 3. Non poteſt oſtendi, unde proveniat determinatio Angeli in primo inſtanti ad bonum; nam in primo inſtanti non habuit aliquid magis determinans, quam in ſecundo & tertio: ergo. 4. Si tantum fuit determinatus ad bonum, tunc non habuit libertatem requiſitam ad meritum: ergo.

Reſpondebis 2do. Angelus potuit quidem in primo inſtanti creationis omittere actum præceptum; ſed talis omiſſio non fuiſſet peccatum. Sed contra eſt 1. Hæc reſponſio AAorum ſupponit falſum; ſupponit enim puram omiſſionem non eſſe peccaminoſam, quod Theologi noſtri communiter negant. 2. Ejusmodi omiſſio fuiſſet advertenter habita contra præceptum divinum: ergo fuiſſet peccaminoſa. 3. Nihil obſtat, quin Angelus per poſitivam nolitionem ſe determinaſſet in primo inſtanti ad non amandum Deum; ergo adhuc potuiſſet peccare per ejusmodi nolitionem.

Reſpondebis 3tio. Chriſtus potuit mereri, non vero peccare, aut demereri: ergo. Contra eſt: Non eſt paritas de Chriſto ad Angelum: nam ſi Chriſtus qua homo fuit tam moraliter, quam phyſice impeccabilis, tunc hoc accidit ex diſpenſatione ſpeciali divina; ſicut enim ex ſpeciali diſpenſatione divina Chriſtus ſimul fuit viator, & comprehenſor, ita ex eadem diſpenſatione ad meritum in

Eo non requirebatur libertas proxima tam phyfica, quam moralis: aft aliter dicendum de Angelo, qui erat purus Viator. Imo etiam de Humanitate Chrifti probabilius defenditur, quod habuerit phyficam peccabilitatem, quamvis moraliter fuerit impeccabilis ob beatitudinem, qua fruebatur &c.

Refpondebis 4to. Peccatum non fit, nifi ex præcedente errore, vel judicio erroneo intellectus; aft judicium Angelorum in primo inftanti creationis non potuit effe erroneum, quia fuit a Deo immiffum: ergo. Contra eft 1. Quamvis fæpe in intellectu ante peccatum foleat præcedere aliquis error, tamen hoc non fit neceffario, quia peccatum poteft fieri ex fola malitia & libertate voluntatis omittentis bonum præceptum, quod per intellectum fuit vere oftenfum; ut alias in Tractatu de actibus humanis pluribus oftendi folet. 2. Tale judicium quodcunque verum non determinat voluntatem ad neceffario agendum; quia voluntas pofitis omnibus requifitis ad agendum, & pofita cogitatione quacunque habet adhuc indifferentiam, & libertatem fuam. 3. Dato etiam, quod prima cogitatio Angelo fit a Deo immiffa, quia tamen talis cogitatio, & Judicium foret radix libertatis in fententia Thomiftarum, juxta Eos non poffet determinare ad unum bonum; alias enim deftrueret potius, non vero radicaret libertatem, & indifferentiam voluntatis: ergo.

70 Ob. 1. Si peccatum cæpiffet cum Angelo in Ejus productione, tunc illud debuiffet Deo adfcribi, tanquam Auctori; fequela eft falfa: ergo. M. patet, quia univerfaliter operatio coæva rei, feu quæ incipit cum Ipfa re, ei ineft ab agente, & adfcribitur caufæ producenti talem rem: ergo etiam peccatum incipiens cum Angelo in Ejus productione debuiffet Deo adfcribi tanquam Auctori; quia Deus eft caufa, quæ producit Angelum. a. prob. Sic debilitatio, vel curvitas, aut claudicatio tibiæ ftatim in nativitate hominis apparens attribuitur Parentibus gignentibus talem hominem. &c.

R. N. a. ad prob. d. a. Operatio coæva rei adfcribitur producenti, fi ea fit libera n. a. fi fit neceffaria, vel naturalis fubd. quando in ejusmodi re producta non datur potentia productiva talis operationis c. a. fi datur, n. a. Si ifta argumentatio AAorum fubfifteret, tunc neque Angelus in primo inftanti potuiffet mereri per primam operationem, quod eft contra Doctorem Angelicum: nullus enim meretur per operationem non fuam; atqui prima operatio bona non

foret

foret Ipsius Angeli, sed Dei producentis Angelum. 2. Hoc AAorum argumentum ad summum est verum in effectibus & defectibus naturalibus, quæ spectant ad complementum naturale, & alias ex perfectione, aut defectu causæ producentis immediate oriuntur, sicut curvitas tibiæ, de qua in objectione, adscribitur generanti, quia est imperfectio proveniens ex defectu, qui se tenuit ex parte generantium hominem tibia curva præditum; ast locum non habet in actionibus liberis, quæ non a causa productiva voluntatis, sed a voluntate ipsa libere se determinante ortum habent. Illud AAorum assertum neque in entibus naturalibus, neque liberis procedit, quando ipsa entia in se habent potentiam productivam ejusmodi operationis: sic ipse sol in primo instanti suæ existentiæ producit suum lumen; idem est de Igne, qui in ipso instanti statim ac producitur, etiam in se causat lucem, & calorem: cum enim in primo instanti sui esse Sol & Ignis habeant potentiam productivam luminis &c. illud etiam statim producunt. Iterum: tunc etiam in primo instanti alicui enti tribuitur operatio, quando ea illi adscribitur in secundo & tertio instanti: sic quia lumen Soli tanquam causæ productivæ adscribitur in primo & secundo instanti, ita etiam in primo instanti attribui potest: neque est ratio, cur uni causæ actiones aliquæ attribuantur in primo instanti, & alteri causæ in reliquis instantibus. Unde cum Angeli in se habuerint libertatem, & potentiam peccandi, & hanc exercuerint in secundo & reliquis instantibus, non est ratio, cur eam non potuerint exercere in primo instanti; in quo si peccassent, etiam Ipsis adscribi potuisset, & debuisset peccatum.

Objic. 2. Angelus in primo instanti non potuit sufficientem habere deliberationem ad peccatum: ergo. R. N. a. Si enim potuit habere sufficientem cognitionem ad meritum, cur non etiam ad demeritum? 2. Ad peccatum sufficit cognitio boni delectabilis, vel utilis prohibiti. 3. In uno instanti reali dantur plura signa naturæ, quibus plures actus salvari possunt.

Objic. 3. Motus, vel actus naturalis præcedit liberum: ergo Angeli prius habuerunt actum naturalem, quam liberum; sed actus naturalis non potuit esse peccatum, quia peccatum non est naturale, sed contra naturam: ergo. R. D. a. Motus naturalis præcedit liberum prioritate temporis n. a. prioritate naturæ, tr. a. Pro priori naturæ actum liberum præcedit quidem necessario actus intellectus

oftendens objectum; aft non debet neceffario præcedere alius motus voluntatis naturalis: imo fi primus motus voluntatis in primo inftanti ab Angelis elicitus, fuiffet tantum naturalis, tunc non meruiffent aliquid in primo inftanti, quia per actus mere naturales neque meremur, neque demeremur.

Objic. 4. Omnis actus fecundus prærequirit neceffario actum primum proportionatum: ergo fi Angeli potuiffent in actu fecundo peccare pro primo inftanti fuæ creationis, tunc habuiffent etiam actum primum malum pro eodem inftanti: atqui talis actus primus in illo inftanti fuiffet a Deo, quia nulla caufa poteft fibi dare actum primum, fed tantum fecundum: ergo. R. N. c. Actus primus proportionatus ad peccatum, eft ipfa potentia peccandi, quæ non debet effe neceffario mala, malitia morali, quamvis mala fit phyfice, quia eft imperfecta, cum careat perfectione impeccabilitatis.

Objic. 5. Juxta D. Anfelmum de cafu Diaboli c. 13. Angelus non potuit a fe habere primam volitionem: ergo non potuit peccare per primam volitionem. R. S. Anfelmum tantum dicere, quod ipfa voluntas Angeli non fit ab Angelo, fed a Deo: fi autem loqueretur de ipfa prima volitione, tunc foret cum reverentia dimittendus.

71 Affero 2. Implicat Angelus intrinfece, & ex natura fua impeccabilis: Idem eft de creatura alia intellectuali impeccabili. D. Thomas. D. Bonaventura. Scotus, & alii communiter.

Prob. 1. Authoritate. S. Hieronymus Epift. 146. ad Damafum: *Solus Deus eft, in quem peccatum non cadit.* S. Auguft. l. 3. contra Maximum c. 12. *Cuicunque Creaturæ rationali præftatur, ut peccare non poffit, non eft naturæ propriæ, fed Dei gratiæ.* Plures aliæ Authoritates adducuntur ab aliis.

Prob. 2. Ex communiffimo confenfu Th. Th. 3. Ex ratione: quia foli Naturæ divinæ ob infinitam Ejus perfectionem convenit indefectibilitas effentialis tam in genere phyfico, quam in genere moris. 4. Ejusmodi creatura haberet ex una parte voluntatem; ex altera parte hæc voluntas utpote finita & creata non effet ex natura fua determinata ad femper amplectendum bonum honeftum: ergo poffet aliquoties non amplecti bonum honeftum, & folum fequi bonum delectabile, vel utile, etfi prohibitum, & fic peccare: ergo.

§. II.

§. II.

De Ipso peccato Angelorum.

Nota: Diabolum, dum adhuc erat in via, varia peccata comi- 72
ſiſſe, puta inordinati amoris erga ſeipſum, invidiæ, ambitionis, Apoſtaſiæ, Odii erga Deum, Blaſphemiæ, Iræ, Scandali per ſeductionem aliorum, & ſi quæ alia ſunt. Præſertim omnes conſentiunt, quod commiſerit peccatum Superbiæ: hoc enim S. Scriptura & PP. aſſerunt. Sic Iſaiæ 14. de Diabolo dicitur: *detracta eſt ad inferos ſuperbia tua.* Ezech. 28. *Elevatum cor tuum in decore tuo.* & Job. 41. *Omne ſublime videt. Ipſe eſt Rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ.* Quæſtio tamen reſtat, an ſuperbia omnium primum peccatum Luciferi?

Aſſero: Primum peccatum Luciferi non fuit ſuperbia formalis, 73
quæ eſt appetitus excellentiæ ſuper alios qua talis; ſed fuit tantum ſuperbia radicalis, ſeu æſtimatio & amor ſuiipſius immoderatus. Scotus 2. d. 6. q. 2. n. 3. & 4.

Prob. 1. Ezechielis 18. dicitur de Lucifero juxta expoſitionem PP. *Elevatum eſt cor tuum in decore tuo.* Ubi pro radice elevationis & ſuperbiæ ponitur complacentia in decore proprio.

Prob. 2. D. Auguſtinus L. 11. de Geneſi ad litteram c. 15. ait: *Angelum peccaſſe amando, non pecuniam, ſed propriam poteſtatem, & proinde perverſus ſui amor, privat ſancta civitate turgidum Spiritum.* ac *l. 12. de civit. c. 6.* pro cauſa Beatitudinis Angelorum bonorum, quod Deo adhæſerint, cauſam vero damnationis malorum Angelorum dicit, *quod ab Illo, qui ſumme eſt, averſi, ad ſeipſos converſi ſint*, ſcilicet per amorem & gloriam ſui in ſeipſis. Ac *l. 14. de civit. c. 13. Initium malæ voluntatis Angelorum fuit, nimis ſibi placere.* c. ult. aſſerit: quod duo amores fecerint duas civitates, civitatem Dei, *amor Dei uſque ad contemptum ſui; civitatem Diaboli, amor ſui uſque ad contemptum Dei.*

Jam ſic argumentor: Ex una parte habemus claras Authoritates, quæ nobis favent, ut patet ex dictis: ex altera parte Authoritates illæ, quæ videntur nobis contrariæ, & inſinuarent, quod ſuperbia fuerit primum peccatum Angelorum, facile explicantur de ſuperbia radicali, vel alio commodo modo: ergo potius nobiscum aſſerendum eſt, amorem, & complacentiam ſuiipſius, quam ſuperbiam formalem fuiſſe peccatum primum Angelorum, maxime, quia

ista res non tam ratione, quam Authoritate probari potest, & debet.

Prob. 3. Ideo Diabolus inordinate appetiit excellentiam suam super alios, & fuit formaliter superbus, quia se amavit, & sibi amato hanc excellentiam bonam cognovit, & expetiit: ergo amor suiipsius erat primum peccatum, & radix superbiæ, ac aliorum peccatorum in Angelo.

Prob. 4. Lucifer nihil magis intellexit, quam seipsum; ergo etiam nihil magis inordinate videtur dilexisse, quam seipsum, & consequenter primo amor ejus & affectus ad ipsum Luciferum terminabatur, præsertim, quia ipsa naturalis inclinatio Angelum magis & sæpius inclinabat ad se, quam aliquid aliud.

Hæc omnia confirmari & declarari possunt ex D. Thoma, qui 1. 2. q. 77. a. 1. ita loquitur: *Superbia est inordinatus appetitus excellentiæ, cui debetur honor & reverentia: & inordinatus amor sui est causa omnis peccati, unusquisque enim appetit bonum ei, quem amat; & in hoc homo se amat, quod sui excellentiam vult. Ad idem pertinet, quod ponatur initium omnis peccati superbia, vel amor proprius.*

74 Objic. 1. Varios textus, qui in sensu obvio dicunt primum peccatum Angelorum fuisse superbiam. R. 1. opponendo textus alios pro nostra probatione allatos. R. 2. Etiam D. Chrysol. Serm. 4. dicit: quod Invidia fuerit prima labes, quæ Diabolum e cœlo ejecerit: sicut ergo AArii hunc textum explicant de invidia radicali, non formali, ita R. 3. explicando textus præfatos de superbia radicali, seu radice superbiæ, quæ est amor inordinatus suiipsius. 4. Superbia fuit forte primum peccatum primitate gravitatis, & consummatæ malitiæ, non vero primitate originis. 5. Aliqui textus tantum dicunt, dæmones esse damnatos ob superbiam, quod & nos asserimus. Neque primum omnium peccatum Angelorum fuit gravissimum, potuit enim Angelus a minus gravibus incipere, & gravioribus finire suam viam.

Objic. 2. SS. PP. primum peccatum Angeli vocant præsumptionem; sed præsumptio est species superbiæ: ergo. R. 1. Iterum explicando, sicut priores textus. R. 2. Ex Doctore cit. n. 17. ubi dicit: *Præsumptionem fuisse simpliciter primum peccatum Angeli, non quatenus est prima species superbiæ proprie sumptæ, sed quatenus significat nimi-*

sui complacentiam, & amorem inordinatum suiipsius, quæ complacentia & præsumptio causa fuit & radix superbiæ.

Objic. 3. *Omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia Carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ;* sed primum peccatum Angelorum non fuit concupiscentia Carnis aut oculorum: ergo fuit superbia vitæ. R. 1. Cum Doctore; illa divisio Joannis tantum comprehendit peccata ordinaria hominum, non vero Angelorum. R. 2. Cum Eodem, Amor ille inordinatus potest reduci ad concupiscentiam oculorum; quia ad hanc videntur etiam pertinere appetitus immoderati alicujus rei visibilis pulchræ. R. 3. Potest etiam reduci ad superbiam, quatenus est radix superbiæ, & hanc ordinarie post se trahit.

Objic. 4. Peccatum primum Angelorum debet posse reduci ad unum ex 7. Capitalibus; sed si ad superbiam non reducitur, ad nullum reduci potest: ergo. R. 1. N. M. nam illa divisio peccati in 7. capitalia non est adæquata, siquidem infidelitas, desperatio, ac præsumptio de misericordia Dei sunt gravissima peccata, & tamen sub illo septennario non comprehenduntur. R. 2. Potest reduci ad superbiam, non quatenus est superbia formaliter talis, sed qua radix superbiæ. R. 3. Potest etiam reduci ad luxuriam, non quasi esset verus amor carnalis, sed quatenus est amor inordinatus &c.

Objic. 5. Amor suiipsius in Diabolo fuit amor amicitiæ, & benevolentiæ: sed iste non potuit esse malus: ergo. M. est Scoti, & Scotistarum. m. prob. non est malum seipsum, & sua dona naturalia, & supernaturalia amare: ergo. R. D. M. fuit amor inordinatus c. M. ordinatus. n. M. amare se ordinate, & non plus appretiative, quam Ipsum Deum non est malum, bene vero si inordinate, & plus appretiative, seu ita se quis diligat, ut implicite animo præparatus sit potius Deum offendere, & relinquere, quam ab amore & complacentia sui desistere. Talis complacentia & amor sui fuit Diaboli, qui implicite & virtualiter, ac radicaliter inclusit contemptum Dei, non vero formaliter; prout & amor Dei, quo Deus amatur super omnia appretiative, est quidem simplex affectus amicitiæ taliter terminatus ad Deum, ut virtualiter includat affectum seu dispositionem animi ad contemnendum, & odio habendum cætera omnia, si necessarium foret ad amicitiam Dei conservandam, aut acquirendam.

Dices:

Dices: Appretiatio inordinata sui est actus superbiæ: ergo primum peccatum Angelorum, quod fuit ejusmodi amor amicitiæ, est actus superbiæ. R. D. a. Appretiatio inordinata sui cum ordine formali ad alios, quibus aliquis excellere cupit, est superbia c. a. sine tali ordine formali ad alios n. a. Juxta D August. l. 14. de Civit. *Superbia est perversæ celsitudinis appetitus.* & 19. *Superbia perverse imitatur Deum; odit namque cum sociis æqualitatem sub illo, sed imponere vult sociis dominationem suam sub illo.* Ast amor ille amicitiæ inordinatus Luciferi erga seipsum non importavit formaliter, & explicite talem appetitum relativum eminendi præ aliis, & supra alios, sed ille affectus & amor terminabatur præcise ad pulchritudinem, ac præstantiam ipsius Luciferi, & in hujus complacentia sistebat, absque explicita, & formali comparatione ad alios, sicut & alias complacentia de re aliqua pulchra, potest sistere in ipsa absque comparatione ad alias res.

Objic. 6. Primum peccatum Luciferi fuit in aliqua determinata specie: ergo illud non fuit amor suiipsius, vel delectatio & complacentia in seipso. c. prob. Amor suiipsius &c. & complacentia in se est tantum circumstantia generalis inclusa in quolibet peccato: ergo. R. N. c. ad ejus prob. n. a. amor suiipsius est vitium generale, quando præter objectum hujus amoris voluntas principaliter in aliud objectum tendit, non vero, quando principaliter, vel præcise in objecto hujus amoris quiescit, prout quievit Lucifer præcise in se, & sua nobilissima essentia, eam amando immoderate per primum actum peccaminosum.

Dices: saltem potest dici, quod iste amor suiipsius in Lucifero non fuerit specialis actus, sed tantum fuerit inclusus in actu ipso superbiæ, sicut & in quolibet peccato virtualiter & implicite tanquam circumstantia, vel conditio generalis intervenit amor proprius: ergo.

R. N. a. Quamvis in nobis amor iste proprius sæpe sit distinctus actus a reliquis peccatis, quæ committimus, tamen in Angelis aliter dicendum est, maxime ob Authoritatem D. Augustini, quæ de hoc inordinato amore Angelorum loquitur, tanquam de destincto, & primo actu, & simul, quia Angelus perspicacissimo intellectu ab initio nihil magis cognovit, quam se, suaque dona; consequenter videtur omnium primo mala voluntate in seipsum exarsisse per amorem immoderatum, ac consequenter alios in eodem instanti reali,

vel

vel ſubſequentibus inſtantibus realibus elicitos actus in varias malas concupiſcentias prorupiſſe, appetendo nimiam excellentiam, & dominationem ſupra alios &c.

§. III.

Reſolvuntur varia quæſita de peccatis, & via Angelorum.

Quæres 1. An iſtum inordinatum amorem ſui, quo Angeli pri- 75
mo peccabant, recte dicamus cum Scoto luxuriam ſpiritualem? Reſp. affirmative, quia omne ſuperfluum, ac nimium, vel immoderatum poteſt dici luxuria; atqui iſte amor malorum Angelorum fuit nimius & immoderatus: ergo. M. conſtat ex Ambroſio Calepino, & docet D. Thomas 2. 2. q. 3. art. 1 & Gloſſa in caput 5. ad Galatas, dicens: ſuperfluitas eſt quædam luxuria, & luxuria eſt quædam ſuperfluitas, unde & arbores, quæ nimiis abundant frondibus, luxuriari dicuntur. 2. Amor & delectatio immoderata quæſita in carne vocatur luxuria: ergo & complacentia, ac delectatio nimia quæſita in propria perfectione pariter luxuria appellari poteſt.

Quæres 2. Quomodo Diabolus peccarit per ſuperbiam? Reſp. 76
Varii varie ad hoc quæſitum, ego exiſtimo, Diabolum peccaſſe per ſuperbiam, quatenus affectu inefficaci, & ſimplici complacentia voluit ſimilis eſſe Deo, & ſic tanquam Deus eſſe ſuper alias creaturas. Scotus 2. d. 6. q. 1. n. 2. Iſaiæ 14. Lucifer ait: *aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo.* & Ezechielis 28. *Elevatum eſt cor tuum, & dixiſti, Deus ego ſum.* S. Chryſoſtomus homil. 3. de verbis Iſaiæ: *Dei ſperavit æqualitatem, quæ res eum cœlo expulit.* Plura alia ſimilia teſtimonia PP. vide apud Fraſſen.

Neque obeſt, quod æqualitas iſta ſit impoſſibilis, nam etiam impoſſibile poteſt cognoſci & appeti, ſaltem quando proponitur ſub hac conditione: *ſi eſſet poſſibile.* Sicut odio habens Deum delectatur in interitu Dei, *ſi eſſet poſſibilis.* Iterum æqualitas Dei eſt aliquid reale, & reperitur in Perſonis divinis, adeoque Angelus potuit eam actu collativo etiam appetere in ordine ad ſe.

Quæres 3. An Lucifer etiam appetierit unionem hypoſtaticam? 77
Reſp. affirmative. Herincx, Panger cum aliis. Ratio eſt: quia juxta plures PP. Angelis in via exiſtentibus revelata eſt unio hypoſtatica, ſaltem cognoverunt poſſibilitatem hujus Myſterii: ergo credibile eſt,

quod eam sibi inordinate appetierint. 2. D. Bernardus Sermone 17. in Cantica dicit, dæmonem peccasse invidia propter Unionem hypostaticam Verbi Divini aliquando communicandam naturæ humanæ: ergo eam appetiit sibi; id enim solemus appetere nobis, quod aliis invidemus. Et in hoc sensu sese etiam per superbiam extulit supra humanam naturam, & supra Christum, quem propterea odio habuit, teste Ruperto l. 8. in Joannem. 3. Lucifer cum suis appetiit æqualitatem Dei, ad quam maxime per Unionem hypostaticam venire potuisset. Pro objectionibus solvendis nota: Angelos cognovisse substantiam Incarnationis, non vero omnes affectus & circumstantias ejus: atque in hoc sensu explicandi sunt SS. PP. qui videntur esse contrarii.

78 Quæres 4. An Angelus etiam inordinate appetierit Beatitudinem? Resp. Cum Scoto 2. d. 6. q. 2. n. 5. Angeli mali per amorem concupiscentiæ inordinatum omnium primo sibi appetierunt beatitudinem. Ratio est, quia appetitus concupiscentiæ primario solet moveri in illud, quod intellectus maxime objicit, & in quod inclinat appetitus, sed maxime inclinat in finem ultimum, & beatitudinem: hanc igitur primo & inordinate sibi appetebant dæmones, nempe volendo eam citius, quam oportebat, conferri, vel in majori gradu, vel viribus suis.

79 Quæres 5. Quamdiu duraverit Via Angelorum? R. Via Angelorum cum Scoto, Suarez, Molina, ac Herincx recte in tres partes, morulas, vel instantia dividitur. Primum instans, vel morula est, intra quam Angeli sunt creati in gratia, & Deo per amorem castum omnes uniformiter adhæserunt: atque hæc morula, quamvis communiter soleat dici instans, non fuit penitus indivisibilis, sed habuit aliquam protractionem, & durationem, durationi temporis respondentem. Nam vix credibile est, quod Angeli mali tantum uno indivisibili instanti, nempe illo, quo creati sunt, permanserint in gratia, ac Deum amarint, & sequenti instanti statim graviter peccarint; potius credendum est, omnes Angelos, etiam Luciferum cum suis aliquo tempore stetisse in gratia, & bonis actibus, prout colligitur ex illo Ezechielis 28. ubi de Lucifero dicitur: *in medio lapidum ignitorum ambulasti, perfectus in viis tuis.* Quæ verba indicant moram aliquam in statu gratiæ, ac gressuum & operum bonorum pluralitatem. Neque verisimile est, quod actus amoris puri, in quo Angeli sunt creati,

creati, mox post unicum instans fuerit abruptus, & actus ei contrarius, videlicet graviter peccaminosus statim secundo instanti elicitus. Ex quo

A fortiori sequitur, Angelos bonos non statim post primum instans creationis fuisse bertificatos, aut in gratia confirmatos: etenim cum Angeli omnes, etiam illi, qui postea peccarunt, in primo instanti fuerint boni, sequeretur, quod omnes debuissent in gratia confirmari, & beatificari.

Secunda morula, vel instans fuit, quo boni perseveraverunt in bonis actibus, & gratia, mali peccaverunt; hoc iterum instans aliquantisper duravit, neque fuit omnino indivisibile. Ratio est: quia hoc instanti Lucifer suo peccato, & malo exemplo instigavit alios Angelos ad peccandum, quem non statim videntur omnes sui Asseclæ esse secuti: iterum hoc instanti contigit pugna illa bonorum Angelorum adversus peccantes, quæ omnia verisimiliter non sunt absoluta unico indivisibili instanti, quamvis ad ea longa mora non fuerit necessaria Angelis ad operandum expeditissimis. Accedit, quod Clementia Divina videatur post primum peccatum Angelorum aliqua instantia concessisse, quibus potuissent pœnitentiam salutarem agere: ut jam superius probatum est.

Tertium instans est illud, quo Angeli boni sunt beatificati, & reliqui damnati. Hoc indivisibile est quoad initium, durabit tamen in æternum.

Articulus IV.

Quomodo Dæmones ab igne infernali crucientur?

§. I.

Præmittuntur aliqua, & rejiciuntur sententiæ nobis oppositæ.

Etiam Dæmones præter pœnam damni, cruciatum ignis corporei 86 sustinere debent. Ita habet certa DD. Catholicorum sententia. Et patet ex S. Scriptura. Math. enim 25. dicitur: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus.* Ubi agitur de igne, quo torquebuntur hominum damnatorum corpora post resurrectionem, ac proinde de igne vero & corporeo, qui eti-

am Diabolo in tormentum paratus esse affirmatur. D. Aug. l. 21. de civit. c. 10. ait: *Cur non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam Spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affici?* & D. Gregor. 4. Moral. c. 29. *Si Diabolus, ejusque Angeli, cum sint incorporei, sunt igne cruciandi, quid mirum, si animæ, antequam recipiant corpora, possint corporea sentire tormenta?*

Neque obstat, quod aliqui SS. PP. ut Ambrosius, Damascenus dicant, ignem inferni esse incorporeum; solum enim volunt, eum esse incorruptibilem, neque indigere, sicut ignem nostrum, nova semper materia, ut conservetur. Hoc supposito

Gravis est difficultas inter Doctores circa modum, quo ignis materialis cruciet Spiritus immateriales?

81 Primo Herincx cum non nullis censet Spiritus malos torqueri per calorem in eis ab igne productum, simili modo, quo per ignem & ejus calorem cruciantur homines. Verum

Contra est: in tantum ignis & calor causant in hominibus dolorem, in quantum eorum corpora veluti dilaniant, & aliquam divisionem continui in iis faciunt; sed puri Spiritus, qui sunt indivisibiles talem dilaniationem pati non possunt. 2. Si calor immoderatus posset affligere Spiritum, tunc & moderatus posset Eundem recreare, & blande afficere, prout in hominibus accidit; atqui sequela est falsa: ergo & id &c. 3. In Spiritum non potest agere Sapor, Sonus, vel fœtor, aut odor, utut malus: ergo neque calor.

82 Aliqui cum Avicena dicunt: damnatos Spiritus ab igne cruciari ea tantum ratione, quod apprehendant se cruciari, & cremari, quamvis revera non crucientur. Sed contra est: Dæmones vere cruciantur ab igne; atqui in hac sententia non vere cruciarentur, quia tantum se falso apprehenderent cruciari. Deinde immerito talis falsa existimatio in Angelis adstruitur.

83 Suarez, Viva, Antonius Mayr cum aliis RR. docent, dæmones ab igne corporeo torqueri, tanquam ab instrumento obedientialiter elevato ad causandam in illis qualitatem quandam spiritualem doloriferam, hoc est, causativam acerbissimi doloris in voluntate dæmonum ob magnam disconvenientiam, quam habet Illorum natura cum hujusmodi qualitate, utpote quæ substantiam Angelicam deturpat. Sed

Contra est 1. Ista qualitas spiritualis ab igne in dæmonibus producta inutilis & superflua est, quia sine ea res hæc longe expeditius

expli-

explicari poteſt per noſtrum ſyſtema inferius detegendum. Neque enim ſine neceſſitate & utilitate elevatio talis miraculoſa ignis eſt adſtruenda; quia miracula non debent ſtatui gratis.

Contra eſt 2. Neque hæc AAorum ſententia evitat difficultates aliis ſententiis communes. nam 1. non explicat, cur Deus aſſumpſerit ignem, & non aliud corpus v. g. aquam, ad torquendos Spiritus damnatos; quia etiam aqua vel aliud corpus potuiſſet elevari ad producendam illam qualitatem doloriferam, vel deturpativam propter potentiam quodlibeticam activam, quam AA. ſupponunt, & in qua ſuum ſyſtema fundant. 2. Cruciatus iſte qualitatis deturpativæ non eſt ſimilis cruciatui ignis, eſt enim omnino alius, ut conſideranti liquet. 3. Neque in hoc ſyſtemate proprie Angeli mali dicerentur *cremari*, vel *uri*, ſicut tamen clamant SS. PP. quia per hoc ego non uror, aut cremor, quod in me producatur qualitas deturpans. Impugnant alii ex aliis capitibus præfatam R.Rrum Doctrinam, maxime, quia impoſſibilem cenſent ejusmodi qualitatem, & quia non poſſunt capere, quomodo poſſit eſſe diſſona naturæ Angelicæ, & ejus afflictiva: verum hæc, quæ adduxi, ſufficiant, reliqua enim argumenta, quæ contra Adverſarios formantur, ſuis non carent difficultatibus.

Scotiſtæ vero cum ſuo Doctore 4. d. 44. q. 2. §. ad quæſtionem 84
n. 5. aſſerunt, quod ignis infernalis cruciet dæmones, vel animas ſeparatas damnatorum, cauſando in illis triſtitiam per duplicem detentionem & alligationem: nempe per alligationem localem, qua ignis dæmones detinet inſtar carceris pœnalis, ac per alligationem intentionalem, vi cujus intellectus dæmonum alligatur continuo igni infernali, ceu ſuo objecto perpetuo conſiderando, ita quidem, ut a tali conſideratione dæmon nunquam ceſſare poſſit. Fit autem cruciatus hic tali modo. 1. Fit a Deo iſta alligatio per decretum aliquod irrevocabile. 2. Diabolus illam cognoſcit, & quidem perpetuam. 3. Ex intrinſeco affectu pro libitu occupandi hunc vel illum locum, & cognoſcendi hoc vel illud objectum, ſumme odit iſtas alligationes, præſertim quia ſcit eas eſſe a Deo juſto peccatorum ſuorum vindice ordinatas. 4. Propterea ſequitur in voluntate Diaboli ſumma triſtitia, & quantum poteſt, ſimilis illi, quæ alias in animabus corpori unitis ſequitur ex aduſtione corporis. Quare in hoc ſyſtemate cruciatus ignis infernalis erga dæmones non tam phyſicus,

quam intentionalis, realis tamen, seu vere a parte rei talis est. Ab hoc systemate non multum dissentiunt Thomistæ, quamvis alligationem aliter explicent.

Cæterum notes: me dixisse ignem cruciare causando *tristitiam*, non vero dolorem, quia juxta Doctorem cit. dolor proprie in voluntate non datur, sed solum tristitia. Ait enim loco laudato: *Dolor est passio consequens apprehensionem sensitivam, & in appetitu sensitivo: tristitia vero est proprie in voluntate, & consequens apprehensionem* (nempe intellectivam) *eventus alicujus objecti noliti.* Id, quod jam antea D. Aug. advertit: etenim l. 14. de civitate c. 15. ait: *quod dolor sit tantum offensio animæ ex carne, & quædam ab ejus passione dissensio, sicut animi dolor, qui nuncupatur tristitia, est ab his rebus, quæ nobis nolentibus acciderunt.*

§. II.

Statuitur conclusio.

85 Assero. Spiritus damnati cruciantur ab igne infernali per causatam in ipsis acerbissimam tristitiam ob duplicem prædictam alligationem. Ita citt.

Prob. 1. Convenientius hic cruciatus non potest explicari. 2. Ipsa S. Scriptura testatur Angelos malos puniri per alligationem. Sic in Epistola S. Judæ: *Angelos, qui non servaverunt suum principatum, vinculis æternis sub caligine reservavit.* & Apoc. 21. *Apprehendit draconem, & misit eum in abyssum, & clausit.* Hi textus, non distinguentes, possunt de utraque alligatione vel violenta detentione intelligi.

Prob. 3. D. Gregorius *l. 4. Dialogorum c. 28.* nostram sententiam verbis vix non expressis docet: ibi enim dicit: 1. quod ignis corporeus *teneat* seu alligatos habeat Spiritus incorporeos. 2. ait: *teneri autem Spiritum per ignem dicimus, ut tormento ignis videndo atque sentiendo puniatur. Ignem namque eoipso patitur, quod videat, & quia cremari se aspicit, crematur, sicque fit, ut res corporea incorpoream exurat, dum ex igne visibili ardor, & dolor invisibilis trahitur, ut per ignem corporeum mens incorporea etiam incorporea flamma crucietur.* Ita ad nostrum propositum loquitur D. Gregorius.

Prob. 4. Utraque hæc alligatio potest maximam in voluntate dæmonum excitare tristitiam: quia est maxime nolita, eoquod impediat

pediat libertatem se pro libitu transferendi de loco in locum, & desistendi a consideratione objecti adeo ingrati, scilicet ignis infernalis tanquam instrumenti divinae vindictae. Haec igitur nolitio alligationis est radix tristitiae, quae multum aggravatur per superbiam horum Spirituum, & odium erga Deum; qui duo affectus accendunt, & intendunt nolitionem talis alligationis, & inde consequentem tristitiam: ergo.

Objic. 1. Daemones etiam in aëre existentes cruciantur igne, & 86 tamen non alligantur, saltem localiter igni infernali; non enim credibile est, quod quilibet daemon extra infernum existens aliquid de igne infernali secum portet: ergo.

R. N. 2. memb. á. daemones enim in aëre existentes alligantur primo igni tanquam objecto perpetuo considerando. 2. Alligantur eidem etiam localiter, quatenus semper habent determinatam sphaeram, ultra quam non possunt distare ab igne infernali: atque in hoc sensu intelligendi sunt SS. PP. quod daemones extra infernum existentes secum ferant poenam ignis.

Objic. 2. Nos non possumus explicare, quomodo talis ignis vere urat. 2. Quomodo unus daemon magis crucietur, quam alter: ergo. R. N. a. Urit enim vere, non physice, qualiter Spiritus aduri non potest, sed intentionaliter, ardore & dolore invisibili tristitiae, ut docet D. Gregorius. Potest etiam retorqueri in RRores. ut colligitur ex dictis in §. Imo. 2. juxta inaequalitatem peccatorum damnati inaequaliter apprehendunt, & nolunt istam alligationem. Potestque Deus ita intendere cognitionem alligationis in Angelo, ut inde major tristitia oriatur, quam ex adustione corporali corporum damnatorum post extremum judicium. Maxime vero cruciat alligatio objectiva; sicut enim varietas objectorum delectat, ita alligatio perpetua *ex poena* ad unum objectum torquet superbum & curiosum Spiritum: & quamvis non impediat omnino ab aliis objectis attingendis, impedit tamen, ne tam perfecte, & pro libertate sua, sed solum juxta divinam permissionem possit illa cognoscere. Adverte quoque, non omnia naturalia quoad actum secundum in daemonibus mansisse integra, testibus D. Dionysio de D. Nom. & aliis.

Objic. 3. Si ignis tantum intentionaliter ex applicatione & alligatione ad illum torquet daemones, tunc non est potior ratio, cur ignis applicetur, quam terra nuda, quia & ad hanc possent inviti

cum

cum tristitia alligari: ergo. R. N. a. Quamvis enim iste cruciatus forte posset etiam provenire ab aliis corporibus, voluit tamen Justus Judex potius uti elemento ignis ad Spiritus cruciandos, quam aqua vel terra; *tum*, quia elementum ignis est maxime activum, eoque maxime in terris cruciari possumus; idque videtur esse aptissimum, ut ex ejus consideratione in voluntate damnatorum oriatur, quantum possibile est, tristitia simillima illi, quæ solet oriri ex crematione corporum humanorum vivorum. *Tum*, quia pari pœna dæmones in inferno, & animæ humanæ post resurrectionem puniuntur, sed animæ nullo elemento magis affligi possunt post resurrectionem, & assumptionem corporum, quam elemento ignis.

Objic. 4. Dæmones sua libertate gaudent: ergo possunt libere acceptare alligationem utramque, & non nolle, sicque se liberare a tristitia, quæ tanquam proprietas vel passio solam sequitur nolitionem. R. D. a. Libertate morali vel physica c. a. semper morali n. a. Esto dæmones habeant libertatem physicam, qua possint acceptare vel nolle istam alligationem utramque a Deo Vindice statutam: tamen ob considerationem tam intensivam objecti adeo ipsis disconvenientis, iterum ob voluntatem depravatam, & in omne pejus pronam stricte moraliter necessitantur, adeo quidem, ut nunquam per totam æternitatem sint cessaturi a nolitione ejusmodi; quam continuationem nolitionis, uti & inde consequentem tristitiam perpetuam Deus jam prævidit.

Objic. 5. Saltem Animæ in Purgatorio acceptant istam utramque alligationem: ergo istæ non habent tormentum. R. D. a. Acceptant ut inflictam a Deo Vindice c. a. ut provenientem a suis demeritis n. a. nolunt eam, ut provenientem a suis peccatis; unde motivum nolendi est quidem diversum, pœna tamen cum proportione similis.

Objic. 6. Patres in Limbo, & Parvuli sine Baptismo decedentes non patiuntur pœnam aliquam, & tamen alligantur alicui certo loco: ergo pœna dæmonum non potest statui in ejusmodi alligatione. R. D. a. Et tamen hanc alligationem non ita nolunt sicut damnati c. a. secus n. a. & c.

Tractatus II.

DE PECCATIS.

Dissertatio I.

DE PECCATO ACTUALI IN GENERE.

Cum Peccatum Originale & Primi Hominis non possit rite intelligi sine notitia peccati actualis, ideo de hoc merito prius agitur, quam de Primo Homine, ejusque peccato tractetur.

Articulus I.

De Natura & divisione peccati.

Peccatum latissime sumptum est aliquis defectus, vel deviatio a cer- 87
ta regula, aut lege. Atque in hoc sensu triplex datur; nimirum peccatum *Naturæ*, *Artis*, & *Moris*. Sic enim dicitur peccare Natura, quando contra communem ordinem, & veluti legem Naturæ producuntur Monstra, aut alii effectus defectuosi v. g. Homo claudicans, cœcus, Surdus &c. Artifex peccat, quando errat contra regulas & leges suæ artis. Peccat etiam Homo in genere Moris, & committit peccatum morale, quando libere committit defectum contra regulam morum obligantem. De hoc peccato morali nobis solum erit sermo, quod ipsum adhuc interdum improprie sumitur, & quidem *primo*. Pro causa vel effectu peccati, uti ad Rom. 7. ℣. 17. *Quod habitat in me peccatum*, id est, fomes, seu concupiscentia peccati, quæ sub aliqua ratione est effectus peccati originalis, & simul est causa peccati, quia ad peccandum allicit. 2do Sumitur pro materia & objecto circa quod peccatum versatur; ut Deuteron. 9. ℣.

21. Vitulus aureus, quem conflando, & adorando Israelitæ peccarunt, dicitur peccatum. 3tio. Accipitur pro hostia in expiationem peccati oblata; in qua acceptatione etiam Christus dicitur peccatum, seu hostia pro peccato, ut 2. Corinth. 5. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Verum relictis hisce impropriis significationibus peccati, quæritur.

§. I.

Quid, & quotuplex sit peccatum actuale Theologicum?

88 Peccatum actuale Theologicum recte describitur ex D. Augustino *l. 22. contra Faustum. c. 27. Dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam Dei.* Quæ discriptio satis bona est, etsi sit disjunctiva, quia bene explicat totam naturam actus peccaminosi. Vide P. Reuffenstuel Theolog. Moral. Tract. 3. d. 1. n. 16. & 17. Si quis tamen velit devitare omnem disjunctionem, poterit peccatum theologicum definire, *quod sit libera transgressio legis divinæ.* Et hæc definitio est conformis D. Ambrosio, qui l. de Paradiso c. 8. ait: quid est peccatum, nisi prævaricatio legis divinæ, & inobedientia cœlestium mandatorum? traditurque a Suarez, & pluribus Theologis.

Dicitur 1. *Libera*, quia absque libertate non datur peccatum. Dicitur 2. *transgressio legis* divinæ, quia ut dicetur in tractatu de actibus humanis ultima regula moralitatis est Lex Dei æterna, cui si conformetur actus moralis, erit bonus, si ei sit difformis, erit malus, & peccatum, adeo, ut verum sit illud dictum Apostoli ad Rom. 4. *Ubi non est lex, nec prævaricatio.* Et istud D. August. *L. 2. de peccatorum meritis, & remissione. c. 16. Neque peccatum erit, si quid erit, si non divinitus jubeatur, ut non sit.*

Nec obstat, quod etiam peccemus transgrediendo leges humanas: siquidem transgressio legum humanarum simul & ultimato est transgressio legis divinæ, quæ præcipit, ut legibus humanis obediamus; & a qua vim suam obligativam leges humanæ accipiunt.

89 Peccatum actuale Theologicum dividitur 1. in peccatum *commissionis*, quod est actus liber factus contra legem prohibentem, v. g. actus hæresis, desperationis, detractionis &c. Et in peccatum *omissionis*, quod est libera omissio actus præcepti, v. g. omissio libera Missæ audiendæ die festivo. 2do dividitur in peccatum *proprium*,

quod

quod fit ab ipsa Persona, cui imputatur; & *alienum*, quod ab alio, v. g. Paulo fit, & Petro tamen imputatur ob moralem aliquem influxum. Ut, si Paulus homicidium patret, quod consuluit Petrus, quod proin etiam Petro imputatur, tanquam causæ morali illius. 3tio. In peccatum *carnale*, quod sensibili carnis vel corporis delectatione perficitur, ut peccatum gulæ, vel luxuriæ; & in *Spirituale*, quod immediate ad animam pertinet, & intra eam perficitur, ut odium, superbia &c.

Quarto dividitur in peccatum *ex ignorantia*, quod committitur ex ignorantia vincibili tamen, & culpabili; si enim esset ignorantia omnino invincibilis, non foret peccatum. Et in peccatum *ex fragilitate*, vel *passione*, in quod quis labitur ex passionis, vel tentationis alicujus vehementia. Ac in peccatum *ex malitia*, quod studiose, & ex mera malitiosa voluntate offendendi Deum, absque ignorantia, vel tentatione, aut passione vehementi patratur.

Plures alias divisiones peccati vide apud R. P. Reuffenstuel *Tract.* 3. *d.* 1. *n.* 6. *& seqq.* Nunc autem duplex solum est examinanda divisio peccati; Prima est peccati aliquo modo generice sumpti in Philosophicum & Theologicum; Altera est in remissibile, & irremissibile.

Quod primam divisionem attinet, nota: ab Alexandro VIII. 90
24. Aug. 1690. proscriptam esse istam Thesin, veluti scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, & erroneam: *Peccatum philosophicum seu morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum vero, & mortale, est transgressio libera legis divinæ. Philosophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque dissolvens amicitiam Dei, neque pœna æterna dignum.* Propter damnationem hujus Thesis duo quæri possunt. 1mo. Quid revera sit peccatum philosophicum pure tale, 2do. an sit possibile? De possibilitate in §. II. de quidditate ejus nunc dicetur. Quare

Peccatum philosophicum pure tale, quod non simul est Theologicum, est actus tantum disconveniens rectæ rationi quin simul sit offensa Dei, aut formalis transgressio legis divinæ; seu peccatum philosophicum est illud, quod fieret ab homine Deum penitus ignorante, aut non cogitante de Deo, dum peccat, & sic agente solum contra decentiam, & dictamen naturæ rationalis, quin simul offendat Deum, utpote ignoratum, vel non cogitatum invincibiliter.

 Unde

Unde ejusmodi peccatum philosophicum mere tale dari non potest, nisi in homine ignorante Deum, aut non cogitante de Eo: si enim recordatur Dei tanquam Legislatoris prohibentis ejusmodi actum, quem facit, tunc jam committit peccatum Theologicum, & non solum agit contra dictamen naturæ rationalis, sed simul formaliter transgreditur legem divinam cognitam, & per consequens offendit formaliter Deum, ac committit peccatum Theologicum.

Nomenclatura autem peccati philosophici inde venit: quia juxta D. Thomam 1. 2. q. 71. art. 6. ad 5. *a Theologis consideratur peccatum præcipue secundum quod est offensa contra Deum: a Philosopho autem naturali secundum quod opponitur rectæ rationi.*

§. II.

An sit possibile peccatum pure Philosophicum, quod non simul sit Theologicum?

91 Assero: Implicat peccatum pure Philosophicum, quod non simul sit Theologicum. Ita certa Authorum Sententia, & descendit ex damnatione Thesis prædictæ.

Prob. Ille, qui peccat philosophice, & contra naturam rationalem, advertit, suum actum, quem committit, esse prohibitum; atqui hoc advertere non potest, nisi implicite saltem cognoscat Deum simul, & consequenter non solum peccat philosophice contra naturam rationalem, sed etiam Theologice contra Deum, cujus legem, saltem implicite cognitam, transgreditur. M. constat; quia aliquis actus non potest fieri illicitus, & peccaminosus, nisi propter prohibitionem, ergo si cognoscitur esse illicitus, tunc simul, saltem in confuso, advertitur esse prohibitus. m. prob. talia, quæ de jure naturæ sunt illicita, & repugnant ipsi naturæ rationali, non possunt esse prohibita ab ipso operante: nemo enim sibiipsi est Superior. Neque possunt censeri esse prohibita a creatura alia, vel a tota communitate omnium creaturarum: *tum*, quia homo potest esse in sylvis enutritus, qui nullum alium hominem, vel creaturam agnoscit ut Superiorem. *Tum*: quia de Jure naturæ aliqua ita apparent esse illicita, ut nullo modo etiam consentientibus, & suadentibus omnibus creaturis possint fieri licita; sed si obligatio, & prohibitio legis natu-

naturalis, ſeu eorum, quæ contra naturam rationalem ſunt, proveniret a creaturis, & ipſis naturis rationabilibus, tunc his conſentientibus illa tolli poſſet, & ea, quæ de jure naturæ ſunt illicita, poſſent fieri licita: ergo. Adeoque ejusmodi prohibitio, & obligatio eorum, quæ de jure naturæ ſunt, poteſt ſolum provenire ab aliquo Legislatore, qui ſupra omnem creaturam eſt. Quare creatura nunquam peccabit, neque actum aliquem apprehendet ut illicitum, niſi ſimul in confuſo apprehendat Deum ſaltem ſub ratione regulæ obligantis, ut Legislatoris. Ex quo

Habes: quod peccatum contra jus naturæ, vel naturam rationalem non poſſit apparere ut prohibitum ſolum a creatura rationali, non vero ab altiore Legislatore. Nam vel ratione creaturæ rationalis venit iſte homo, qui operatur, vel aliæ creaturæ, aut tota communitas creaturarum rationalium, aut aliquid, quod eſt ſupra omnes creaturas? ſi ultimum, tunc habemus intentum; ſi primum, ſecundum, vel tertium dicitur, tunc falſum aſſeritur, ut ex dictis conſtat. Ex his

Deduces 1. Quamvis transmittatur ad breve tempus invincibilis ignorantia Dei in aliquo homine, eam tamen non poſſe dari tunc, quando homo ejusmodi formaliter peccat, vel quando aliquid agit, quod ejus ratio dictat eſſe illicitum, & culpabile: quia tunc ſecundum dicta neceſſario Deum, ſaltem implicite agnoſcere debet ſub ratione prohibentis ejusmodi actum. 91

Deduces 2. Vincibilem, vel culpabilem ignorantiam omnimodam Dei omnino eſſe impoſſibilem: nam hæc ignorantia vincibilis eſt peccatum, quod non poteſt dari ſine aliqua notitia Dei.

Deduces 3. Peccatum philoſophicum ad minimum eſſe moraliter impoſſibile: id enim ad minimum vult propoſitio damnata, & probat ratio; imo plurimi probabilius docent, ejusmodi peccatum eſſe omnino metaphyſice impoſſibile: quia metaphyſice implicat non advertentia Dei prohibentis in peccante formaliter contra dictamen rationis.

Deduces 4. Recte fuiſſe damnatam propoſitionem illam §. præced. allatam. 1. Quia, ut jacet, non diſtinguit inter ignorantiam & advertentiam vincibilem, & invincibilem Dei, & de utraque æqualiter intelligi poteſt: eſt autem certum, quod ignorantia vincibilis ſecundum dicta non excuſet a peccato contra Deum. 2. Forte

etiam ideo confixa est, quia, prout jacet, abstrahit a sensu conditionato, & absoluto, a possibilitate, & existentia peccati philosophici, adeo, ut legenti possit ingerere opinionem; quasi talia peccata philosophica frequenter dari possent; proinde posset dare occasionem hominibus excusandi peccata vere Theologica, non raro per hoc, quod sint pure philosophica, seu fuerint facta absque advertentia ad Deum. Ita R. P. Antonius Mayr, qui tamen fatetur priorem rationem fuisse causam motivam principalem damnationis.

Deduces 5. Propositionem longe fore aliam, eamque ab omni censura & errore immunem, si sic limitetur, & proponatur. Peccatum, si detur, quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat *invincibiliter*, vel de Eo actu non cogitat *inculpabiliter*, nequidem *tenuiter* & *remisse*, est grave peccatum *philosophicum*, sed non est formalis offensa Dei, neque peccatum mortale *theologice*, dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum. La Croix l. 5. n. 58. cum aliis: Ratio est, quia juxta propositionem secundam ab Eodem Alexandro VIII. damnatam a peccato theologico excusat ignorantia invincibilis juris naturæ; consequenter & Ipsius Dei, posito, quod in aliquo detur, aut possibilis sit. Videatur etiam P. Viva in istam propositionem n. 24. & 25.

Deduces 6. Nec esse damnatam sententiam, quæ quasi in sensu conditionato asseruit: si peccatum philosophicum per hypothesin possibilem, vel impossibilem poneretur, illud non esse mortale, nec Dei offensam, nec mereri pœnam æternam. Antonius Mayr tract. 5. n. 20. Ratio est, quia Pontifex ait, doctrinam, quam in adducta propositione damnabat, *de novo erumpere*; atqui sententia illa conditionata fuit jam antiqua, & multis annis ante Alexandrum VIII. tradita a Gersone, Curiel, Suarez, Lessio, Lugone &c. ut testatur laudatus R. P. Antonius Mayr.

Deduces 7. Nec esse damnatam istam propositionem conditionatam; si daretur ignorantia invincibilis Dei sub conceptu supremi Legislatoris, tunc posset dari peccatum philosophicum patratum cum sola advertentia ad dissonantiam operationis cum creatura rationali. Viva in propositionem cit. n. 19. Ratio est: quia in tali hypothesi (quæ tamen videtur esse metaphysice impossibilis) peccans non adverteret ad legem divinam, consequenter eam non formaliter violaret. Idem videtur esse in hypothesi impossibili, quo Deus non existeret, vel non prohiberet intrinsece malum: in qua peccatum commis-

missum cum advertentia ad dissonantiam cum natura rationali, non foret Dei offensa, nec mereretur pœnam æternam.

Deduces 8. Non esse damnatam sententiam speculativam Lugonis, Martinonii, Bonæ spei, Poncii, Herincx, & aliorum docentium, non esse metaphysice, sed solum moraliter impossibilem ignorantiam Dei invincibilem in eo, qui advertit ad dissonantiam peccati cum natura rationali, atque adeo peccatum philosophicum non esse metaphysice, sed solum moraliter impossibile. Ita Viva cum aliis: Ratio est 1. Quia Summus Pontifex in illa propositione asserit, se damnare doctrinam de novo emergentem; atqui istorum Doctorum doctrina non erat nova tempore Alexandri VIII. sed a Lugone & aliis jam multo tempore ante hunc Pontificem fuit tradita. 2. Neque est credibile, quod S. Pontifex voluerit rejicere doctrinam a Theologis primæ notæ assertam. 3. Propositio damnata loquitur de illo, qui vincibiliter ad Deum non advertit, dum peccat: ast sententia illorum Doctorum, qui tenent, peccatum pure philosophicum esse tantum moraliter, non vero metaphysice impossibile, loquitur de casu moraliter impossibili, quo tunc daretur ignorantia Dei *invincibilis*.

Deduces 9. Si apparet actus aliquis graviter dissonus naturæ rationali, tunc eum quoque esse grave peccatum Theologicum, pœna æterna dignum. Ratio est: quia dum actus apparet graviter dissonus naturæ rationali, simul implicite saltem apparet graviter prohibitus a Deo. Dixi: *saltem implicite*, & exercite: qualem implicitam cogitationem de regulis artis suæ habent Cytharizantes, qui dum ludunt Cythara, actu attendunt quidem ad regulas, quibus conformant suum lusum, quamvis hanc attentionem Ipsi non advertant reflexe, & perceptibiliter. Sic etiam Religiosus peccans contra castitatem, formaliter simul judicatur peccare contra votum & Religionem, etsi, dum peccat, non cogitet reflexe se esse Religiosum voto ligatum: quia saltem experimentaliter & exercite scit, & cognoscit se esse Religiosum. Hinc etiam tales a Confessariis non solent interrogari, an sub actuali peccato adverterint ad statum Religiosum, vel votum. Unde etiam, quamvis aliquando, præsertim apud rudes debeat Confessarius interrogare, an pœnitens adverterit ad malitiam sui actus, quando nimirum prudens suspicio est, quod talis pœnitens nihil cogitaverit de malitia, dum actum illum, de quo se accusat, patravit; Nihilo-

hilominus, quando scitur, pœnitentem advertisse ad aliquam malitiam moralem, non est opus interrogare, an adverterit quoque ad malitiam Theologicam, quæ est contra Deum, neque est credendum ei, si dicat, se non advertisse ad malitiam Theologicam: quia saltem moraliter est impossibile, ut aliquis advertat ad malitiam aliquam moralem actus, quin simul apprehendat, saltem implicite, malitiam ejus Theologicam. Vide la Croix l. 5. n. 55.

93 Ob. 1. Potest saltem modico tempore dari ignorantia invincibilis Dei: ergo illo modico tempore posset apparere actio aliqua solum dissona naturæ rationali, non vero legi Dei, & sic committi peccatum philosophicum. R. D. a. Potest modico tempore dari ignorantia invincibilis Dei sub prædicato v. g. Conditoris omnium rerum, aut Entis infiniti, Numinis colendi, aut sub alio consimili conceptu tr. a. potest dari ignorantia invincibilis Dei sub prædicato Primæ regulæ obligantis subdist. posito, quod illo modico tempore non appareat aliqua actio ita dissona naturæ rationali, ut censeatur esse illicita & culpabilis c. a. secus n. a. distinctio patet ex nostra probatione, & ex dictis in tract. de Deo Uno.

Ob. 2. Esse graviter dissonum naturæ rationali, & esse dissonum legi divinæ sunt duæ distinctæ formalitates, quarum una sine altera potest cognosci: ergo bene potest prima cognosci, quin cognoscatur altera. R. D. a. Esse qualitercunque dissonum naturæ rationali, & esse dissonum legi divinæ sunt duæ distinctæ formalitates &c. c. a. esse ita dissonum naturæ rationali, ut illud, quod dissonum est, appareat illicitum, & culpabile n. a. In istis, quæ sunt contra jus naturale, seu naturam rationalem, non agnoscimus qualemcunque dissonantiam, & indecentiam, qualem v. g. aliquis agnoscit, dum ex necessitate coram aliis nudus incedere debet, sed agnoscimus dissonantiam culpabilem, quæ ex lege divina oriri debet, & sine hac saltem implicite intellecta cognosci nequit.

Ob. 3. Ex nostra sententia sequeretur, quod Philosophi gentiles cognoverint peccatum non solum quatenus est contra naturam rationalem, sed etiam quatenus est contra legem divinam offensivum Dei, sed hoc est falsum: quia Philosophi juxta S. Thomam peccatum solum considerant ut est repugnans naturæ rationali: ergo. R. D. M. cognovissent hoc etiam saltem implicite, quamvis non ita explicite c. M. secus n. M. Quamvis præcipue Philosophi peccatum consi-

considerent ut repugnans naturæ rationali: dum tamen hoc faciunt, saltem implicite illud attingunt ut offensivum Dei, & ut repugnans Legi divinæ.

Ob. 4. Mendacium est Naturæ divinæ dissonum, & Deo non licet, & hoc tamen non est prohibitum ab aliquo Superiore, quem Deus non habet, sed ab ipsa Natura divina, quam talis actus non decet: ergo idem cum proportione dici potest de mendacio, & aliis actibus malis hominum, quod ideo sint mali moraliter, quia sunt dissoni naturæ rationali hominum. R. N. c. & parit. Natura enim, vel potius voluntas divina est regula Prima & infinita omnis honesti; adeoque alia regula superiore non indiget. Ast Natura rationalis creata, vel voluntas aut ratio creata non est regula omnis honesti, sed petit regulari ab altiori regula, quæ ipsius defectibilitatem per leges & prohibitiones cohibere debet.

Ob. 5. Actus, qui apparet naturæ rationali conveniens, est solum Philosophice bonus: ergo etiam actus, qui apparet dissonus naturæ rationali, est solum Philosophice malus. R. N. a. Actus, qui apparet naturæ rationali conveniens, est pariter non solum Philosophice, sed etiam Theologice bonus, aut saltem non malus, quatenus etiam, implicite saltem, apparet conformis divinæ voluntati præcipienti, aut consulenti, vel saltem permittenti.

Objic. 6. Ad contrahendum reatum odii divini & pœnæ æternæ juxta nostram conclusionem sufficit, quod actus appareat, saltem implicite graviter difformis voluntati divinæ: ergo etiam ad obtinendum jus ad æternam gloriam, consequendamque amicitiam divinam, sufficit, quod actus qualiscunque, saltem implicite appareat conformis voluntati divinæ. R. N. c. & parit. Nam licet quilibet actus graviter difformis voluntati divinæ trahat post se reatum odii divini & pœnæ inferni; tamen non quilibet actus conformiter legi divinæ factus statim est meritorius gratiæ sanctificantis, & vitæ æternæ, sed ex ordinatione divina requiruntur plures conditiones, & inter has etiam auxilium supernaturale, de quo plura in Tractatu de Gratia.

Reliquæ objectiones, quæ hic fieri possent, partim sunt solutæ in Tract. de Deo Uno. in Quæstione de ignorantia invincibili existentiæ divinæ, partim solventur in tractatu de actibus humanis, in quæstione, an natura rationalis, vel Lex æterna Dei sit regula ultimata moralitatis actuum humanorum; nam cum utraque hac quæ-

stione præsens nostra conclusio de peccato philosophico magnam habet connexionem.

§. III.

An saltem in alia providentia possibile sit peccatum ab intrinseco irremissibile?

94 Assero: In omni providentia absolute implicat peccatum intrinsece, seu ex natura sua irremissibile. Ita communissima contra Lugonem, Oviedum, Martinonium, & paucos RRores.

Prob. 1. Ideo in hac Providentia Deus potest remittere omne peccatum, quia est infinite misericors: atqui hæc ratio curreret etiam in quavis alia providentia: ergo etiam in quavis alia providentia posset remittere omne peccatum, & sic nullum esset intrinsece irremissibile.

Prob. 2. Implicat Deum ab aliqua creatura impediri in actionibus suis liberis; sed remissio peccati est actio Dei libera; fit enim vel per condonationem extrinsecam, vel per infusionem gratiæ sanctificantis, quæ sunt actiones Deo liberæ: ergo implicat Deum a creatura per peccatum qualecunque impediri, ne possit remittere offensam.

Prob. 3. Implicat misercordiam Dei superari per malitiam, & peccatum alicujus Creaturæ; atqui superaretur, si aliquod peccatum esset talis naturæ, ut a Misericordia Dei non posset condonari. Tale peccatum etiam redundaret in injuriam satisfactionis præstitæ, vel præstandæ a Persona divina: quia neque Verbum incarnatum, neque alia Persona divina, si Carnem humanam assumeret, posset pro tali peccato intrinsece irremissibili satisfacere.

Prob. 4. Omnipotentia divina exigit, ut possit producere omne ens possibile, & destruere omne ens creatum existens; ergo etiam Misericordia divina exigit, ut possit remittere omne peccatum: ergo nullum potest esse intrinsece irremissibile, sicut nulla creatura absolute indestruibilis dari potest.

Prob. 5. Argumentum Lugonis, quod A. Arii unice pro se adducunt, nihil probat, & valide retorqueri potest: ergo nulla habetur ratio admittendi possibilitatem peccati intrinsece irremissibilis.

95 Objic. 1. Non præjudicatur Omnipotentiæ divinæ, eoquod non possit producere ens impossibile, vel chymæram: ergo neque præjudi-

judicatur misericordiæ divinæ, si non possit remittere peccatum irremissibile. R. N. c. Chymæra enim & ens impossibile non est verum aliquod ens, adeoque non potest, neque debet subjici omnipotentiæ divinæ; ast peccatum esset ens malum, offensivum Dei, vere tale; hinc debet esse subjectum Misericordiæ divinæ: sicut entia physica vere talia quoad suam existentiam & durationem subjiciuntur omnipotentiæ divinæ.

Objic. 2. Argumentum Lugonis. Fingamus casum: Deus decernit, quod nullum peccatum Petro velit remittere, atque hoc suum decretum revelat Petro cum obligatione credendi: Petrus vero contemnit hanc revelationem, nec ei fidem adhibet, sicque peccat graviter. Jam peccatum hoc incredulitatis est essentialiter irremissibile: ergo in tali casu, qui saltem in alia providentia est possibilis, dari posset peccatum essentialiter irremissibile. a. prob. Hoc peccatum incredulitatis essentialiter pendet a vera Dei locutione, & revelatione, cui Petrus nollet malitiose fidem adhibere: ergo tale peccatum esset essentialiter irremissibile. c. prob. Si tale peccatum posset remitti, tunc posset falsificari locutio, & revelatio Dei, cum qua hoc peccatum habet essentialem connexionem coexistentiæ; atqui implicat revelationem Dei falsificari: ergo etiam implicat & impossibilis est remissio hujus peccati.

R. 1. Directe. n. utrumque r. antecedens. Falsum enim est, quod peccatum hoc incredulitatis indispensabiliter, & necessario pendeat a vera revelatione; siquidem idem peccatum incredibilitatis foret, si non esset vere revelatum, sed tantum erronee, errore invincibili crederetur esse divinitus revelatum. Sic, si Parochus indoctus aliquam rem, quæ non est revelata, proponat suis tanquam revelatam, & credendam, istique absolute judicent, eam esse revera revelatam, & tamen simul nolint illam credere, committunt idem infidelitatis peccatum, ob conscientiam invincibiliter erroneam, ac si revelatio vere esset data. Iterum; idem est peccatum, sive revera sit dies Veneris, sive tantum erronee existimes esse diem Veneris, quo carnes comedis. Unde hoc peccatum non est intrinsece irremissibile ratione hujus revelationis, aut decreti: quia illud peccatum posset quoad totam essentiam suam dari, quamvis nec decretum illud, neque ejus revelatio existeret: quo in casu non est intrinsece irremissibile, ut Ipsi fatentur Adversarii: ergo neque esset intrinsece irremissibile, in casu, quo revera hoc decretum & ejus revelatio daretur, quia in

 tali.

tali casu non essentialiter, neque indispensabiliter ab eodem decreto & revelatione dependeret. Hæc ergo irremissibilitas est mere extrinseca ratione hujus decreti. Hæc responsio est omnium expeditissima; aliæ enim habent multas difficultates.

R. 2. Indirecte. retorq. arg. Ex hoc argumento Lugonis sequitur, etiam dari posse peccatum essentialiter impunibile; cum tamen omne peccatum ex conceptu suo sit malum pœna dignum; nam posset Deus revelare Petro, quod nollet amplius ullum peccatum Ipsius punire; si ergo discrederet huic revelationi, sicque peccaret Petrus, tunc hoc peccatum incredulitatis esset impunibile, ne alias locutio, & decretum Dei frustrarentur. Iterum sequitur, dari posse peccatum intrinsece remissibile, quod simul foret essentialiter irremissibile. Nam ponamus, quod Deus faciat decretum, se nolle Petro remittere ullum peccatum *intrinsece remissibile*, hocque decretum revelet Petro, Isque illi discredat: Jam in hoc casu ob connexionem essentialem incredulitatis cum revelatione infrustrabili, hoc peccatum incredulitatis essentialiter remissibile, foret simul intrinsece irremissibile, ut consideranti patet.

Dices: Cognitio decreti, vel revelatio ejus est causa volitionis, qua Petrus contemnit ejusmodi decretum, & revelationem; atqui volitio connectitur essentialiter cum sua causa actualiter causante: ergo. R. 1. N. M. nam juxta Scotistas cognitio nec est causa physica, nec moralis & objectiva volitionis, sed tantum objectum cognitum moraliter vel intentionaliter influere potest in actum volitionis. R. 2. Transmisso etiam, quod cognitio aliqua physice influere possit, vel debeat in volitionem, tamen non videtur, posse sic influere in actum peccaminosum, qua talem, illustratio, vel revelatio supernaturalis, quod tamen dicunt Adversarii; quia alias Spiritus S. esset Author peccati, utpote per suas illustrationes supernaturales influens essentialiter in essentiam ipsius peccati moraliter spectati: quia influeret in irremissibilitatem, quæ ad essentiam moralem peccati spectat. Hinc præter illustrationem, & revelationem supernaturalem deberet adesse cognitio aliqua naturalis talis decreti, & revelationis, quæ posset esse falsa, & non necessario deberet esse vera, ut tamen supponit argumentum Adversariorum.

R. 3. Quamvis hoc numero peccatum dependeat modo ab hac cognitione & revelatione vere existente, posset tamen vel hocipsum

vel

vel aliud numero peccatum ejusdem omnino essentiæ specificæ committi, quod non dependeret ab hac cognitione, sed ab alia falsa, & invincibiliter erronea: ut dictum est in responsione ad ipsam objectionem: ergo propter essentialem & indispensabilem dependentiam a tali revelatione (utpote quæ dependentia indispensabilis non datur in hoc casu) non erit peccatum aliquod essentialiter irremissibile.

Articulus II.

In quo consistat ratio formalis peccati?

§. I.

Notanda, & Conclusio.

Nota; Quæstionem esse, an ratio vel malitia formalis peccati 96
consistat in positivo, vel privativo? pro quo, adverte, privationem posse statui duplicem, unam *secundum dici*, seu logicam, quæ est entitas positiva, sed explicari solet per terminum negativum, & quæ ratione sui excludit aliam formam, cujus dicitur esse privatio. Exemplum habemus in irrationalitate, quæ secundum dici est negatio rationalitatis, & exprimitur per terminum negativum, a parte rei vero est entitas, & ratio ac essentia positiva Bruti, ratione sui a Bruto excludens rationalitatem. Talis privatio logica quoque est *claudicatio* seu gressus curvus, excludens ratione sui incessum rectum. Altera privatio est *secundum esse*, quæ est negatio pura formæ in subjecto capaci, seu est mera negatio & absentia formæ debitæ alicui subjecto. Si sit absentia formæ alicujus physicæ dicitur privatio physica, ut *cæcitas*, quæ est privatio visus in homine, cui debetur visio. Si sit absentia formæ moralis, v. g. debitæ rectitudinis moralis in aliquo actu humano, dici potest privatio moralis. Controversia est, an ratio, vel malitia formalis peccati consistat in vera aliqua privatione, quæ secundum esse talis est. H. N.

Assero: Ratio & malitia formalis peccati actualis non consistit 97
in positivo, consequenter non consistit in entitate physica actus peccaminosi, sed in vera aliqua privatione. Scotus 2. d. 37. q. 1. §. *concedo igitur*. n. 6. & 7. Ubi ad finem istius §. & n. 7. præter plura, quæ pro nostra conclusione in præcedentibus præmisit, tandem discur-

sum suum concludit. *Peccatum actuale est formaliter injustitia actualis: ergo & privatio justitiæ actualis, scilicet justitiæ, quæ deberet esse in actu.* Sumit autem justitiam hic late pro honestate, quæ vi legis deberet esse in actu humano. Hanc conclusionem tenent non solum omnes genuini Scotistæ, verum & plures ex Schola S. J. saltem Antiquiores, uti & non pauci TTæ. contra nostrum Poncium, ac plurimos RRes.

Prob. 1. Auth. S. Scripturæ. Amos 6. Peccatum dicitur *nihilum*. Isa. 42. *Cæcitas*. Joan. 3. *Tenebræ*; quæ omnia secundum litteralem sensum, videntur importare privationem.

Prob. 2. Auth. SS. PP. S. Dionysius c. 4. de D. Nomin. ait, *quod omne malum in nobis, & dæmonibus, sit perfectionis bonorum principiorum, & accommodatorum privatio*; atque hoc loco S. Pater loquitur de peccato dæmonum. S. Gregorius Nyssenus oratione Cathechetica c. 5. 6. & 7. *Vitium omne & improbitas in boni privatione habet suam formam.* S. Anselmus L. de Concept. Virg. c. 5. *Injustitia est absentia debitæ justitiæ: malum est absentia boni debiti.*

Confirm. Peccatum formaliter tale non est creatura, neque habet causam sui efficientem: ergo non est entitas positiva; nam omnis entitas positiva a Deo distincta debet esse creatura, & habere causam efficientem, a qua producatur. a. prob. D. August. tract. 1. in Joan. exponens illa Verba: *Sine Ipso factum est nihil*, ait: *Peccatum non per Ipsum factum est, quia peccatum nihil est; & nihil faciunt homines, cum peccant.* & lib. 12. de Civit. c. 5. ait: Peccatum non habere *causam efficientem*, sed *deficientem*, nec ejus esse effectionem, sed defectionem.

Respondent Adversarii 1. Patres egisse contra Manichæos, admittentes duo rerum principia, unum bonum producens substantias bonas, alterum malum producens substantias malas; hinc dixisse, quod peccatum sit nihil substantiale; non autem eos dixisse, quod omnino nihil sit positivum, nequidem accidentale.

Contra est 1. Plures ex SS. PP. pro nobis allegati, uti SS. Dionysius, Gregorius Nyssenus, Anselmus non egerunt contra Manichæos.

Contra est 2. In systemate Adversariorum PPes non bene impugnassent Manichæos, cum hi potuissent dicere; saltem principium malum debere admitti ad causanda accidentia mala, essentialiter peccaminosa.

Con-

Contra est 3. Quamvis peccatum tantum foret accidens positivum, tamen esset creatura, & effectus positivus exigens causam positive efficientem; atqui oppositum docet D. Augustinus, qui ulterius laudato lib. 12. de civit. c. 5. supra citatis verbis addit, quod neque causalitas, vel actio productiva positiva detur respectu peccati formalis, ait enim: *causas* (id est, causalitates vel actiones productivas) *defectionum istarum, cum efficientes non sint, velle invenire, idem est, ac si vellet quisquam videre tenebras, vel audire silentium*; atqui si ratio formalis peccati non habet causam, vel actionem productivam positivam, sed mere negativam, seu non agentem, & non dantem actioni rectitudinem illam, quam ei dare deberet, tunc & ipsa ratio formalis peccati non est aliquid positivum, præsertim in RRorum sententia, in qua actio productiva entitatis positivæ est modus aliquis positivus.

Resp. Adversarii 2. Peccatum esse nihil moraliter; quatenus est nullius æstimationis moralis; nec confert aliquid ad finem ultimum, non vero esse nihil physice. Contra est 1. Si peccatum adhuc esset aliquid physicum, tunc non haberet meram causam deficientem, sed etiam efficientem &c. Contra est 2. Si peccatum nihil est moraliter, tunc eoipso privatur bonitate morali, & denominatione extrinseca bonitatis moralis: ergo jam consistit in privatione morali, nempe bonitatis moralis.

Prob. Conclusio 2. Ratione ex Scoto desumpta. Seclusis quibuscunque aliis, & cognita sola privatione rectitudinis moralis debitæ ex lege jam habetur in actu humano ratio formalis peccati: ergo in sola hac privatione consistit ratio formalis alicujus peccati actualis.

Prob. 3. Deus non potest causare, vel facere peccatum, secundum esse morale vel formale ejus; sed in AArum sententia Deus faceret peccatum secundum esse morale ejus: ergo AArum sententia non potest subsistere. m. prob. Esse morale & physicum peccati identificarentur, sed Deus facit peccatum secundum esse physicum: ergo etiam secundum esse morale.

Nec dicas 1. Quod Deus tantum per accidens concurrat ad actus peccaminosos, quatenus determinatus a creatura, ac ex intentione secundaria. Nam etiam videtur esse indecens, quod Deus ex intentione secundaria, & ut determinatus a Creatura positive efficiat malitiam moralem. Imo tali modo Deus non haberet odio pec-

cata secundum esse formale eorum: nam Sap. 11. ℣. 28. dicitur: *nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Qui textus universaliter loquitur de omnibus a Deo productis, consequenter etiam de peccatis, & illis, quæ ex secundaria tantum intentione a Deo producta sunt.

Nec dicas 2. Deum ad actum peccaminosum concurrere libertate solum mediata. Contra est: juxta RRres etiam Deus tantum concurrit libertate mediata, & ut determinatus a Creatura ad actus moraliter bonos, & tamen est causa actuum moraliter bonorum: ergo a pari. Item; etiamsi habitus charitatis ad actum amoris concurrat necessario, & ut determinatus a Voluntate, tamen vera est concausa simultanee efficiens cum voluntate actum amoris: ergo etiam sic Deus esset causa simultanee efficiens peccatum secundum rationem formalem ejus.

Accedit, quod sit indignum, Deum quoque esse causam necessariam peccati formalis, necessitate scilicet consequenti.

Nec dicas 3. Etiam in nostro systemate Deum fore causam saltem mediatam peccati; quia est causa simultanea substrati & actus physici, ad quem necessario sequitur malitia formalis, seu privatio illa. Contra est; Illa privatio non sequitur ex natura actus physici, sed ex speciali modo, quo ponitur iste actus a Creatura libere contra legem, quæ talem creaturam obligat, ne hic & nunc istum actum ponat: ergo illa privatio potest, & debet adscribi soli creaturæ, non vero Deo, qui non habet legem obligantem, vi cujus deberet non concurrere ad talem actum, sed potius vi legis generalis obligatur ad concurrendum, ne lædatur libertas creata. Hæc omnia videri possunt ex supra dictis Tomo 2. seu Libro 1. Sententiarum.

Confirm. Illa Sententia est præeligenda, quæ magis salvat, quod Deus non sit ullo modo etiam per accidens causa influens in esse formale peccati: atqui hoc facit nostra sententia, non vero RRorum. ergo.

98 Deduces 1. Privationem, in qua constituimus peccatum formale, esse formalem, non vero mere causalem, seu non esse meram causam formalis privationis. Ratio hujus est 1. Quia S. Scriptura comparat peccatum tenebris, nihilo, cæcitati, quæ sunt privationes, & negationes formales. 2. Juxta D. Augustinum peccatum non habet causam sui effectivam; atqui si peccatum formaliter tale foret

mera privatio caufalis, tunc eflet quid pofitivum, & haberet caufam fui vere effectivam.

Deduces 2. Iftam privationem, de qua loquimur, effe moralem: *tum*, ob dicenda in refponfione ad Objectiones; *tum*, quia eft privatio rectitudinis & perfectionis moralis, & in linea morali, feu honeftatis moralis, quæ vi legis obligantis debetur actui humano.

Deduces 3. Ejusmodi privationem non effe mere logicam, & fecundum dici. Ratio eft 1. Quia fi ratio formalis peccati in fe effet aliquid pofitivum, & mera privatio logica, tunc eam PP. ac Scriptura fruftra cum nihilo & tenebris comparaffent; inepte enim Immenfitas Dei, quamvis fit negatio logica, cum tenebris & nihilo componeretur. 2. Privatio logica requirit caufam fui effectricem; atqui peccatum hanc non requirit. 3. Nihil obftat, quin minus admittatur iftam privationem effe vere, ac fecundum effe tale, & non mere logicam.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Objic. 1. SS. PP. fæpius dicunt peccatum *actum* voluntatis; item: Dictum, factum, concupitum, quæ omnia fonant entitatem pofitivam, ac phyficam; ergo. R. 1. Opponendo textus pro nobis citatos. R. 2. Sub diftinctione; dicunt peccatum effe actum quoad effe materiale, & fubftratum c. quoad effe formale n. Ita etiam explicandus eft Scotus quodlib. 18. docens malitiam contrarie, & non privative opponi bonitati; loquitur enim de malitia folum materiali, non formali. Ariftoteles vero, dum ait bonum & malum opponi contrarie, & non privative; vel non loquitur de bono & malo morali; vel fi de hoc loquitur, tunc intelligendus quoque eft de malo morali, materialiter & phyfice, non formaliter fpectato. 99

Objic. 2. Malum phyficum confiftit in aliquo pofitivo: ergo & malitia moralis. a. prob. Error, & Dolor funt mali per fuam entitatem phyficam: quod maxime patet in triftitia Chrifti patientis, quæ fuit Ei mala, quamvis non privaverit Animam Chrifti gaudio beatifico, quod utique etiam cum illa triftitia perfiftebat. R. 1. Retorq. arg. Malum phyficum non raro confiftit in privatione phyfica: fic ignorantia eft malum phyficum, & confiftit in privatione fci-

entiæ in subjecto capaci &c.: ergo & malum morale aliquod, si non omne, potest consistere in privatione morali. R. 2. D. a. Omne malum physicum n. a. aliquod tr. a. Deinde speciales Authoritates & rationes sunt, quæ probant malitiam moralem consistere in privativo; si tales etiam afferantur pro malo physico, idem dicemus. Præterea malum morale, vel peccatum non in omnibus convenit cum malo physico, sicut nec bonitas moralis omnino æqualis est bonitati physicæ: etenim bonitas physica consistit in entitate physica, non vero bonitas moralis, hæc enim importat meram denominationem extrinsecam actui physico additam.

Objic. 3. Per ipsam physicam entitatem furti violo legem, quæ prohibet furtum: ergo per ipsam entitatem physicam actus furti pecco formaliter. a. constat; quia per ipsam positionem actus furti pono illud, quod lege prohibitum est; per legem enim prohibetur actus furti. R. D. a. Per entitatem furti præcise secundum se spectatam n. a. per entitatem furti quatenus scienter factam contra præceptum prohibens, & sic privatum rectitudine, & conformitate ad illud præceptum, c. a. & n. c. furtum secundum se, & physice spectatum non est malum morale, nec violatio legis; Unde si quis furetur, & non adverteret hoc esse prohibitum, non peccaret. Proinde moraliter malum est, quatenus fit contra præceptum cognitum. Ast quatenus fit contra præceptum cognitum, eatenus libere non conformatur regulæ morum, & sic privatur rectitudine morali debita.

Objic. 4. Per hoc est actus malus moraliter, per quod libere tendit in objectum prohibitum; sed per ipsam suam entitatem physicam tendit libere in objectum prohibitum: ergo. R. D. M. Per quod tendit quomodocunque libere in actum n. M. per quod tendit libere & non conformiter ad regulam morum in objectum c. M. Et nego etiam suppositum, quod libertas indifferentiæ actus consistat in ipsa entitate physica ejus. Quod autem non conformiter tendat ad regulam morum, importat privationem moralem, quia privat actum conformitate ad regulam illam.

Objic. 5. Si odium Dei, qua peccatum formale dicit privationem rectitudinis *debitæ*, tunc deberet posse ostendi, in quo consisteret illa rectitudo debita; atqui hoc non potest ostendi: nam rectitudo opposita odio Dei est bonitas amoris Dei, quem tamen aliquis

quis non tenetur semper, nec debet elicere, quando Deum odio habet; sufficit enim tunc solum omittere actum odii: ergo.

R. C. M. & n. m. Dico enim, quod rectitudo & bonitas opposita non sit actus amoris Dei, vel bonitas hujus actus, sed potius bonitas odio Dei opposita fundatur & datur in omissione odii Dei, hæc enim omissio præcipitur per præceptum negativum non habendi odio Deum. Et plane, dum occurrit hoc mandatum, & dum homo tentatur ad Deum odio habendum, tenetur omittere tale odium: atque ejusmodi omissio libera, quamvis non sit actus positivus physicus, habet tamen & fundat bonitatem *moralem positivam*, seu positivam denominationem conformitatis ad regulam morum.

Objic. 6. Actibus intrinsece malis, ut odio, blasphemiæ, mendacio nulla omnino potest competere rectitudo, cum ejusdem sint incapaces ex sui natura: ergo illorum malitia non in privatione rectitudinis ipsis debitæ consistere potest, sed in sola positiva entitate eorundem. Hæc est præcipua, & plane difficilis objectio.

Resp. aliqui 1. Cum Gonet, & Tanero; talem actum odii, si generice spectatur, quatenus est actus voluntatis, esse capacem bonitatis moralis debitæ; adeoque etiam privationis ejus. Verum contra hanc responsionem merito instatur 1. Quia tali modo ratio formalis peccati consisteret solum in quadam privatione metaphysica, quæ vere a parte rei dari non potest, sed tantum habetur in sensu præcisivo, quo desideratur per intellectum sola ratio generica, non vero specifica actus odii Dei; sed ad rationem peccati formalem videtur major privatio requiri. 2. Hac ratione dici posset, quod Leo haberet veram privationem rationalitatis, & quod capax sit rationalitatis; quia si consideretur solum secundum rationem genericam, scilicet animalitatem, tunc secundum eam conjungibilis est cum rationalitate, æque ac actus odii secundum rationem genericam consideratus, conjungibilis est cum ratione specifica amoris. 3. Neque actus odii generice acceptus habet debitum, ut sit conformis legi, sicut Leo etiam generice & secundum suam animalitatem acceptus non habet debitum, ut sit rationalis. 4. Leges non dantur pro actibus generice acceptis, qui a parte rei non possunt dari. 5. Leges non præcipiunt aliquid impossibile, est autem impossibile, ut actus intrinsece malus, etiam generice acceptus, a parte rei habeat aliquam bonitatem moralem: ergo actus talis, etiam generice acceptus, non potest dici privatus rectitudine, & bonitate debita.

Resp. igitur aliter cum Mastrio; D. a. Actibus intrinsece malis, dum actu existunt, & extra nihilum, & causas suas libere sunt positi, nulla potest competere rectitudo moralis c. a. Dum sunt in statu possibilitatis & objectivo, & indifferentiæ proximæ ad existendum, vel non existendum n. a. Quando actus odii Dei est in statu objectivo & possibilitatis proximæ, tunc est indifferens ad existendum, vel non existendum: seu dum habetur actus primus proximus ad actum odii, tunc est indifferens, ut omittatur conformiter regulæ morum præcipienti ejus omissionem, vel ut ponatur contra regulam morum. Quando autem actu est positus, tunc non potest esse conformis regulæ morum, sed debet necessario esse contra eam, & privari debita rectitudine.

Dices: Vera privatio & forma ejus opposita debent dari posse in eodem subjecto: atqui privatio debitæ rectitudinis, & ejus forma opposita non possent dari in eodem subjecto: ergo. M. patet ab inductione: sic tenebræ & lumen tanquam forma opposita dari possunt in eodem aere: idem est de aliis privationibus, & formis oppositis. m. iterum constat: quia privatio rectitudinis debitæ daretur in actu odii Dei vere existente, & forma opposita, seu rectitudo debita posset tantum dari in omissione odii Dei.

R. D. M. Vera privatio physica c. M. moralis in actibus liberis conformiter vel non conformiter regulæ morum elicitis n. M. ad privationem ejusmodi moralem sufficit, quod actus odii in statu objectivo consideratus tanquam indifferens ad elici, & non elici sit capax recipiendæ bonitatis moralis, si nempe omittatur. Neque omnia, quæ ad privationem physicam requiruntur, debent observari in privatione morali; sicut & alias entia moralia sunt longe diversæ rationis ab entibus physicis.

Objic. 7. Debitum, seu obligatio dandi rectitudinem convenientem, potius competit voluntati; hæc enim obligatur præceptis ad dandam rectitudinem moralem suis actibus: ergo bonitas moralis, & ejus privatio potius fundatur in voluntate, quam in actibus voluntatis. R. D. a. Debitum, seu obligatio activa c. a. obligatio passiva n. a. sicut voluntas debet active conformare suum actum regulæ morum, sic & ipse actus debet passive conformari eidem regulæ.

Objic. 8. Moralitas actuum humanorum, consequenter & malitia consistit in aliqua denominatione extrinseca, aut in relatione rationis;

tionis; atqui privatio non est denominatio extrinseca, neque relatio rationis: ergo. R. D. m. Privatio physica c. m. moralis n. m. Nec Scotus, nec Scotistæ hanc privationem, de qua loquimur, dicunt esse physicam, & stricte dictam, quæ omnes conditiones veræ privationis physicæ habeat. Intelligimus ergo per eam solum absentiam conformitatis cum regula morum per intellectum ostensa. Hæc autem privatio consistit in hoc, quod actus libere eliciatur, ubi lex cognita dictat, eum esse omittendum, vel, quod actus libere omittatur, ubi lex & regula morum dictat, talem actum esse faciendum. Quo in sensu tota malitia peccati formalis, & privatio rectitudinis moralis debitæ absolvitur per denominationem extrinsecam desumptam a voluntate proxime indifferente, & a regula morum ostensa. Per hanc igitur denominationem extrinsecam denominatur actus peccaminosus *libere non conformatus cum regula morum*, sicut & actus bonus denominatur libere conformatus cum eadem regula.

Dissertatio II.

DE PECCATO MORTALI, ET VENIALI.

Articulus I.

De Natura, & malitia peccati mortalis, & venialis.

§. I.

Quid sit peccatum mortale, & veniale, &, an detur peccatum ex natura sua veniale?

Assero 1. Peccatum mortale est transgressio plene deliberata, & perfecte libera alicujus præcepti graviter obligantis. Illud autem 100
præceptum graviter dicitur obligare, quod stringit sub reatu incurrendæ inimicitiæ divinæ, & sub amissione ultimi finis. Peccatum vero veniale est libera transgressio legis tantum leviter obligantis, vel non est plene deliberata, nec plene libera transgressio legis graviter obligantis. Illa autem lex solum leviter obligat, quæ non obligat

ligat sub incurrendo reatu inimicitiæ divinæ, seu cujus violatio adhuc stat cum amicitia Dei, & gratia sanctificante, quamvis fervorem amicitiæ divinæ minuat. Herincx p. 2. disp. 7. de peccato mortali & veniali. n. 12. Idemque sentit Scotus 2. d. 21. q. 1. n. 3. ubi dicit: peccatum mortale esse contra præceptum, & veniale contra Consilium. Per hoc autem Doctor solum voluit, quod omne peccatum mortale sit contra rectitudinem necessariam ad consecutionem ultimi finis; veniale vero sit contra rectitudinem præceptam quidem, verum ad ultimum finem absolute consequendum, non necessariam, seu tantum utilem, ac consultam.

Hæc Conclusio probatione non indiget; quia melius discrimen inter peccatum mortale, & veniale dari haud potest.

101 Hic inferenda est notabilis controversia de peccato ex natura veniali, contra Novatores. Calvinus peccatum ex natura veniale appellat *Sophistarum inventum*, dum l. 2. & 3. Instit. docet: omne peccatum ex sua natura esse mortale, ac pœnam mortemque æternam mereri; peccata vero sanctorum, fidelium, & Prædestinatorum venialia quidem dici, non tamen esse *ex suapte natura, sed quia ex Dei misericordia veniam consequuntur, quia non imputantur, quia venia delentur &c.* Hausit hunc errorem saltem ex parte, ex Sacerdote Anglo in Concilio Constantiensi damnato, sub Carolo IV. & Clemente VI. Rom. Pontifice. Quod idem & Lutherus sentit. Imo jam, ni fallor circa finem Sæculi IV. hæc hæresis videtur sumpsisse exordium: quia (ut *Stoicos* taceam, de quibus S. Augustinus L. contra mendacium c. 15. Epist. 29. modo 167. ad Hieronymum. & S. Thomas Aquin. 1. 2. q. 13. art. 2.) jam anno 382. Jovinianus a Siricio Papa anno 390. damnatus docuit, non modo merita, sed & omnia peccata in gravitate esse æqualia, ut vel ideo nullum agnoverit peccatum ex natura veniale; Quem in errore secuti sunt Lutherus, & Calvinus, adeo quidem, ut Lutherus Concione de Nativ. B. V. Mariæ dicere ausus fuerit: *Omnes Christiani æque magni sumus, sicut Mater Dei, & æque Sancti, sicut Ipsa.*

Contra hos hæreticos sentiendo, antequam sententiam proferam, ulterius ex subsequentibus prælibo, peccatum dupliciter posse esse veniale, nempe 1. *Ex Natura sua*, & *objecto suo*, ac *per se*, quatenus unum objectum ex se minorem, & levem habet repugnantiam & difformitatem cum Lege Dei, ut liquet in verbo mere

otioso,

otioso, mendacio non pernicioso, comparando illud ad blasphemiam. 2. *Per accidens*, quod potest iterum duplici modo fieri; nimirum ex *parvitate materiæ*, uti accidit in levi detractione, in furto levis materiæ; vel *ex imperfectione actus*, id est, ex semiplena deliberatione, cognitione, & advertentia; quia ad peccatum mortale omnino requiritur, ut sit perfecte, ac plene voluntarium, saltem virtualiter, ac interpretative: quod hic contra eosdem hæreticos fusius ostendere non juvat. His Præmissis

Assero: Datur peccatum ex natura sua veniale. Est de fide, 102
& definitum in Concilio Milevitano (Cui inter alios PP. etiam S. Augustinus præsens erat) anno 416. Can. 7. & 8. Et in Trident. Sess. 6. Can. 11. ubi dicitur: *Licet in hac vita, quantumvis Sancti & Justi, in levia saltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse Justi.* Idque sequitur etiam ex illo Joan. 1. ℣. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus &c.* Insuper Pius V. Gregorius XIII & Urbanus VIII. inter alias propositiones Michaelis Baii, & istam ord. 20. confixerunt: *Nullum est peccatum natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

Prob. 2. Ex S. Scriptura. Math. 5. ℣. 22. dicitur: *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio, qui autem dixerit racca, reus erit consilio, qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Atqui ex tribus istis iræ peccatis solum tertium dicitur esse mortale, seu morte æterna dignum, ita testante S. Chrysostomo homil. 16. in loc. cit. ergo reliqua duo reputantur solum venialia. Item Math. 7. ℣. 3. 4. & 5. quædam peccata comparantur *festucæ*, alia *trabi*. in quem locum S. Hieronymus ait: *Cum ipsi mortali crimine teneantur obnoxii, minora peccata fratribus non concedunt, culicem liquantes, & Camelum glutientes:* ergo dantur peccata mortalia & venialia. Ad hæc Eccli. 19. ℣. 1. habetur: *Qui spernit modica; paulatim decidet*; sed mortalia non sunt modica; per quodvis enim mortale homo decidit graviter, & facit morte æterna dignum: ergo per modica intelliguntur venialia, quæ ad mortalia disponunt; sicut docet S. Gregorius l. 10. Moral. c. 14. & S. Thomas Aquin. 1. 2. q. 88. art. 4. ad 3. Pariter dicitur Math. 12. ℣. 36. *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Sed verbum pure otiosum absque necessitate & utilitate prolatum non potest dici ex natura sua mortale, ut distinguatur a blasphemia, & aliis

verbis

verbis criminofis. Ita cit. locum exponit S. Hieronymus. tandem 1. Joan. 5. ℣. 16. datur *peccatum non ad mortem*; fed hoc non eft mortale. Obfervent autem Accatholici Adverfarii, quod Scriptura infinuans, dari peccata venialia, nullum difcrimen faciat, utrum peccans fidelis, vel infidelis, prædeftinatus, aut reprobus fit.

Præter jam allegatos SS. PP. dari peccatum veniale D. Auguftinus pluribus in locis docet, atque in Enchiridio c. 21. diferte pronuntiat: peccatum eft ergo mendacium, fed veniale.

Prob. 3. Ratione: In tantum eft peccatum, in quantum eft transgreffio, vel prævaricatio legis: ad Rom. 4. *Ubi non eft lex, ibi nec prævaricatio*: atqui transgreffio legis non eft femper æqualis: ergo nec peccata funt æqualia. Major enim prævaricatio videtur effe idololatria, Blafphemia, Homicidium, quam mendacium non perniciofum, quia priora funt gravius ipfa ratione dictante prohibitá, quam mendaciolum, vel verbum mere otiofum. Poteft dari minima repugnantia cum lege, quæ amicitiam divinam non tollit, nec mortem æternam meretur. Sicut etiam inter homines prudentes non quævis minima offenfa ftatim omnem amicitiam extinguit. 2. Inæqualitas peccatorum ex S. Scriptura clare conftat; juxta illud Joan. 19. ℣. 11. *Qui me tradidit tibi majus peccatum habet.* 3. De fe repugnat S. Scripturæ, quod peccata Sanctorum tantum venialia fint, quia ipfis non imputantur: Scriptura enim omni homini mortaliter peccanti nullo excepto fideli, Prædeftinato, vel alio, minatur mortem & pœnam æternam, nifi pœnitentiam egerit, ficut egit Adam, David, Magdalena &c. Imo Luc. 12. ℣. 47. & 48. Item Pfal. 54. ℣. 13. & 14. aperte infinuatur, magis imputari peccatum fidelibus, quam infidelibus, propter majorem legis divinæ cognitionem, majoresque obtentas gratias, ficut & Judas majus habuit peccatum Pilato. 4. Ex erronea hæreticorum opinione fluit abfurdum hoc: inutilem effe pœnitentiam, fidelibus quidem, quia iftis peccata non imputantur, infidelibus vero & reprobis, quia iftis non remittuntur; & fic fidelem poffe pro libitu indulgere peccatis, quia de fua falute fecurus eft.

Solvuntur Objectiones.

103 Objic. 1. Ex S. Scriptura. Ezechielis 18. ℣. 20. dicitur: *Anima, quæ peccaverit, ipfa morietur*: ergo quodcunque peccatum eft mortale, & afferens animæ mortem. R. 1. Illum textum loqui de pecca-

tis mortalibus, ut de Idololatria, Rapina, Adulterio. Et fors ille textus est minus ad propositum: ibi enim solum insinuatur, quod *filius non portabit iniquitatem Patris, & Pater non portabit iniquitatem filii*, sed *anima* ipsius peccantis morietur, si tamen peccatum mortale fuerit. 2. Neque aliud quidquam evincit illud Math. 5. ℣. 19. *Qui solverit unum* de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum; hoc enim textu arguuntur Pharisæi, & alii, qui Verbum Dei perversa interpretatione corrumpunt, dum quædam peccata & mandata Dei vere gravia, ut minima, vel omnino nulla existimant, sicque docent, homicidia & adulteria lege prohiberi, non autem iram, & concupiscentiam internam. Addo, & minimum veniale saltem ad tempus a regno Dei retardare. 3. De gravi vel mortali, non autem veniali peccato loquitur textus S. Jacobi 2. ℣. 13. *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* 4. Ad Illud apud Joan. 13. ℣. 8. Christi ad Petrum dictum: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, variæ sunt responsiones. *Primo* inquiunt S. Basilius & D. Thomas, Petrum, si recusasset lotionem, peccaturum fuisse contra obedientiam Christo debitam; 2do. Dicunt S. Augustinus, & S. Bernardus etiam venialia peccata, a quibus per lotionem pedum mundandus fuerat, impeditura fuisse Petrum a regno cœlorum, vel ad tempus usque ad plenam satisfactionem, aut solutionem in purgatorio, vel omnino in æternum, sed dispositive tantum, quatenus venialia ad mortalia disponunt. 3tio. Per illa verba, *non habebis partem mecum*, non tam exclusio a regno cœlorum intelligitur, quam ab Apostolatu; quia noluit se subjicere in illo actu, quo Christus voluit Apostolis exemplum monstrare, quomodo se in charitate, humilitate, & munditia Cordis gerere debeant.

Et liceat quærere ex Adversariis, quomodo, si fidelibus, & Prædestinatis peccata non imputantur, potuit Christus ad Petrum, utique prædestinatum & fidelem dicere? *non habebis partem mecum?*

Objic. 2. Qui non diligit Deum super omnia, peccat mortaliter; sed levissime peccans non amat Deum super omnia, quia plus creaturam diligit: ergo talis peccat mortaliter. R. N. M. Præceptum Charitatis utpote affirmativum non obligat semper, & pro semper sub mortali; alias quodlibet opus, etsi honestum, esset virtualiter peccaminosum, si non fieret cum actuali dilectione Dei super om-

nia, quod tamen damnatum est in Propositionibus Baii, & Quesnelii, ut suo loco dicetur.

Objic. 3. Minimum opus bonum est meritorium vitæ æternæ: ergo & minimum opus malum meretur pœnam æternam. R. N. c. Deus enim ob bonitatem suam est pronior ad præmiandum, quam ad puniendum; in pœna exacte observat mensuram delictorum, in præmiatione multum intervenit de gratia, & misericordia. Dein etiam multæ conditiones requiruntur ad opus bonum meritorium de condigno.

Dum Ecclesia pro Animabus fidelium defunctorum precatur, ut Christus liberet eas *de morte æterna*, *de ore Leonis*, *ne absorbeat eas Tartarus*: hic sensus est; sicut in vita sua fuerunt per merita Christi a peccatis & morte æterna liberati, ita quoque per eadem merita liberentur post mortem a pœnis temporalibus Purgatorii. Orat simili modo Ecclesia pro defunctis tantum modo applicativo, ac si adhuc essent in Vivis; sicut & in Adventu orat: *Rorate Cœli &c.* ac si Messias necdum venisset, repræsentando Mysterium, cujus fructum nobis applicari precatur.

§. II.

Aliqua scitu Utilia de peccato mortali, & veniali.

104 Assero: Peccatum mortale a veniali specie theologica differt. Communis. Dixi: *Specie theologica*; nam non attendimus speciem physicam, qua sæpe mortale, & veniale conveniunt; sic furtum grave & leve non differunt specie physica, bene vero theologica in ordine ad confessionem sacramentalem, in qua districte dici debet, an furtum grave, vel leve fuerit.

Prob. Concl. In æstimatione morali (quod theologi in ordine ad forum sacramentale præcipue attendunt) essentialiter differunt delictum dissolvens amicitiam divinam, & inducens mortem æternam, ac delictum non dissolvens amicitiam divinam, & inducens tantum pœnam temporalem: ergo peccatum mortale & veniale essentialiter differunt in æstimatione morali & theologica.

105 Objic. Inter peccatum mortale & veniale est sæpe modica distantia; sed illa non differunt essentialiter, inter quæ est modica distantia:

ſtantia: ergo. M. prob. ſic furtum grave a levi ſæpe diſtat tantum paucis crucigeris, hi enim ſi addantur, erit quantitas gravis, ſufficiens ad peccatum mortale, ſi non addantur, erit ſolum materia levis &c. R. D. M. Inter peccatum mortale & veniale materialiter & phyſice ſpectatum c. M. moraliter ſpectatum, quatenus eſt transgreſſio legis graviter, & alterum transgreſſio legis leviter obligantis n. M.

Quæres 1. Quænam peccata dicantur ex genere ſuo mortalia, 106 quænam venialia? R. Illud peccatum eſt ex genere, vel objecto ſuo mortale, quod manens intra genus ſuum vel ſpeciem ſuam, & verſatur circa proprium ſpecificum objectum, eſt mortale, vel ſaltem ita creſcere poteſt quoad materiam, ut fiat mortale, non addita nova ſpecie, vel non tendendo in aliud objectum: ſic furtum ex genere, & objecto ſuo eſt mortale; quia etiam dum manet intra propriam ſpeciem, & verſatur circa proprium objectum ſcilicet rem alienam, eam auferendo invito Domino, ita creſcere poteſt quoad quantitatem rei ablatæ, ut fiat mortale, etiamſi nulla alia circumſtantia extrinſeca alterius ſpeciei v. g. Sacrilegii accedat. Sic etiam ex genere & objecto ſuo mortalia ſunt odium Dei, Blaſphemia: quia dum manent intra ſpeciem propriam, mortalia ſunt.

Peccatum *ex genere ſuo Veniale eſt*, quod quamdiu manet intra ſuam ſpeciem, & circa proprium ſuum objectum, nunquam poteſt fieri mortale, ſed ſemper veniale eſt; ut mendacium, quod quatenus præciſe opponitur veracitati, tantum veniale eſt, niſi accedat alia ſpecies contra aliam virtutem & objectum, v. g. contra juſtitiam, ut dum aliquis dicit mendacium alteri in bonis ſuis temporalibus graviter damnoſum.

Quæres 2. An multa peccata venialia conſtituant unum morta- 107 le? R. Nullo modo, quomodocunque multiplicentur. Ita habet certa Theologorum Doctrina contra Gloſſam *in Canon. tres ſunt, de pœnitentia*, quæ Authoritate Pontificia teſte Herincx ex Jure deleta eſt. Prob. 1. Si aliquando venialia mortali æquivalerent, deberent exponi in confeſſionali, quod eſt contra definitionem Tridentini Seſſ. 14. c. 5. 2. Deberent excludere habitum Charitatis & gratiæ ſanctificantis, quod eſt contra communem Theologorum. 3. Piorum conſcientiæ multis ſcrupulis & anxietatibus redderentur perplexæ, cum nullibi exſtet, quot venialia conſtituant unum mortale. 4. Pœna venialium eſt tantum temporalis, & finita, mortalium eſt

æterna, & extenfive infinita; fed pœnæ finitæ & temporales, quantumvis multiplicentur, nunquam adæquabunt pœnam infinitam: ergo neque peccata venialia quantumvis multiplicentur, non adæquabunt peccatum mortale. 5. Non poteft oftendi lex prohibens multiplicationem venialium fub mortali. 6. Quamvis venialia multiplicata difponant ad mortalia, hæc tamen difpofitio, quantum eft ex natura venialium, non femper eft proxima, fed provenit tantum inde, quia fimul adeft magna fragilitas humana, defectus vigilantiæ, orationis, neglectus gratiarum. 7. Peccata venialia minuunt folum gratias actuales, earum collationem impediendo, & fic fervorem Charitatis extinguendo.

§. III.

An peccatum mortale fit infinitæ gravitatis in ratione offenfæ?

Facile evincitur, quod peccatum non fit fimpliciter infinitum in ratione malitiæ: hæc enim eft privatio honeftatis, & rectitudinis folum finitæ: ergo & ipfa mere finita eft. Solum quæftio eft de peccato mortali in ratione offenfæ Dei confiderato, fub qua ratione TTæ. volunt, illud importare aliquam infinitatem fimpliciter talem. Contra hos

108 Affero: Peccatum mortale non eft fimpliciter infinitum in ratione offenfæ. Deducitur ex Scoto in variis locis, cui confentiunt SS. ac ex RRbus. plurimi, ut Suarez, Vafquez, Lugo, Pallavicin. Antonius Mayr tract. 9. n. 294. contra TTas. & Vivam.

Prob. 1. Unum infinitum fimpliciter tale, fub illa ratione, fub qua eft infinitum, non eft majus altero: ergo peccatum mortale non eft infinitum in ratione offenfæ Dei. prob. c. Unum peccatum mortale eft majus altero in ratione offenfæ: ergo fi unum infinitum non eft majus altero &c. a. prob. Unum peccatum mortale eft altero majus quoad fuam malitiam, ergo etiam quoad offenfam Dei; etenim offenfa Dei commenfuratur malitiæ peccati. Et utique odium Dei & contemptus magis offendit Deum, quam furtum aliquod; & cur aliqua peccata mortalia gravius puniuntur quam alia, nifi, quia magis offendunt Deum? hujus ratio a priori eft; peccatum ideo eft offenfa Dei, quia eft transgreffio legis divinæ: hoc eft, quia habet malitiam, quæ eft privatio obfervantiæ erga legem Divinam. Unde ejusmodi malitia eft radix ac fundamentum offenfæ divinæ, quæ crefcit,

ſcit, dum ipſa malitia creſcit. A. præter jam dicta, conſtat etiam ex S. Scriptura, ubi Joan. 19. ℣. 11. Chriſtus dixit Pilato: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Eſt etiam ſenſus communis fidelium, quod unum peccatum altero ſit gravius. Ex hoc

Deduces, neque eſſe poſſibile ullum peccatum, infinitæ ſimpliciter gravitatis; quia nullum eſt poſſibile, quo non poſſit dari gravius: ſiquidem Deus ſemper magis ac magis contemni, & odio haberi poteſt, ſicut ſemper perfectius & perfectius amari.

Prob. 2. Objectum non aliter transfundit bonitatem, vel malitiam in actum moralem, niſi quatenus eſt cognitum; atqui Deus, etſi in ſe infinitus, tantum modo finito cognoſcitur a peccante: ergo etiam malitiam tantum modo finito transfundit in actus peccaminoſos.

Confirm. Qui nullo modo cognoſcit Deum offendi per ſuum actum, nullo etiam modo peccat, nec offendit Deum: qui imperfecte tantum cognoſcit Deum offendi, ut ſemi - dormiens, ſolum peccat leviter: qui magis cognoſcit Deum offendi, magis peccat, & magis offendit Deum: ergo malitia peccati & offenſa Dei commenſurantur cognitioni Dei offenſi: ergo ſicut omnis cognitio Dei in creatura peccante ſolum finita eſt, ita & malitia peccati omnis & offenſa Dei erit ſolum finita.

Prob. 3. Ideo juxta AArios peccatum mortale eſt malitiæ ſimpliciter infinitæ, quia eſt offenſa Dei tanquam boni infiniti; atqui hæc ratio nimium probat; probat enim, peccatum quoque veniale, quod pariter eſt offenſa Dei, infiniti boni, eſſe malitiæ ſimpliciter infinitæ: quod tamen negant AArii.

Dixi in Concluſione: Peccatum non eſt *ſimpliciter infinitum.* Nam poteſt dici, quod peccatum ſit infinitum ſecundum quid, nimirum objective, & terminative; quatenus pro termino & objecto habet Deum offenſum infinitum. Tali ratione viſio quoque beatifica, quamvis in ſe finita ſit, poteſt dici infinita ſecundum quid, ſcilicet objective & terminative; quia pro objecto reſpicit Deum infinitum. Atque in hoc ſenſu interpretandæ ſunt Authoritates, ſi forte aliquæ nobis objiciantur, quæ videntur dicere, quod peccatum ſit infinitum.

Objic. 1. Honor eſt in honorante, & offenſa eſt in perſona of- 109
fenſa: ergo etiam peccatum, quatenus eſt offenſa, moraliter eſt

in Deo, qui proinde eft forma infinita conftitutiva peccati in ratione offenfæ. R. 1. N. quod Deus fit forma conftitutiva peccati in ratione offenfæ: etenim peccatum refpicit Deum tanquam objectum, & terminum offenfum, non tanquam formam conftitutivam. Deinde Deus potius eft fuo modo fubjectum offenfum per peccatum & ejus offenfam: ergo non eft forma peccati, & offenfæ, nec hanc conftituit, ficut corpus tanquam fubjectum animæ non conftituit animam. R. 2. Dato, quod Deus fit forma peccati in ratione offenfæ, hoc tamen non aliter informat, aut conftituit, nifi quatenus eft cognitus: atqui folum eft cognitus modo finito: ergo. Illud axioma autem: *honor eft in honorante &c.* habet hunc fenfum: quod gravitas injuriæ & offenfæ crefcat ex dignitate Perfonæ, quæ offenditur; ficut & honor crefcit ex dignitate Perfonæ, quæ honorem exhibet. Sic Alapa inflicta Principi, notabiliter gravior eft injuria, quam fi fuerit inflicta tantum homini plebejo; & ex oppofito, honor, quem quis a Rege recipit, eft major, quam ille, quem accipit ab homine plebejo, etfi cætera fint paria. Quo in fenfu ad propofitum faciat iftud axioma, aperiet fequens objectio. Quare

Objic. 2. Gravitas offenfæ crefcit ex dignitate Perfonæ; fed Deus per peccatum mortale offenfus, eft infinitus: ergo peccatum mortale in ratione offenfæ eft infinitum. R. 1. Retorq. arg. Actus Amoris etiam crefcit ex dignitate objecti amati: fed Deus amatus eft infinitus: etgo etiam amor Dei eft infinitus. Retorq. 2. in peccatum veniale, quod etiam eft offenfa Dei infiniti. R. 3. in forma. Gravitas offenfæ crefcit ex dignitate Perfonæ ad æqualitatem, & proportione Arithmetica n. M. non ad æqualitatem, & proportione tantum Geometrica, vel incommenfurabili c. M. Gravitas offenfæ non crefcit ad æqualitatem dignitatis Perfonæ, ita, ut tanta præcife fit offenfa, quanta eft Perfona offenfa; fed crefcit folum proportione geometrica, quæ datur tunc, quando crefcente uno crefcit etiam alterum, fed non certa & æquali proportione, ita quidem, ut unum non tantum crefcat in fuo genere, quantum alterum in fuo; quare dum crefcit unum, in ejusmodi eventu alteri tantum accedit augmentum aliquod, ut ita dicam, incommenfurabile. Sic dum crefcit perfectio objecti amati, crefcit etiam perfectio amoris, fed non ad æqualitatem; etenim actus, quo amo Deum, eft quidem perfectior amore, quo amo creaturam qua talem; verum non eft tanto perfectior, quanto perfectior eft Deus creatura. Pariformiter

pec-

peccatum crescit quidem ex dignitate Dei offensi, nunquam tamen ad æqualitatem, ita, ut commensuretur Deo infinito: manet ergo semper in linea finita.

Objic. 3. Offensa facta Deo excedit offensam factam cuicunque Personæ creatæ, vel creabili etiam digniori & digniori in infinitum: ergo est infinita simpliciter. c. prob. ex hoc arguimus Deum esse infinitum simpliciter in genere entis, quia excedit quodcunque ens perfectum creabile in infinitum. R. 1. Retorq. argum. Angelus supremæ speciei & ordinis excedit creaturas inferiores, quæ infra ipsum perfectiores & perfectiores in infinitum possunt produci: ergo talis Angelus est infinitus. Consequentia est falsa. R. 2. N. c. sicut Angelus non est infinite perfectus, licet infra Angelum sint possibiles creaturæ perfectiores & perfectiores in infinitum, quarum tamen nulla attingat perfectionem Angeli; ita etiam non erit infinita simpliciter, & categorematice offensa Dei, quamvis infra hanc sint possibiles aliæ, & aliæ majores in infinitum, quam ob rem offensa Dei est quidem in superiori ordine, & est major offensa, quam sit offensa quæcunque, & quantacunque præcise illata alicui creaturæ; non tamen est infinita, sed intra lineam finitam sistit, ut patet ex retorsione, & ex hac ratione: quia offensæ Dei licet sint in supremo ordine respectu offensæ illatæ alicui creaturæ, tamen inter se non sunt æquales, sed habent suos gradus, una potest esse major altera, quod repugnat infinito simpliciter tali: hoc enim sub illa ratione, sub qua est infinitum, nec majus, nec minus capit. Declaratur etiam alio exemplo: quamvis amor Dei sit in ordine supremo inter omnes amores, cum nullus amor possit esse præstantior, aut melior, quam ille, quo Deum prosequimur; tamen iste amor non est infinitus simpliciter, non obstante, quod infra amorem Dei sint possibiles amores rerum creatarum perfectiores, & perfectiores objective in infinitum; quia dari possunt creaturæ perfectiores, & perfectiores in infinitum.

Objic. 4. Injuria & offensa etiam crescit ex vilitate personæ offendentis; imo hæc vilitas videtur intrinsece constituere peccatum, & offensam Dei: atqui vilitas Creaturæ offendentis Deum est infinita; infinite enim Creatura sua vilitate a Deo distat, & reputatur esse nihilum juxta Isaiam: ergo. R. 1. Retorq. argum. ergo etiam peccatum veniale est infinitum in ratione offensæ, & malitiæ, quia venialiter peccans esset quoque creatura infinite vilis &c. R. 2. N. m.

Crea-

Creatura intellectualis non est infinite vilis, neque est nihil; quia omnes Creaturæ etiam vilissimæ ratione suæ entitatis sunt aliquid æstimabile. Accedit; si vilitas cujuslibet Creaturæ est infinita, tunc una Creatura non potest esse vilior & imperfectior altera, quia alias unum infinitum esset majus vel minus altero; atqui sequela est falsa: ergo. Demum vilitas una est *intrinseca* Creaturæ, & est entitas ipsius Creaturæ; quæ non est infinita. Altera vilitas est *extrinseca*, & est negatio perfectionum infinitarum, quæ dantur in Deo, & non in Creatura; quæ nihil facit ad peccatum, quia est prorsus extrinseca peccanti.

Objic. 5. Satisfactio & merita Christi sunt simpliciter infinita: ergo & peccata mortalia hominis. R. 1. N. a. Cum Scoto & Scotistis. R. 2. tr. a. n. c. Ideo satisfactio Christi esset infinita, quia constitueretur ex dignitate Personæ Verbi infiniti, & quia supposito divino, cui est unita Humanitas Christi, Actiones satisfactoriæ Christi tribuerentur, ac ab eo dignificarentur. Peccans vero non est unitus Deo, sed tantum in Illum tanquam objectum tendit; Objecto autem non tribuuntur actiones, sicut supposito & Personæ agenti, neque ab objecto constituuntur. 2. Si hæc paritas subsisteret, sequeretur, quod unum peccatum mortale seorsim tantum offendat Deum, quantum omnia simul; quemadmodum unum opus Christi tantum meruit, sicut omnia simul.

Ob. 6. Peccatum mortale est affectiva destructio Dei: ergo est infinitum in ratione offensæ, quia destructio tam mala est, quam bona sit res destructa. R. N. c. Affectus destruendi Deum etiam formalis, qualis tamen in omni peccato mortali non est, limitatur a cognitione finita Dei. 2. Volens affective Deum existere, Eique tribuere rationem ultimi finis, & boni infiniti, non habet actum bonum infinitum: ergo etiam volens affective destruere Deum, aut non esse Deum, non habet actum malum infinitum. Idem responde ad argumentum, quo probatur peccatum tollere a Deo rationem ultimi finis.

Objic. 7. Per peccatum mortale meretur homo privationem Unionis hypostaticæ, & beatitudinis cujuscunque possibilis infinitæ, ac bonorum infinitorum: ergo est malitiæ infinitæ. R. 1. Hoc Argumentum etiam solvi debet ab Adversariis: nam & peccatum veniale secundum AAtios est incompossibile cum Unione hypostatica, &

cum

cum beatitudine, nisi fuerit remissum. R. 2. N. a. Vel potius suppositum, quod Unio hypostatica, beatitudo &c. sint bona infinita; sane si beatitudo esset bonum infinitum, tunc & meritum, per quod beatitudinem meremur, foret infinitum: quod est falsum. R. 3. Negando, quod peccatum mortale mereatur privationem Unionis hypostaticæ. Nam peccatum tantum meretur pœnam, atqui privatio Unionis hypostaticæ non est pœna, quia illa solum privatio est pœna, quæ privat bono debito; sed Unio hypostatica non est bonum debitum, quod quis haberet, si non peccaret.

Objic. 8. Peccatum mortale meretur annihilationem hominis peccantis; atqui annihilatio est malum infinitum: ergo peccatum mortale meretur malum infinitum; consequenter & ipsum peccatum mortale est infinitum. R. tr. M. n. m. Annihilatio est malum finitum, quia est destructio, & carentia boni ac Entis finiti.

Objic. 9. Peccatum mortale meretur pœnam infinitam extensive, seu æternam: ergo & ipsum peccatum mortale est infinitum. R. 1. Retorq. arg. Actus de condigno meritorius Creaturæ meretur beatitudinem æternam &c. ergo etiam actus talis meritorius est infiniti valoris. Iterum Angelus, & Anima rationalis ex sua natura exigunt durationem infinitam, & tamen non sunt entia infinita: ergo a pari peccatum mortale potest pœnam æternam & extensive ac syncategorematice infinitam mereri, quin ipsum sit infinitum.

R. 2. N. c. Peccatum meretur pœnam extensive ac syncategorematice infinitam, seu æternam, quia est contemptus virtualis infinitæ Majestatis; & sic contrahit malitiam secundum quid infinitam.

Objic. 10. Deberet homo potius eligere carentiam bonorum omnium etiam infinitorum, quam peccatum mortale committere: ergo peccatum mortale est infinitæ gravitatis. R. 1. Retorq. arg. Debet quis potius eligere carentiam bonorum omnium &c. quam peccatum veniale committere, & tamen peccatum veniale non est infinitæ gravitatis juxta Adversarios. Iterum, si per leve mendacium possem impedire omnia peccata mortalia aliorum hominum, non liceret illud, & tamen non sequitur, quod leve mendacium sit majus malum, quam vel unicum peccatum mortale alterius hominis. R. 2. N. c. Ex eo, quod debeam potius carere omnibus bonis, etiam infinitis, & supernaturalibus, quam admittere peccatum mortale, non sequitur, quod peccatum mortale sit majus malum, quam omnia alia

mala, sed tantum, quod Deus tale peccatum juste prohibuerit, ne unquam fiat, etiam tunc, ubi alias quis perdere deberet bona maxima, etiam infinita.

Objic. 11. Deus per quodlibet peccatum mortale offenditur, quantum offendibilis est: ergo infinite. R. N. a. Quia posito quocunque peccato gravi semper major & major malitia, ac offensa Dei dari potest.

Articulus II.

Resolvuntur aliqua dubia de peccato veniali.

§. I.

An peccatum veniale possit conjungi cum solo Originali, & an omnis, qui capax est peccati venialis, possit quoque peccare mortaliter?

110 Affero 1. Homo non baptizatus & constitutus adhuc in peccato Originali potest peccare venialiter, & sic peccatum veniale conjungere cum solo originali. S. Bonav. Herincx p. 2. disp. 7. de Peccato mortali & veniali n. 107. & alii DD. communiter contra D. Thomam. Prob. Parvulus non baptizatus, & adhuc originali labe infectus, dum incipit acquirere usum rationis, & discernere inter bonum & malum morale, potest v. g. leviter mentiri, aut cum imperfecta deliberatione malum aliquod committere; atqui tunc peccat solum venialiter, & sic veniale conjungit cum solo originali: ergo.

Objic. 1. Parvulus in instanti usus rationis obligatur se convertere ad Deum per actum Amoris Dei: quodsi hoc fecerit, statim justificatur, & dimittitur originale; si autem hanc conversionem ad Deum omiserit, peccat mortaliter: ergo tunc non potest solum veniale cum originali conjungi: quia vel originale jam est deletum, vel si adhuc existat, non cum solo veniali, sed mortali conjungeretur.

R. N. M. Nullibi enim est hoc praeceptum revelatum, vi cujus in primo instanti physico accepti usus rationis homo se statim ad Deum debeat convertere per actus Theologicos. Imo praeceptum tam grave obligans sub poena aeterni ignis, ac tam tenerae aetati impositum,

& statim implendum, non videtur consonum Suavitati divinæ providentiæ. Deinde, etiamsi daretur vere ejusmodi præceptum, posset tamen Parvulus primo tempore accepti usus rationis de illo præcepto non cogitare, aut illud invincibiliter ignorare, vel illius obligationem tantum imperfecte cognoscere, quo in casu equidem non posset peccare mortaliter contra hoc præceptum, posset tamen venialiter peccare vel contra hoc præceptum, si illud tantum imperfecte cognosceret, vel contra aliud; quæ omnia magis patebunt ex Conclusione sequenti.

Objic. 2. Innoc. III. c. *Majores de baptismo §. sed adhuc*, dicit: In Adultis amentibus, & dormientibus non posse dimitti per baptismum originale sine eorum consensu; quia non potest remitti originale sine mortali, & mortale non dimittitur sine propria dispositione adulti: ergo Pontifex supponit nullum adultum posse esse in peccato originali sine mortali. R. N. c. Pontifex loquitur ibi de illis tantum, qui perfecte adulti diu perseverarunt sine baptismo, & in peccato originali, & simul peccatum aliquod mortale commiserunt; sicut revera ordinarie præsumuntur esse inquinati aliqua culpa mortali, qui perfecte adulti diu in originali, & extra statum gratiæ permanent. Quo non obstante, possunt aliqui Parvuli in principio obtenti usus rationis reperiri, qui solo originali & veniali sunt infecti: de quibus non loquitur Pontifex.

Objic. 3. Non potest dici, ubi puniretur ille, qui cum originali & solo veniali decederet: ergo. R. 1. N. c. Nam ut notat Herincx, parum refert, quali in loco talis puniatur ob suum veniale: ubicunque enim quis puniatur, ibi teste Joanne Majore, ejus purgatorium vel infernus est. R. 2. Cum Herincx, posse puniri in aliquo loco infero pœna ignis, & postquam satis est purgatus, posse deferri ad reliquos in originali decedentes.

§. II.

An Pueri circa primum tempus accepti usus rationis universaliter, prius sint capaces peccati venialis quam mortalis?

Assero: Affirmative. Herincx, Valentia, Tannerus, Oviedo, 111
& alii contra Suarez, Vasquez, & alios. Prob. Pueri non simul uni-

co instanti physico, sed successive perveniunt ad plenum, & perfectum usum rationis: ergo antequam perfectum usum rationis obtinent, prius tantum imperfectam cognitionem de rebus moralibus habent, ac similes sunt semi-stultis, vel semi-sopitis: ergo tunc solum venialiter peccant etiam circa materiam gravem ob imperfectionem deliberationis. Accedit communis praxis Confessariorum, qui similes Pueros non facile audent judicare reos peccati mortalis, bene autem venialis.

Objic. 1. Tales pueri facilius apprehendunt, quod est graviter & mortaliter inhonestum, quam quod tantum leviter prohibitum; sicut objectum majus facilius videtur, quam minus: ergo facilius peccant mortaliter, quam venialiter. R. D. a. Facilius apprehendunt malitiam gravem, sed imperfecte tantum c. a. perfecte n. a. sicut in crepusculo magnum quoque objectum solum imperfecte videtur, ita similiter gravis malitia sub crepusculum exorientis usus rationis a pueris tantum imperfecte cognoscitur.

Objic. 2. Ejusmodi Pueri possunt cœlum mereri per opera de condigno meritoria: ergo etiam infernum per peccata mortalia.

R. tr. a. n. c. Quia Deus est pronior ad præmiandum, quam puniendum. 2. Non conveniret divinæ Misericordiæ, nec nostræ fragilitati, ut actus imperfecte voluntarii tam gravi supplicio in æternum puniantur; quamvis conveniat benignitati Dei opera bona etiam imperfecte voluntaria remunerari. Quare probabiliter opera bona semi deliberata merentur æternam beatitudinem, sicut peccata semi-voluntaria & venialia merentur, vel potius demeritorie causant obicem, aut remoram aliquam beatitudinis. Non desunt tamen alii, qui probabiliter negant antecedens, & censent ad actum meritorium requiri voluntarium perfectum; quibus favet Scotus 3. d. 39. n. 4. vide nostrum Herincx p. 2. disp. de peccato mortali & veniali. n. 112.



Disser-

Diſſertatio III.

DE DIFFERENTIA SPECIFICA, ET NUMERICA PECCATORUM ACTUALIUM.

Articulus I.

De Differentia ſpecifica peccatorum.

§. I.

Statuuntur Concluſiones.

Nota, Duplicem ſpeciem poſſe conſiderari in actibus peccamino- 112
ſis, unam phyſicam, alteram moralem. *Species phyſica* convenit illis ſecundum entitatem phyſicam conſideratis, & quatenus ſunt ſubſtratum materiale peccati formalis. Deſumitur autem extrinſece ejusmodi ſpecies & differentia ſpecifica ab objectis in quæ tendunt, & a modo, quo tendunt in ejusmodi objecta. Sic volitio auferendi bovem, & volitio auferendi 100. aureos ſpecie phyſica differunt, quia tendunt in objecta diſtincta ſpecie phyſica. *Species moralis & Theologica* convenit peccatis formaliter ſpectatis, quatenus nempe ſunt operationes oppoſitæ rectitudinibus & honeſtatibus moralibus certæ alicujus ſpeciei. Poſſunt autem aliqui actus differre ſpecie phyſica, & convenire ſpecie morali: ſic furtum bovis, & furtum 10. aureorum ſunt phyſice eſſentialiter & ſpecie diſtincti actus, moraliter vero & Theologice ſunt ejusdem ſpeciei; quia eidem rectitudini morali Juſtitiæ opponuntur. Differentiam ſpecificam & moralem ſolum attendunt Theologi, & de hac loquitur Tridentinum Seſſ. 14. c. 5. & Can. 7. dum dicit: *Peccata mortalia eſſe in confeſſione aperienda, non ſolum ſecundum numerum, ſed etiam ſecundum ſpeciem, & circumſtantias ſpeciem mutantes.* Ex qua ipſa Tridentini deciſione patet, quam neceſſaria ſit ſcitu differentia ſpecifica & numerica peccatorum omnibus Confeſſariis. H. N.

Aſſero 1. Diſtinctio ſpecifica peccatorum proxime, & formali- 113
ter deſumitur ab oppoſitione ad diverſas ſpecie rectitudines morales

ex lege debitas, quibus peccata illa privant. Scot. 2. d. 37. q. 1. Scotistæ, & alii contra alios.

Prob. Privationes omnes formaliter & proxime distinguuntur specie juxta distinctionem specificam formarum, quibus privant; sic tenebræ sunt alia specie privatio, quam cæcitas, quia alia specie forma privant, quam cæcitas; atqui peccata moraliter spectata sunt meræ privationes rectitudinum illarum moralium &c. ergo peccata moraliter spectata distinguuntur specie, juxta distinctionem specificam rectitudinum illarum moralium ex lege debitarum, quibus privant.

Dixi in Conclusione: *Ad diversas rectitudines ex lege debitas*: nam peccatum non est privatio, vel absentia honestatis & bonitatis moralis cujuscunque; alias etiam omissio actus boni tantum sub consilium non vero sub præceptum cadentis, peccatum foret: adeoque est privatio honestatis ex lege, vel præcepto debitæ.

Adverte insuper, sub eadem quoque virtute posse dari diversas essentialiter, & specie rectitudines, proinde & contra eandem virtutem possunt pugnare plura specie distincta peccata, quæ talibus essentialiter diversis rectitudinibus privant. Sic detractio, & furtum opponuntur eidem virtuti justitiæ, & tamen sunt specie distincta peccata, quia privant essentialiter diversis honestatibus moralibus ex lege debitis: alia enim est essentialiter honestas, qua debemus proximum illæsum servare in bonis famæ, & alia, qua obligamur ipsum non lædere in bonis fortunæ: priori rectitudini repugnat, & privat detractio, altera privat furtum.

114 Objic. 1. Peccatum veniale & mortale specie Theologica distinguuntur, & tamen sæpe non sunt contra diversas rectitudines: furtum enim mortale & veniale sunt contra eandem rectitudinem Justitiæ: ergo. R. N. a. Mortale enim est contra rectitudinem necessariam ad salutem, peccatum vero veniale solum opponitur rectitudini utili ad salutem.

Objic. 2. Si peccata specificarentur a privatione rectitudinum moralium, tunc eo majus esset peccatum, quo majori rectitudine privaret; atqui sequela non est universaliter vera: ergo. M. prob. omissio actus amoris Dei privat rectitudine charitatis nobilissima, & blasphemia privat rectitudine Religionis minus nobili, & tamen blasphemia est majus peccatum: ergo. R. D. M. Si specificarentur a pri-

vatione

vatione ejusmodi quomodocunque c. M. si specificantur a privatione rectitudinum, quatenus ex lege debitarum n. M. major vel minor gravitas peccati sumitur ex transgressione præcepti magis vel minus obligantis, aut ex privatione rectitudinis magis vel minus præceptæ, & debitæ.

Objic. 3. Quodlibet peccatum dicit privationem plurium rectitudinum moralium specie distinctarum: ergo quodlibet peccatum esset multiplicis speciei, quod est falsum; a. prob. quodlibet peccatum est ingratitudo, inobedientia, & implicitus contemptus erga Deum: ergo privat rectitudinibus illis, quæ his vitiis opponuntur. R. D. a. Dicit privationem plurium rectitudinum generalium, & communium, seu transcendentalium, & in omni peccato inbibitarum c. a. specialium, ac specificarum n. a. Circumstantiæ generales inobedientiæ, contemptus, & aliæ, quæ cuilibet peccato imcluduntur, non constituunt peccatum in certa specie *tum:* quia istæ circumstantiæ sunt transcendentales, & potius ad rationem genericam supremam ac transcendentalem omnis peccati spectant, non vero ad rationem ejus specificam. *Tum*, quia Deus non præcipit, aut prohibet omnia sub motivo obedientiæ, gratitudinis &c. sed tantum ex motivo illius virtutis, ad quam actus per se spectat; sic restitutionem præcipit solum ex motivo justitiæ, non vero ex motivo gratitudinis, aut obedientiæ erga Deum; hinc omittens restitutionem rei alienæ solum peccat contra justitiam non vero contra obedientiam, aut gratitudinem &c. Excipe tamen, nisi aliquis studiose & malitiose intenderet ideo omittere restitutionem, quia se nollet positive subjicere præcepto, vel quia positive vellet ostendere ingratitudinem erga Deum. Et universaliter si positive & directe intenderet circumstantiam aliquam generalem peccati; quia tunc istæ circumstantiæ induerent rationem objecti per se intenti, & specialiter a Deo prohibiti; quia utique Deus specialiter prohibet, ne aliquod peccatum fiat ex directa intentione Ipsum contemnendi, vel se non subjiciendi ejus præceptis &c.

Objic. 4. Nostra regula differentiæ specificæ relinquit adhuc sub dubio, an hoc vel illud peccatum determinate sumptum differat specie ab alio, cum sit incertum, cui rectitudini tale peccatum opponatur: ergo. R. 1. Hanc instantiam posse fieri de omnibus fere regulis,

gulis, quas AArii adstruunt; quia eæ in particularibus quibusdam casibus pariter aliquas difficultates patientur. R. 2. D. a. Regula ista relinquit adhuc sub dubio, si non bene applicetur in particulari c. a. secus n. a. Hæc regula est generalis; ut ergo in particulari serviat, debet ad particularem materiam rite applicari, & ex aliis signis & indiciis colligi, quænam rectitudo in tali casu sit ex lege debita.

115 Assero 2. Etiam ex præceptis formaliter diversis potest cognosci differentia specifica peccatorum. Ita P. Reuffenstuel Theolog. moral. tr. 3. d. 1. n. 44. Antonius Mayr tract. 5. n. 146. ac RRores multi.

Dixi: *Ex præceptis formaliter diversis*; seu quæ obligant sub diversis motivis formalibus spectantibus ad diversas virtutes, vel ad diversas essentialiter rectitudines ejusdem virtutis; ratio est, quia, dum peccata opponuntur ejusmodi præceptis formalibus, simul opponuntur diversis specie rectitudinibus moralibus ex lege debitis, quibus privant. Quare hæc regula adjuvat præcedentem. In hanc sententiam etiam coincidit illa, quæ censet peccata suam malitiam specificam desumere ab objecto, dummodo per objectum intelligant rationem illam formalem, vel motivum, ob quod objectum est malum, & debet vitari, vel prohibetur. Ratio autem hujus est: 1. formalis diversitas legum ex diversitate motivorum debet desumi. 2. Quia aliunde certum est, quod saltem extrinsece, & causaliter bonitas ac malitia transfundantur in actum humanum ab objectis ejusmodi formalibus & motivis.

Dices: Sæpe sub eadem ratione prohibentur peccata specie diversa: ergo. a. prob. sub eodem motivo bonitatis, vel Charitatis Dei prohibetur odium Dei & proximi, quæ sunt specie distincta peccata: ergo. R. D. a. Sub eadem ratione formali generica c. a. specifica n. a. ista motiva sunt nimis generica, & continent sub se multas rationes formales, specie non solum physica, sed etiam morali diversas, quarum violatio inducit specialem indecentiam, & diversam displicentiam in Deo fundat.

116 Rejiciuntur breviter aliquæ regulæ differentiæ specificæ peccatorum ab aliis assignatæ, tanquam insufficientes.

Primo. Dicunt aliqui, tunc peccata distingui specie, quando apud Deum merentur pœnas notabiliter diversas. Verum contra est 1. possunt duo peccata specie diversa esse in gravitate eadem, & eandem

eandem pœnam mereri: ficut alias in phyficis duo entia fpecie diftincta poffunt æqualia effe in perfectione, & æftimabilitate. 2. Furtum mille aureorum, & furtum unius aurei merentur pœnas notabiliter diverfas, & tamen funt ejusdem fpeciei.

2do. Dicunt alii, tunc differre fpecie peccata, quando habent fpecialem, & fpecificam repugnantiam ad naturam rationalem. Contra eft: hæc regula non eft univerfalis, quia non convenit peccatis tantum jure pofitivo prohibitis, v. g. comeftioni carnis Die Veneris, quæ ex fe non habet difconvenientiam ad naturam rationalem.

3tio. Dicunt non nulli differentiam fpecificam peccatorum defumendam effe ex differentia fpecifica dictaminum confcientiæ. Contra eft; dictamen confcientiæ eft tantum cognitio rectitudinis debitæ, vel præcepti formalis, & jam præfupponit, ac applicat formam illam, ex cujus oppofitione privatio & malitia formalis oritur: ergo hoc dictamen non eft vera regula, fed potius applicatio regulæ. Hinc, quando aliquis etiam ex confcientia invincibiliter erronea peccat, tamen actus non eft formaliter malus ideo; quia eft contra hoc dictamen confcientiæ, fed quia eft contra legem revera exiftentem, quæ obligat ex eadem virtute, contra quam actus invincibiliter erronee putatur effe. Siquidem omnis virtus obligat ad omittendam eam actionem, quæ tanquam contraria eidem virtuti proponitur per dictamen confcientiæ, etiam erroneum. Adde, quod detur lex univerfalis obligans ad fequendam confcientiam invincibiliter errantem.

4to. Neque Judicium Prudentum pro fufficienti & univerfali regula dignofcendi hanc differentiam fpecificam ftatui poteft. Ratio eft; quia quamvis illa differant fpecie, quæ Prudentes unanimiter judicant differre fpecie, tamen hoc judicium non eft ultima nec fufficiens regula: 1. quia Ipfi Prudentes faltem communiter debent habere aliquod aliud fundamentum, & regulam, in qua fuum judicium fundent: ergo iftud judicium ultimato in aliam regulam refolvitur. 2. Quia Ipfi Prudentes fæpe dubitant, an aliqua differant fpecie, nec ne; ubi iterum res ex alia regula decidi debet.

5to. Neque fufficiens regula eft, quæ dicit, differre fpecie ea peccata, quæ opponuntur diverfis fpecie virtutibus. Nam contra eft: eidem virtuti opponuntur fpecie diftincta peccata; ut eidem Juftitiæ furtum, & detractio; eidem liberalitati Avaritia, & Prodigalitas.

6to. Neque ideo differunt peccata specie, quia opponuntur diversis legibus, desumendo diversitatem earum non ex ratione & motivo formali obligandi, sed ex diversitate legislatorum, vel multiplicitate legum, ut si una res est prohibita per legem naturalem, alia per divinam positivam, tertia per legem civilem, quarta per legem Ecclesiasticam &c. Contra est: furtum est prohibitum lege naturali, divina, & humana tam civili, quam Ecclesiastica, & tamen est unum specie peccatum, quia ab omnibus his legibus, & legislatoribus prohibetur ex uno, eodemque motivo formali.

Dices 1. Lex divina & humana sunt leges specie diversæ: ergo etiam earum transgressiones sunt specie diversæ. R. D. a. Materialiter c. a. formaliter n. a.

Dices 2. Diversæ leges v. g. naturalis, & divina &c. habent diversum finem: ergo sunt formaliter diversæ. a. prob. Lex naturalis habet pro fine felicitatem naturalem; lex Divina & Ecclesiastica supernaturalem; lex Civilis politicum: ergo. R. D. a. habent diversum finem mediatum, & extrinsecum c. a. immediatum, saltem semper, n. a. Peccatum non specificatur a fine extrinseco, mediato, ac remoto, etiamsi legislator hoc intendat, sed a proximo, intrinseco &c.

§. II.

Ponitur Doctrina practica utilis pro dignoscenda differentia specifica peccatorum: resumpta ex Additionibus meis ad Theologiam moralem R. P. Reiffenstuel.

117 Pro praxi dignoscendæ differentiæ specificæ, prius attendendum est, cujus rectitudinis moralis ex lege debitæ privationem vel oppositionem actus peccaminosus habeat. Ut istud intelligas, ulterius advertendum est, ex quonam motivo, vel fine obliget lex illa, quam transgreditur ejusmodi actus. Duplex autem motivum hic considerari potest, unum *intrinsecum*, & est rectitudo illa moralis, ad quam ex natura sua intrinsece & per se spectat, vel saltem ordinem fundamentalem dicit actus ille, qui præcipitur, vel cui ex natura sua saltem fundamentaliter repugnat ille actus, qui prohibetur. Taliter actus Amoris Dei ex natura sua intrinseca spectat ad virtutem Charitatis

tatis Dei, & petit poni ex motivo hujus virtutis, ſcilicet bonitatis Dei: odium vero Dei ex natura ſua intrinſeca, ſaltem fundamentaliter repugnat rectitudini hujus virtutis. Iterum Jejunium ex natura ſua intrinſeca ſpectat ad rectitudinem virtutis abſtinentiæ & temperantiæ, cui proinde etiam ex natura ſua opponitur violatio jejunii, ſaltem fundamentaliter.

Dixi: *ſaltem fundamentaliter*; nam hic conſideramus actus humanos ut priores ad legem, & ut objecta legis: pro quo priori non intelliguntur in ſe habere formalem moralitatem, proinde nec formalem rectitudinem, aut oppoſitionem & privationem formalis rectitudinis moralis; cum rectitudo formalis ſit illa, quæ ex lege deſcendit.

Aliud eſt *motivum extrinſecum*, quod per ſe non ex natura actus, ſed ex voluntate legislatoris intenditur. Sic poſſet Legislator præcipere jejunium ex motivo conſervandæ Caſtitatis, vel colendi Sanctum. Nihilominus actus, qui ex fine extrinſeco intenditur, debet tanquam medium aliquo modo poſſe deſervire ad finem, vel motivum extrinſecum perfectius conſequendum.

Porro, quando nil aliud conſtat ex verbis, aut circumſtantiis legum, præſumi debet, quod legislator ferendo legem aliquam communitati, eam tantum obligarit ex fine & motivo intrinſeco. Herincx p. 2. d. 5. de peccato in communi n. 48. La Croix l. 5. n. 137. Ratio eſt: quia ſic obligare ex ſolo fine & motivo intrinſeco longe frequentius, & connaturalius eſt. 2. Quia finis extrinſecus ſatis obtinetur mediante illo, ad quod præceptum per ſe ex fine & motivo intrinſeco obligat: ergo etiamſi accedat aliquis finis extrinſecus & remotus in ferenda aliqua lege, tamen, niſi aliud clare exprimatur, ex illo fine extrinſeco lex non obligat, ſed tantum ex intrinſeco: ſic Eccleſia præcipiens jejunium in Vigiliis Sanctorum, extrinſece intendit augmentum Cultus Sanctorum inde obtinendum, & tamen qui violat hoc præceptum, non peccat contra Religionem, vel Duliam, extrinſece intentam, ſed contra ſolam abſtinentiam, quæ intrinſece intenditur, & qua poſita jam promovetur Cultus Sanctorum, dum per eam Fideles magis fiunt diſpoſiti ad colendos Sanctos, & feſtum diem religioſe agendum.

Hæc Aſſertio etiam locum habet, quando dubium eſt: an Legislator voluerit obligare ſimul ex alio præterquam intrinſeco motivo: nam & tunc præſumi debet, quod tantum obligare voluerit ex intrin-

intrinseco motivo, teste la Croix cit. quia illud præsumi debet, quod in ejusmodi dubio connaturalius & frequentius fieri solet, & quia obligationes novæ non sunt adstruendæ, nisi de illis satis constet.

Si vero lex non habeat aliud motivum intrinsecum, recte censemus eam obligare ex motivo extrinseco. La Croix cit. n. 138. proinde violatio talis legis refundet in actum malitiam huic motivo extrinseco oppositam. e. g. Lex Ecclesiastica prohibet die festo laborem servilem; cum autem labor iste, utpote in se honestus, non præbeat motivum prohibendi intrinsecum ex sua natura desumptum, ideo inferimus, eum esse prohibitum ex motivo extrinseco colendi diem festum, qui cultus ad virtutem Religionis pertinet. Unde qui die festivo laborat serviliter, contra rectitudinem Virtutis Religionis peccat. Adde, nisi aliud clare exprimatur, aut aliunde constet, leges tam divinas, quam humanas non obligare ordinarie præcise ex motivo obedientiæ, sed vel ex motivo intrinseco, vel extrinseco distincto a motivo obedientiæ. Sic lex Divina non furandi obligat ex motivo intrinseco Justitiæ; Lex sumendi digne sacram Eucharistiam ex motivo Religionis, & sic de aliis. Ex quo a fortiori sequitur, quod ille, qui v. g. furando peccat, simul contra præceptum divinum, & Ecclesiasticum, non committat duplicem inobedientiam specie distinctam, unam erga Deum, alteram erga Ecclesiam &c. nam dato etiam, quod inobedientia formalis erga Deum, & inobedientia erga legislatorem humanum specie Theologica distinguantur, quod aliqui negant, alii vero satis probabiliter affirmant, tamen non est verum, quod in hoc casu ulla committatur inobedientia erga Deum, aut Ecclesiam. Siquidem tam Deus, quam Ecclesia solum ex eodem & solo motivo Justitiæ, non vero Obedientiæ obligant ad non furandum, id quod fatetur unanimis modernorum Theologorum.

Observandum nihilominus, quod Legislator quidem possit velle obligare ex motivo intrinseco, & extrinseco simul, ad quod tamen non sufficit, si Legislator tantum indicet se moveri ex tali motivo extrinseco ad hanc legem, sed debet clare indicare, quod velit ex tali motivo extrinseco etiam obligare. La Croix l. 1. n. 627. sic si S. Pontifex vellet obligare etiam ex motivo extrinseco Religionis ad Jejunium in Vigilia Sanctorum observandum, deberet suam voluntatem circa hoc aperte declarare. Ratio est, quia alias præsumi-

tur ejusmodi lex tantum obligare modo eo, quo ordinarie aliæ leges obligant; atqui aliæ leges, nisi clare exprimantur, tantum obligant ex fine & motivo intrinseco, quando tale adest, uti in præsenti id adesse ponitur: ergo.

Quæres: quid dicendum de particularibus præceptis, quæ Superiores imponunt personis subditis in particulari? R. In hoc puncto non conveniunt DD. teste la Croix l. 1. n. 628. multi docent, præcipientem alicui particulari subdito pro motivo habere principali solam honestatem Obedientiæ: in quorum sententia ille, qui bis fuisset inobediens graviter, hodie omittendo actum Religionis sibi a Superiore graviter præceptum, heri autem actum Charitatis erga proximum &c. satisfaceret in confessione dicendo: bis fui graviter inobediens meo Superiori, non explicando in qua materia fuerit inobediens. Verum Stoz l. 1. p. 1. n. 52. Castropalao, Lugo, Dicastillo, & alii dicunt, præcipientem talem potius pro fine & motivo habere honestatem illius alterius virtutis, ad quam actio præcepta spectat, & hæc responsio conformior est dictis; quæ etiam in praxi tenenda est. Unde ille, qui præceptum grave a Superiore sibi impositum violavit, debet addere, circa quam materiam præceptum violaverit. v. g. non fui obediens Superiori sub gravi peccato injungenti auditionem Sacri. Ex quo infert Castropalao Tom. 1. tr. 2. disp. 3. punct. 3. n. 12. Religiosum professum violantem grave præceptum sui Superioris, committere duplex distinctum specie peccatum; unum contra votum Obedientiæ & Religionis, alterum contra illam virtutem, vel rectitudinem, ad quam spectat actus præceptus, ex cujus motivo præsumitur Superior obligasse; nisi aliud constet ex modo præcipiendi. 118

§. III.

Sequuntur aliquæ illationes practicæ.

Ex his dictis Deduces 1. Unum specie & numero peccatum committi ab eo, qui violat jejunium in Vigilia alicujus Sancti incidente simul in Quadragesimam, aut quatuor tempora. Ratio est, quia ista violatio tantum opponitur uni rectitudini temperantiæ in cibo & potu, ex cujus motivo proxime & immediate præcipitur jejunium in Vigilia Sanctorum, Quadragesima, & quatuor temporibus. 119

bus. Idem dic de illo, qui omittit ſacrum in Feſto S. Andreæ incidente in Dominicam; nam auditio Miſſæ Die Dominica, & aliis feſtivis ex eodem motivo proximo Religionis eſt præcepta.

Deduces 2. Unicum committi peccatum ab eo, qui transgreditur votum ſæpius circa eandem rem repetitum. v. g. Petrus peccat contra votum Caſtitatis ſæpius renovatum. Repetitio enim voti non addit aliam ſpecie obligationem, ſed priorem tantum confirmat, ac ad ſummum intra eandem ſpeciem aggravat. Idem eſt, ſi quis transgreditur præceptum ſæpius a Superiore inculcatum, vel juramentum ſæpius renovatum. Aliud foret, ſi quis peccaret contra rem & voto, & juramento promiſſam; quia tunc violaret duplicem rectitudinem eſſentialiter diverſam. Voti enim obſervatio præcipitur, ut fides ſeu promiſſio Deo facta ſervetur; juramenti vero, ne Deus in falſum teſtem vocetur; quæ ſunt duæ rationes formales eſſentialiter in æſtimatione morali differentes.

Deduces 3. Non jejunantem Die ab Eccleſia præcepto, quo ſimul vovit jejunare, peccare dupliciter, ſcilicet contra præceptum Eccleſiæ, quod obligat ex motivo temperantiæ, & contra votum.

Deduces 4. Etiam duplex ſpecie diſtinctum peccatum eſſe, ſi violem jejunium ab Eccleſia mihi præceptum, & a Confeſſario ſimul pro pœnitentia injunctum. Herincx p. 2. diſp. 5. de peccato in communi n. 49. La Croix l. 5. n. 135. Contra aliquos: ratio eſt: quia hic actus opponitur duplici rectitudini præceptæ, vel duplici formaliter diverſo præcepto: Eccleſia enim præcipit jejunium iſtud ex motivo temperantiæ, Confeſſarius ex motivo ſatisfactionis ſacramentalis, & ob pœnitentiæ ſacramentum integrandum.

Deduces 5. Peccata, quæ fiunt contra eandem virtutem per exceſſum & defectum, diſtingui ſpecie. Paulus Mezger Tom. 2. tr. 6. d. 9. art. 2. n. 15. & alii: quia ejusmodi peccata habent diverſam repugnantiam cum diverſa rectitudine & honeſtate ejusdem virtutis: ut Avaritia, & Prodigalitas, quæ ſpecie diſtinguuntur; quia pugnant contra diverſas rectitudines ejusdem liberalitatis.

Deduces 6. Peccatum Commiſſionis & omiſſionis, dum ſunt contra eandem virtutem, interdum ſpecie morali diſtingui, interdum eſſe ejusdem ſpeciei. Mezger cit. n. 13. Holzman, tr. 3. de Actibus humanis n. 666. Ratio eſt: quia commiſſio & omiſſio, dum pugnant

gnant contra eandem virtutem, interdum opponuntur eidem, interdum eſſentialiter diverſæ rectitudini. Res declaratur exemplis. Ejusdem ſpeciei ſunt commiſſio furti, & omiſſio reſtitutionis rei alienæ, quia præcipiuntur ex eodem motivo, ut cuique ſervetur ſuum jus illæſum; ſic etiam ſtudium, cujus cauſa omittitur ſacrum, & omiſſio Sacri, ſunt idem numero & ſpecie peccatum, quia uno, eodemque præcepto præcipitur directe Auditio Sacri, & indirecte ſimul prohibetur poſitio omnis actus impedientis ab auditione Sacri. E converſo ſpecie differunt Actus odii Dei, & omiſſio Actus Amoris illo tempore, quo ex præcepto debebat poni. Quia opponuntur diverſis rectitudinibus, & diverſis formaliter præceptis obligantibus ſub eſſentialiter diſtinctis motivis; nam actus odii Dei prohibetur, ne poſitive velimus malum Summo Bono. Actus Amoris Dei vero præcipitur, ut poſitive ei bonum velimus; ſed poſitive nolle alicui malum, & poſitive velle alicui bonum, ſunt in æſtimatione morali duæ ſpecie diſtinctæ rectitudines.

Deduces 7. Omnes detractiones graves eſſe ejusdem ſpeciei Theologicæ: quia omnes bono ejusdem ordinis, ſcilicet famæ adverſantur: ſicut & omnia furta gravia, quo aufers modo aurum, modo bovem, nunc aliquid aliud, ſunt ejusdem ſpeciei moralis, & tantum phyſice differunt. Hinc in confeſſione ſatis ſe accuſat, qui ſolum dicit, graviter detraxi alicui &c. nec debet addere, in quanam materia detraxerit. Idem eſt de omnibus contumeliis, quia & iſtæ omnes adverſantur eidem bono honoris. Aliter dicendum eſt, de imprecationibus, cum mala, quæ homines imprecari ſolent, poſſint eſſe diverſiſſima, & diverſis bonis oppoſita: poſſum enim imprecari alicui infernum, alteri infamiam, tertio mortem: quæ imprecationes diverſis bonis repugnantes ſpecie differunt. Vide P. Ant. Mayr tr. 5. n. 213. ubi alios quoque Th. Th. allegat pro hac illatione.

Articu-

Articulus II.

An idem physice actus possit moraliter continere plures malitias solo numero diversas?

§. I.

Prænotantur aliqua, & statuitur Conclusio.

120 Postquam de Differentia specifica peccatorum est actum, de numerica quoque eorum distinctione tractare oportet, quam hoc & sequenti Articulo examinabimus; quod ut rite præstetur

Nota 1. Non esse quæstionem de distinctione numerica peccatorum in sensu physico, vel metaphysico, sed in sensu morali, ac Theologico. Cujus ratio est: quia solum in ordine ad forum sacramentale inquiritur hæc distinctio, ad quam nihil servit numerus physicus, sed moralis & Theologicus ex præcepto Christi in confessione sacramentali exponendus. Controversia igitur est duplex, 1*ma* est, an unus idemque physice actus possit moraliter esse numero multiplex peccatum in confessione aperiendum. 2*da* est, utrum vicissim plures realiter & physice distincti actus possint in æstimatione morali unum numero peccatum constituere. Prius dubium præsenti, alterum sequenti articulo resolvetur.

Nota 2. Varios ad præsens institutum posse considerari actus. Alii sunt *interni*, alii *externi*; alii sunt *consummati*, *completi*, *perfecti*, & *absoluti*, qui ad alium actum, vel opus complendum non ordinantur. Possunt autem vel interius consummari in mente, ut *hæresis*, *odium Dei &c.* vel exterius ore, ut *perjurium*, *detractio &c.* aut opere, ut *homicidium*, *furtum*, *fornicatio* &c. Aliqui sunt *incompleti*, non *consummati* &c. qui vel ex sua natura, aut ex communi modo operandi ordinantur ad aliud opus tanquam ejus *media*, *prærequisita*, *dispositiones*, *partes*, *complementa ordinaria*, aut *consuetæ appendices*. Ejusmodi actus incompleti respectu fornicationis sunt delectatio, desiderium, aspectus, verba impudica, oscula, tactus, quæ ad opus turpe disponunt, vel illud comitantur; uti & consequens gaudium, & alia signa impuri amoris &c. Idem cum proportione dicendum est de aliis.

Nota

Nota 3. Iterum duplicis generis actus posse spectari; aliqui tendunt in plura objecta totalia opere consummata, ut desiderium plurium copularum fornicariarum, desiderium plurium homicidiorum; iterum actus unicus v. g. unica explosio tormenti, quo plures simul occiduntur. Alii tendunt in plura objecta partialia, vel non consummata, ut plura oscula, plures tactus impudici praevii ad copulam, nec non plures dispositiones factae ad homicidium. H. N.

Assero: Pobabilius Actus tendens in plura totalia objecta solo 121
numero diversa, est tantum unum numero peccatum, vel non habet tot numero malitias, quot sunt numero objecta, in quae tendit. Suarez, Lugo, Tamburinus, Navarrus, Illsung, noster Marchantius in suo Tribunali, Reuffenstuel in Theolog. Mor. tract. 3. de poenit. d. 1. n. 57. Antonius Mayr tr. 5. n. 204. ac multi alii, RRes praesertim.

Prob. 1. Ex Conc. Trid. quod sess. 14. cap. 5. & can. 7. explicans materiam necessariam confessionis, in utroque quidem loco meminit circumstantiarum speciem mutantium, non vero circumstantiarum mutantium numerum: ergo non est obligatio confitendi circumstantias solum numerum mutantes, quales circumstantiae sunt illae tendentiae in plura objecta numero diversa: ergo idem physice actus tendens in plura objecta solo numero diversa in ordine ad confessionem non est multiplex, sed unum tantum numero peccatum.

Confirm. 1. Quia Tridentinum non meminit circumstantiarum mere aggravantium, ideo eas aliquis non tenetur exprimere in confessione juxta sententiam mihi probabiliorem: ergo etiam quia non meminit circumstantiarum numerum mutantium, ideo eas aliquis non tenetur exprimere in Confessione.

Confirm. 2. Quia Concilium agnovit obligationem confitendi circumstantias speciem mutantes, ideo eas expresse nominavit: ergo si agnovisset quoque obligationem confitendi circumstantias solum numerum mutantes, vel tendentiam in plura objecta totalia, etiam nominasset has circumstantias, & haec objecta totalia. Conseq. videtur tenere, alias enim doctrina Concilii esset manca, & deceptoria; quia nominando aliquas circumstantias, & tacendo alias, quas confitendi foret par obligatio, facile ingereret opinionem, secundum Adversarios erroneam, quod tantum illae circumstantiae sint confitendae, quae sunt nominatae, maxime, quia *inclusio unius est exclusio*

clusio alterius, juxta notum principium Juris. Videantur dicenda in tractatu de Pœnitentia de circumstantiis aggravantibus.

Dices 1. Plura objecta totalia, & tendentiæ in illa, non sunt meræ circumstantiæ aggravantes, & numericæ, quia omnia per se primo intenduntur; si enim 10. homines volo simul occidere, non potest dici, quem primario, & quem secundario, & quasi tantum accessorie intendam occidere &c.

Contra est 1. Ponamus, Petro, respectu cujus unus florenus ad gravitatem gravem sufficeret, auferri simul 100. florenos; jam in hoc casu certum est, quod 99. floreni tantum sint circumstantia aggravans, & tamen fur simul & semel omnes centum florenos prima & unica acceptione abstulit: ergo idem dicendum est in aliis ejusmodi casibus.

Contra est 2. Etiam illud potest & debet dici circumstantia, quod additur ultra objectum & numerum jam sufficientem ad peccatum mortale; atqui sic adduntur reliqua objecta totalia ad primum, ergo sunt circumstantiæ actus. M. patet in furto 100. florenorum, ubi 99. sunt circumstantia actus; quia adduntur ultra objectum & materiam jam sufficientem ad peccatum mortale: m. etiam constat: quia ad gravitatem peccati sufficeret desiderare unam fornicationem; si ergo 10. fornicationes desidero unico actu, tunc 9. fornicationes sunt aliqua circumstantia, non quidem speciem mutans, sed numerum.

Dices 2. Tridentinum citt. locis voluit solum declarare, quod non necessario sint exponenda peccata oblivioni tradita: ergo non fuit ad finem intentum Concilii meminisse circumstantiarum mutantium numerum. Contra est: si tantum hic finis fuit ibi intentus, cur Tridentinum bis meminit circumstantiarum speciem mutantium? Cur cap. 5. laudato dicit, necessario peccata esse confitenda secundum speciem & numerum, vel ut ipsum Concilium loquitur: *in specie, & singillatim?* Ex quo colligitur, quod iste finis, quem AArii adstruunt, non fuerit unicus, sed præter hunc Concilium intenderit adhuc alium, nempe plenam instructionem tam fidelium, quam infidelium circa materiam formalis pœnitentiæ, ad quam plurimum profuit, enumerare omnia necessario in confessione exponenda.

Prob. 2. Distinctio & pluralitas objectorum respectu talis actus se habet tantum materialiter: ergo hæc distinctio & pluralitas objectorum in eodem actu non multiplicat numerice malitiam formalem

ac

ac moralem. a. p. actus ejusmodi v. g. intentio occidendi 10. homines, hos omnes respicit per modum unius objecti totalis, & formalis: ergo pluralitas objectorum & hominum se habet tantum materialiter ad istum actum.

Confirm. Si Paulo aufero 10. aureos unica actione, unum tantum peccatum committo: ergo etiam quando 10. homines simul una actione occido, vel quando aufero summam 10. aureorum pertinentem ad 10. distinctos homines, tantum unicum numero peccatum committo. c. p. quamvis singuli aurei Paulo ablati sufficerent ad dandam completam malitiam furto graviter malo, attamen prout conjunguntur, & ab actu per modum unius respiciuntur, conferunt ei simul unam numero completam malitiam; ergo etiam quia 10. homines, qui occiduntur, & 10. aurei ad diversos pertinentes, ab unica actione respiciuntur per modum unius objecti, conferunt pariter tali actui solum unam numero completam malitiam.

Respondebis cum Holzman & aliis. Decem aurei eidem Paulo ablati coalescunt in unum objectum, quia sunt læsio juris unius hominis; ast contra decem homines habent distincta decem jura tam in vitam, quam in bona fortunæ &c. quæ jura non in unum coalescunt. Et sic est disparitas inter furtum 10. aureorum uni homini ablatorum, & inter furtum, quo 10. aurei pertinentes ad 10. distinctos homines auferuntur: idem est de homicidio 10. hominum. Contra est 1. Plures homines ita coalescere possunt, ut per modum unius objecti ab aliquo actu attingantur; Item plures homines possunt coire in unam rempublicam, familiam, aut collectionem qualemcunque: ita *l. 1. ff. si familia furtum fecisse dicatur, tota familia reputatur pro una persona*: ergo plures homines possunt ab uno actu per modum unius attingi, atque hoc sufficit ad unitatem moralem actus: nam alia coalescentia, quam AArii videntur requirere est in quæstione, ac debet prius efficaciter probari.

Contra est 2. Falsum est, quod universaliter objecta & jura non coalescant in unum, quando spectant ad diversas personas: ergo. a. p. si quis per injustum pondus, vel mensuram singulis hominibus solum infert leve damnum, tamen singula damna coalescunt in unum grave ratione modi, quo inferuntur: unde & ejusmodi damna per modum unius complexi prohibentur gravissime, ut S. Scriptura nos docet. Prov. 11. dicens: statera dolosa abominatio est apud Dominum.

S 2 Prob.

Prob. 3. Actus tendens in infinita objecta prohibita v. g. desiderium occidendi infinitos homines, si existerent, non habet infinitas malitias: ergo neque actus tendens in decem objecta prohibita habet decem malitias distinctas. a. constat, alias daretur infinitum actu in malitiis. c. liquet, quia nulla sufficiens disparitas assignari poterit.

Resp. aliqui 1. Actus, qui tendit in decem, habet objecta distincta, non vero ille actus, qui tendit in infinita: adeoque numerum istum infinitum attingit per modum unius objecti. Contra est 1. qui vult occidere integrum exercitum, vel integram civitatem, tantum confuse & per modum unius tendit in individua, & tamen juxta AArios contrahit tot malitias numero distinctas, quot sunt homines in exercitu vel communitate: ergo etiam, qui vult infinitos occidere contrahit infinitas malitias, etiamsi individua infinita tantum in confuso vel per modum unius attingat. Vel aliter: volens occidere integram civitatem, non attingit individua communitatis per modum unius: ergo neque ille, qui vult occidere infinitos.

Contra est 2. Qui vult uno actu infinitos homines occidere, saltem in Adversariorum sententia, non potest habere unam numero malitiam: ergo dicant quot habeat?

Resp. 2. Talis actus habebit malitias infinitas in confuso, vel indeterminatas, quæ indeterminatio non se teneat ex parte objecti, sed ex parte cognitionis humanæ, quia scilicet homo peccans, vel alius numerum determinare non potest.

Contra est. Esto, quod tales infinitas malitias homo discernere nequeat, tamen sufficit, quod a parte rei dentur, & a Deo cognoscantur; sic enim jam habetur infinitum actu. Nam & juxta AArios quando aliquis occidere vult totum numerum personarum alicujus familiæ solum in confuso, & indeterminate cognitum, contrahit tot malitias numero distinctas, quot sunt personæ in tali familia, & quidem ea de causa, quia Deus jam cognoscit determinate hunc numerum: ergo idem a pari est dicendum.

Resp. 3. Desiderium hoc est tantum inefficax, & intendit aliquid impossibile; adeoque ejus objecta coalescunt in unum.

Contra est: Quando actu inefficaci volo Deum destrui, & Luciferum in cœlo tanquam Deum adorari, essent duæ specie distinctæ malitiæ, & duo formaliter distincta objecta, quæ non coirent in unum:

num: ergo inefficacia actus non facit, ut coalescant objecta, sed hæc coadunatio objectorum ex alio fundamento peti debet.

Resp. 4. Si quis infinitos homines vellet occidere, talis actus in ordine ad confessionem haberet infinitas malitias, quatenus deberet explicare, se voluisse infinitos occidere, licet non habeat physice infinitas malitias.

Contra est: Si teneor confiteri actu infinitas malitias, tunc illas actu commisi, & illæ actu dantur; illas enim solum malitias teneor confiteri, quas actu commisi, & quæ in meo actu dantur.

Resp. AArii & retorquent argumentum in actum, quo quis vellet infinitas species peccatorum committere. Contra est: Actus, quo quis vult committere infinitas species peccatorum, non contrahit specificas malitias suorum objectorum, confuse tantum præsentatorum; quia hoc ipso talis actus non dependet a cognitione directiva, explicite repræsentante illorum objectorum differentias specificas, & virtutum oppositarum honestates, tanquam motiva neglecta. Hinc talis actus tantum contrahit speciem innominatam malitiæ, uti & ille, quo quis indeterminate vult plura specie peccata committere, vel unum ex pluribus, non determinando quale, ut docent nostræ sententiæ Patroni: atqui hoc non possunt proportionaliter dicere Adversarii, juxta quos pluralitas, vel numerus objectorum non debet explicite repræsentari ad hoc, ut transfundat plures malitias numericas in eundem actum: sufficit enim juxta Ipsos cognosci, quod sint plures homines, sit exercitus, familia aliqua &c. nam juxta Ipsos, qui desiderat integrum exercitum occidere, contrahit tot malitias numericas, quot sunt milites in exercitu, etsi eos explicite non cognoverit: ergo etiam qui infinitos vult occidere, etiam infinitas malitias contrahit.

§. II.

Solvuntur Objectiones, & adduntur Illationes practicæ.

Objic. 1. Desiderium occidendi 10. homines æquivalet decem aliis numero distinctis actibus: ergo in æstimatione morali habet 10. numero distinctas malitias. R. 1. Retorq. arg. furtum, quo simul eidem Petro aufero 10. aureos, æquivalet decem numero distinctis ablationibus unius aurei; ergo etiam hoc furtum continet 10. nume- 12

ro diſtinctas malitias. R. 2. N. c. Illud peccatum, quod quoad malitiam æquivalet pluribus aliis, non ſtatim eſt numero multiplex, ut ex retorſione liquet: quippe ex alio fundamento deſumitur multiplicitas, ex alio æquipollentia peccatorum. Ad æquivalentiam ſufficit, quod unum æque malum ſit, ac plura ſimul ſumpta; ad moralem vero multiplicationem exigitur, ne res poſſit accipi per modum unius indiviſim reſpicientis plura per eandem ſimplicem entitatem. R. 3. D. a. æquivalet quoad omnia decem aliis numero diſtinctis actibus n. a. quoad aliqua c. a. quamvis ille actus, quo in plura objecta ſimultanee tenditur, æquivaleat pluribus actibus quoad malitiam, ac damnum, non tamen æquivalet iis quoad multiplicationem, cum ad multiplicationem requirantur plures realiter actus reſpicientes plura objecta diviſim.

Objic. 2. Plures actus phyſice diſtincti poſſunt eſſe unum moraliter peccatum: ergo ex oppoſito unus actus poteſt eſſe moraliter multiplex peccatum. R. N. c. & paritatem; plures phyſice tales actus poſſe eſſe unum moraliter peccatum, aliunde gravibus rationibus probatur, ut colligetur ex dicendis Articulo ſequenti. Aſt tales graves rationes AArii non poſſunt adducere pro morali multiplicitate ejusdem phyſici actus tendentis in plura objecta indiviſim, ac per modum unius.

Objic. 3. Idem actus tendens in plura objecta prohibita ſpecie diverſa, contrahit plures ſpecie malitias: ergo etiam actus tendens in plura numero objecta prohibita etiam contrahit plures numero malitias. R. 1. Ret. arg. ergo etiam furtum plurium aureorum uni homini ablatorum contrahit plures numero malitias. Nec dicas: plures aureos eidem ablatos coaleſcere in unam ſummam; nam repono, plures quoque homines, qui una exploſione tormenti occiduntur, coaleſcere in unum objectum, & per unam actionem per modum unius collectionis attinguntur &c. R. 2. N. c. & parit. Nos non debemus majus onus imponere pœnitentibus, quam ex Eccleſiæ vel Conciliorum doctrina colligitur; jam ex Concilio ſuperius in probatione prima allegato, clare habetur, in confeſſione eſſe exponendas circumſtantias ſpeciem mutantes, vel plures rationes ſpecificas; aſt de aggravantibus, vel numericis circumſtantiis, vel de numero objectorum homogeneorum nihil dicit; proinde tales circumſtantiæ mere numericæ &c. non multiplicant numerum ejusdem actus in ordine ad confeſſionem.

Objic. 4. Si in unico æstu iræ plures successive per distinctos actus physicos occido, tunc committo plura numero peccata: ergo etiam si unico actu simul occido plures, plura numero peccata committo. R. N. c. & parit. dum occido plures unico actu, vel dum volo plures occidere una intentione, datur tanum unus actus tendens in plura objecta & effectus per modum unius: ast dum plures occisiones successive fiunt, fiunt plures actus realiter distincti, & quidem tales, quorum quilibet in æstimatione morali est completus, & consummatus, ac proinde incapax Unionis moralis cum alio actu ejusmodi; quamvis statim sequente ex eodem æstu iræ, vel ex eodem imperio voluntatis. 2. Facilius unus physice actus est moraliter unus, quam plures distincti, & alias in æstimatione morali consummati coeunt in unum moraliter exercitium hominis peccantis. 3. Quamvis plura homicidia successive posita non possint coalescere in unam actionem moralem, possunt tamen coalescere in unum objectum totale unius actus moralis, nempe unius intentionis, qua volo plures homines occidere. Quia unico actu possum intendere occisionem, vel stragem plurium faciendam per unicam actionem, vel explosionem, aut per plures subsequentes. Quare iste actus, qui intendit hanc stragem per modum unius objecti erit unum moraliter peccatum. Idem dic de explosione unica tormenti, qua plures simul occiduntur; quia etiam hæc est unica actio plures mortes causans per modum unius effectus completi. Ex his

Resolves 1. Tantum unum numero peccatum fieri, quando quis unico desiderio intendit plures fornicationes successive ponendas, vel plures occisiones successive vel simultanee faciendas. DD. pro Conclusione citt. singulariter Illsung tr. 2. Disp. 2. art. 5. n. 48. Ratio est: quia ejusmodi desiderium est tantum actus unicus, & plures fornicationes, quamvis sint actus completi successive ponendi, respicit per modum unius objecti. Ratio 2. Etiamsi actus successivi consummati occisionum, vel fornicationum non coalescant in unum actum exteriorem, coalescunt tamen in unum objectum simul & semel volitum. Sic etiam unum numero peccatum committit Sacerdos, qui unico actu voluntatis statuit Breviarium omittere integro mense; item, qui unica dictione detrahit pluribus; item, qui unica dictione detrahit quidem tantum uni, ast coram pluribus audientibus; ita sequitur ex nostra conclusione & ratione mox repetita contra P. Holzman tr. 3. de actibus humanis n. 673. & seqq. Nihilo- 121

hilominus Sacerdos, qui actu integro mense omittit Breviarium, committit tot peccata, quot sunt Dies in mense; Ratio hujus colligitur ex responsione ad objectionem ultimam numero præcedenti datam: nam etiam officium unius Diei ex se est actus completus & consummatus, non dicens ordinem, aut connexionem ad officium alterius Diei; proinde nec omissio unius totius officii pro Die hac habet connexionem cum omissione officii alterius Diei; sicut una fornicatio actu posita non habet connexionem aut unitatem moralem cum altera fornicatione.

Resolves 2. Illum, qui unico actu desideravit 10. vel plures fornicationes committere, non debere in confessione numerum 10. fornicationum exprimere, quia iste numerus est tantum circumstantia numerica, ac aggravans, quæ in confessione non debet necessario exprimi. Nihilominus talis homo non bene se excusaret, si positive negaret ejusmodi numerum v. g. dicendo: *habui desiderium tantum unam fornicationem committendi:* quia sic non confiteretur suum peccatum, sed aliud; nam desiderium unius, est aliud numero peccatum, quam desiderium 10. fornicationum: deberet ergo ea formula accusationis adhiberi, quæ saltem implicite & in confuso significat ejusmodi desiderium sic aggravatum: v. g. *unico actu desideravi* plures fornicationes committere. Idem dic de eo, qui per unicam dictionem 20. personis detraxit: debet enim dicere, quod *pluribus personis unica dictione detraxerit*; licet non teneatur exprimere numerum determinatum personarum, quibus detraxit. Taliter qui 10. aureos una actione uni Petro abstulit, non potest quidem dicere in confessione: *unum aureum abstuli*; quia sic non confiteretur peccatum suum, sed aliud, non tamen tenetur dicere: 10. aureos abstuli, sed sufficit dicere: *abstuli summam gravem:* quod & Adversarii illi, qui negant circumstantias notabiliter aggravantes esse materiam necessariam confessionis, asserere debent.

Resolves 3. Non satis se accusare illum, qui unica actione statuit 10. homines occidere, si dicat: *volui committere homicidium*; hæc enim formula ex consueto modo loquendi indicat, quod unum tantum hominem voluerit occidere. Debet ergo dicere: *uno actu intentionis statui occidere plures; vel volui facere stragem hominum.* Item si actu occidit plures una actione, debet dicere: *una actione occidi plures*, aut, *feci stragem hominum.* Ita etiam non rite confitetur conjugatus habens copulam adulterinam cum alia conjugata, si solum dicat: *fi*

commi-

commisisse adulterium ; ratio est, quia hæc accusatio ex communi usu & modo loquendi tantum significat adulterium simplex, & neque in confuso explicat adulterium duplex: proinde talis non confiteretur peccatum suum, sed aliud. Illsung tr. 2. disp. 2. art. 5. n. 55. Ant. Mayr. tr. 5. n. 217. & 228.

Articulus III.

Quomodo Actus physice plures sint moraliter unum, & multiplex peccatum?

§. I.

Statuuntur aliquæ Conclusiones.

Assero 1. Generaliter tunc actus physice plures sunt moraliter unum numero peccatum, quando ita uniuntur, ut censeantur esse una actio in genere moris, ac æstimatione morali. Tunc autem sunt plura, quando non ita uniuntur. Ita quoad rem communis. Ratio est, quia hic solum agimus de multiplicitate & unitate numerica morali peccatorum: ergo bene attendimus ad unionem, & disconti- nuationem moralem; præsertim, quia aliunde constat, quod plures actiones physice discontinuæ, & distinctæ possint constituere unum completum actum in genere moris. Sic actiones plures etiam per longiorem Concionem intercedentem discontinuatæ in æstimatione morali constituunt unum integrum actum Missæ &c. Quare hæc quæstio multum dependet a judicio prudentum, & habet implexas difficultates ob diversissimos actus, quorum aliqui facilius, alii difficilius interrumpuntur, vel uniuntur moraliter: unde plures regulæ sunt statuendæ. 124

Assero 2. Plures Actus pravi mere interni, ac versantes circa idem objectum absque ordinatione ad aliquod opus externum, vel finem aliquem communem consequendum sunt unum numero peccatum, quamdiu non interrumpuntur, vel discontinuantur per interpositam retractationem voluntatis formalem, aut cessationem sufficientem. Ita quoad rem Herincx p. 2. disp. 5. de peccato in communi n. 60. Illsung & plures alii. Tales actus mere interni sunt v. g. Odi- 125

g. Odium Dei, hæresis, Invidia; item delectationes ac complacentiæ morosæ circa objectum quidem externum, sed tamen absque intentione exequendi opus externum aliquod &c.

Prob. & explicatur Conclusio; si uno impudicæ cogitationis & delectationis ardore agitatus in eadem objecti impuri cogitatione persistas media fere hora, & actum morosæ delectationis circa illud sæpius, & quasi continue repetas absque interveniente aliqua retractatione, unum numero peccatum committis. Ratio est: quamvis enim nullus actus voluntatis vel intellectus idem numero probabilius media hora perseveret, sed novus identidem actus priori succedat, & interdum etiam aliqua imperceptibilis mora inter unum & alterum actum physicum, intermediet, tamen in hoc casu actus pravi toto hoc tempore repetiti coalescunt in unum numero morali peccatum, partim ob unitatem objecti, partim ob unitatem caloris & motus impellentis ad ejusmodi delectationem continuandam, partim ob unitatem & continuationem temporis. Quare sic integra, media, vel tota hora delectatus impure in confessione se sufficienter accusat, dicendo: *semel habui delectationem morosam impuram*, nec debet necessario addere spatium temporis, quo duravit delectatio.

126 Dixi vero in Conclusione 1. *Nisi discontinuetur talis actus per retractationem voluntatis formalem.* Nam si per efficacem dolorem, pœnitentiam, aut alium actum delectationi impuræ oppositum aliquis eundem abrumpat etiam per modicum spatium, & postea statim reassumat eundem, jam non unum, sed duplex numero peccatum est, ut communissima D.D. habet. Ratio est; quia posita efficaci retractatione prior actus est moraliter terminatus, & nec formaliter, nec virtualiter manet, consequenter cum sequenti non potest amplius moraliter conjungi; imo ad novum actum requiritur nova determinatio, ac libertas, cum prior per retractationem fuerit interrupta.

Debet tamen ejusmodi retractatio esse efficax, ac absoluta, si enim tanum conditionate statuis abstinere ab odio proximi, si is tibi statim satisfactionem præstet, & non præstita, absque notabili interruptione, de quo mox dicetur, statim iterum pergas in actu odii, est unum moraliter peccatum. Item, si delectatus re impura advertas internam inspirationem dehortantem, aliquantisper deliberas, an sequenda, vel negligenda sit talis inspiratio, tamen reassumpta, vel potius continuata voluntate prava pergas delectari, non multi-

plicas

plicas numero peccatum. Idem a pari eſt in litigante, qui ab alio admonitus, ut ceſſet, aliquantulum hæret ſuſpenſus, quid agendum, & mox iterum pergit litigare. Ant. Mayr. tract. 5. n. 185. La Croix n. 175. Talis enim inefficax retractatio in æſtimatione morali videtur eſſe nulla, neque eſt attendenda.

Dixi 2do. *Aut per ceſſationem:* actus enim interni ſimiles, ac circa 127
idem objectum verſantes, de quibus in concluſione, non ſolum phyſice, ſed & moraliter poſſunt aliquando interrumpi, & multiplicari absque retractatione formali, per ſolam ceſſationem liberam, vel neceſſariam, & indeliberatam, ſufficientem tamen; nam non omnis ſimilis interruptio ſufficit. Ant. Mayr. tr. 5. n. 186. & ſeqq. qui dicit eſſe communem ſententiam.

Declaratur exemplis. 1. Aliquis habens impuram delectationem moroſam, tandem ceſſat ab ea, ac absque propoſito iterum redeundi ad priorem delectationem integra hora ſtudet, poſtea reaſſumit priorem delectationem; talis duo diſtincta peccata committit. 2. Alius intendens ejusmodi delectationi neceſſaria interveniente occupatione diſtrahitur ad alia, ſicque diſtractus pluribus horis ceſſat a delectatione, quam tamen poſtmodum repetit, ſe convertens ad prius objectum turpe; talis iterum duplex peccatum commiſit. Ratio eſt: quia, ut recte ait Illſung, ſi tanta intervenit interruptio inter duos actus phyſicos circa idem objectum verſantes, quæ communiter ſolet ſufficere ad immutandum, & ad illius impetum, ac intentionis propoſitum enervandum, tunc, ſive ſint actus interni, ſive externi, etiam in æſtimatione morali diſcontinuantur, & multiplicantur: atqui in duplici hoc caſu tanta intervenit interruptio: ergo.

Interdum non ſufficit ejusmodi ceſſatio ſeu libera, ſeu indeliberata ad plurificanda numero peccata. Ita laudatus Ant. Mayr, allegans pro ſe Lugonem, Illſung, & alios. Explicatur; ſic qui media hora habet delectationem impuram circa idem numero objectum, unum tantum numero peccatum committit, quamvis aliquoties intra hoc tempus, aut libere, aut neceſſario leviter diſtrahatur ad alia, & ſic aliquantiſper ceſſet ab actu pravo; ut etiam concedit Herincx p. 2. d. 5. de peccatis in communi n. 61. & ratio eſt 1. quia, ſi quævis diſtractio voluntaria, vel involuntaria, aut ſimilis ceſſatio non ſolum phyſice, ſed & moraliter interrumperet, ac multiplicaret actus malos, impoſſibile foret peccatorum & interruptionum nu-

 merum

merum inire, & confiteri: ergo Christus, qui nihil impossibile præcipit, non voluit explicandum esse numerum ejusmodi cessationum minimarum, etiam liberarum. 2. Alias, qui quinque minutis impure delectatus fuit, deberet exprimere spatium 5. minutorum; quia intra hoc tempus certo aliquæ morulæ & interruptiones physicæ intercedunt. 3. Una est moraliter meditatio per mediam horam, etiamsi aliquis intra eandem aliquoties voluntarie, vel involuntarie brevi tempore distrahatur: iterum, unum est colloquium cum amico, etsi illud interdum abrumpatur brevi allocutione Servi, aut alterius etiam deliberate facta: ergo a pari &c.

Cæterum quanta debeat esse interruptio, & cessatio ad multiplicanda ejusmodi numero peccata, non potest universali regula definiri, sed debet desumi ex particularibus actibus, quorum aliqui quasi ex natura sua facilius cessant, seu non diu durant, ut Blasphemia interior, alii diutius solent durare, ut delectatio turpis, odium proximi, præsertim si ex vehementi passione procedat. Iterum desumi ex natura objectorum, circumstantiarum &c. facilius aut difficilius animum mutantium. Et fere semper in his casibus ad judicium Prudentum recurrendum est, ut monet Iugo cum aliis.

128 Certum tamen videtur 1. Quod minor interruptio requiratur ad multiplicandum numero peccatum, quando ea fit libere, quam si tantum necessario fiat, uti omnes fatentur. Nam libera cessatio, si aliquantulum duret, videtur esse tacita, ac interpretativa retractatio prioris actus, non vero cessatio involuntaria, vel necessaria.

Certum est *2do.* Moraliter non interrumpi delectationem turpem, si eadem voluntas virtualiter perseveret: e. g. si delectationem quis interrumpat ob negotium breve interveniens, sed simul habeat animum ac propositum tali peracto negotio statim revertendi ad priorem delectationem. Anton. Mayr tr. 5. n. 189.

Certum videtur *3tio.* Etiam moraliter interrumpi delectationem morosam, quando sic delectatus absque positiva retractatione libere animum totaliter convertit ad aliud objectum, & sic quasi priori delectationi licentiam dat abeundi. Talis proinde etsi post modicissimum intervallum ad priorem delectationem revertatur, duplex numero committit peccatum. Lugo & alii. Ratio est: quia ejusmodi libera ac totalis dimissio prioris actus, ac conversio ad longe alium, est tacita ac interpretativa retractatio prioris actus. Hoc, quod de

dele-

delectatione morosa dictum est, procedit quoque de aliis ejusmodi actibus.

Dixi 3. in Conclusione: *Plures actus similes circa idem numero objectum versantes*: v. g. plures delectationes circa eandem fœminam. Aliter enim dicendum est de actibus circa plura objecta totalia versantibus, & sibi invicem succedentibus. Sic si in instanti A. delecteris circa fœminam hanc, in instanti B. circa aliam fœminam, jam multiplicas numero peccata, sicut ille, qui primo instanti odio habet Petrum, secundo Paulum &c. prout dicetur. 129

§. II.

Continuatur præsens materia.

Assero 3. Actus externi, opere & ore commissi, sed non consummati, qui ad eundem finem, vel saltem tanquam partes in æstimatione morali ad unam consummationem externam tendunt, & uno tractu, vel impetu sunt repetiti, unum tantum moraliter peccatum constituunt. Reuffen. Theol. moral. tr. 3. de peccatis, dist. 1. n. 61. Sporer Theolog. mor. tr. 1. c. 4. n. 20. ac communis D. D. 130

Prob. Isti actus ratione unius impetus, continuationis, ac finis in sensu morali unam actionem integrant, vel constituunt.

Explicatur Conclusio exemplis & ulterius confirmatur. 1. Qui eodem commotionis impetu contumelia sæpius repetita afficit proximum, unum numero peccatum committit. Reuffenstuel citatus. Imo Elbel de actibus humanis, & peccatis n. 552. cum Illsung, Bonacina & aliis pluribus tenet, etiam illum unius tantum peccati esse reum, qui ex eodem impetu iræ, vel in eodem discursu plures contumelias infert eidem uni homini, ipsum vocando furem, adulterum, impostorem. Ratio est: quia omnes hæ contumeliæ sunt unica contumelia, seu calumniatio moraliter unica, sicut & unicum numero furtum est, quo quis in uno continuo morali aufert eidem homini equum, vestes, pecunias, arma, & alia &c. hinc, sicut iste se satis accusat, dicendo: *semel commisi furtum grave*, ita & prior dicendo: *semel gravibus contumeliis eundem hominem affeci*; vel *semel graviter calumniatus sum proximum.* Idem dic de eo, qui eidem homini absenti uno continuo discursu detrahit, referendo plura crimina eum infamatoria v. g. dicendo: *Petrus furatus est, fornicatus est, & alia gra-*

via crimina commisit: nam & hic discursus est unica detractio gravis. Adeoque in confessione solum dicere debet: *semel proximo graviter detraxi*.

2*do*. Unum numero peccatum est, si quis eandem rem falsam pluribus continuis perjuriis confirmat. 3*tio*. Si plures Blasphemias ex eodem impetu iræ effundit. 4*to*. Si plura verbera, vel plures plagas eidem homini in eadem rixa, vel ira infligit. Reuffenstuel cit. Illsung, Castropalao tr. 2. disp. 3. punct. 3. n. 5. ubi istam sententiam confirmat sequentibus rationibus. Juxta *capit. cum pro causa de sententia excommunicationis*. Ob verberationem Clerici factam in dormitorio, & continuatam per claustrum unica excommunicatio contrahitur ratione verberationis: quia plures istæ verberationes ob continuationem reputantur moraliter una percussio: quamvis autem textus indicare videatur illum percussorem duplici excommunicatione innodatum esse, tamen hoc non est ratione solius percussionis, sed etiam ratione violationis Ecclesiæ. Videatur Glossa. Sic etiam Joannes Andreas *in regulam delictum columna penult. de reg. Juris in 6.* affirmat, eum, qui ter pugione percussit Clericum vulneribus continuatis, unam tantum excommunicationem contrahere; quia reputatur una moraliter percussio. Accedit *Canon Lotharius juncta Glossa verbo appellavit*. c. 3. q. 2. ubi ille, qui uno continuo impetu appellavit bis vel ter a sententia, semel dicitur appellasse.

5*to*. Unum numero peccatum est, si quis ex uno proposito integram Bibliothecam pluribus actibus successivis continuatis aufert. 6*to*. Sic semel tantum peccat, qui unam fœminam lascive sæpius in uno continuo, vel absque notabili interruptione osculatur; iterum ille, qui sic continuat impudicos tactus in corpore fœminæ. Ratio est: quia isti actus uniuntur ob unam conversationem impudicam cum fœmina, & ob periculum idem permanens.

Dixi in Conclusione: *Actus non consummati*. Aliter enim dicendum est de actibus illis, qui in æstimatione morali censentur semper esse ita consummati, ut non possint tanquam pars cum alio simili actu coalescere in unum aliquod morale totale, quales sunt duæ fornicationes statim subsequentes, etiam cum eadem fœmina commissæ &c.

Dixi 2*do*. *Et uno tractu, vel impetu sunt commissi*. Si nempe per nimiam distantiam sejungantur isti actus, tunc jam multiplicantur morali-

raliter, fere ad normam actuum internorum, de quibus dictum est §. præcedenti. Proinde sicut cessat moraliter colloquium cum amico, quando is a te recedit, sic etiam cessat moraliter sermo contumeliosus cum inimico, quando hic a tuo conspectu abit; censeturque novus & distinctus actus contumeliæ, & ut talis in confessione explicari debet, quando in inimicum denuo obviam factum etiam post modicum intervallum iterum contumelias effundas. Ant. Mayr. tr. 5. n. 189. Ratio est: superius data immediate ante n. 129. quæ hic cum proportione applicari debet. Deinde, sicut moraliter perseverat idem colloquium cum amico, etsi aliqua verba cum famulo vel alio interponantur, ita quoque non cessat, nec interrumpitur moraliter sermo contumeliosus vel detractorius, quamvis modica interlocutio fiat cum amicis pacificatoribus. Ita laudatus Antonius Mayr.

Notes etiam, me in exemplis allegatis semper dixisse, detractionem vel contumeliam factam eidem homini, tactus impudicos repetitos in corpore ejusdem fœminæ. Si enim etiam ex eodem impetu iræ, & continuato sermone nunc Petro detrahas, & statim postea Paulo, nunc impudice tangas hanc fœminam, & mox aliam, duo distincta peccata committis. Ratio est: quia sunt actus versantes secundum moraliter diversa objecta.

Quæres: quid sentiendum de pluribus tactibus impuris, quasi in uno continuo cum una fœmina habitis absque intenta, aut secuta copula? R. Sunt tantum unum numero peccatum. Ant. Mayr. tr. 5. n. 194. ratio est, quia se habent sicut plura verbera uni homini in uno continuo inflicta, plures Blasphemiæ in una ira jactatæ in Deum &c. aliud foret, si quis oscula, tactus, aspectus impuros in uno continuo habuisset, tunc enim plura specie distincta peccata committeret, quæ in confessione debent necessario exprimi. videatur la Croix l. 6. p. 2. n. 1032. Idem semper est, quoties aliquis actus intervenit specie distinctam malitiam habens; ut si pro occisione inimici adhibeas media specie distinctam malitiam habentia v. g. maleficia &c. 131

Reliqua, quæ adhuc in hac materia desiderantur, videantur in Theolog. morali R. P. Reuffenstuel & additionibus P. Kreslinger, quæ diligenter legantur. Notetur pariter ad finem ex P. Herincx p. 2. disp. 5. de peccato n. 61. sequens doctrina: Experientia docet, homines rudes, præsertim rarius confitentes, determinatum numerum peccatorum haud scire, minus exprimere posse, vel, si rogati

exprimant, sæpe mere conjectando illum exprimere, sive quia tacere erubescunt, sive ut a molesta confessarii interrogatione se eximant. Proinde circa tales præcipue adlaborandum est, ut adsit seria contritio, ac detestatio peccatorum cum proposito ipsa, ac occasiones ipsorum vitandi. De cætero autem ex notitia temporis elapsi ab ultima confessione, durationis peccati, status & consuetudinis vivendi, frequentia occasionum &c. formare studeat confessarius, quale poterit, de numero peccatorum judicium, dum magis determinatum frustra se sperare prudenter existimabit. Ita Illustrissimus Herincx.

Hæc fere omnia repetii ex additionibus a me compositis ad Theologiam moralem R. P. Reuffenstuel, quia censui eorum notitiam etiam Theologo Scholastico esse utilem & necessariam; ut per exempla practica hæc necessaria magis exprimerentur.

Dissertatio IV.

DE PECCATO HABITUALI

Articulus Unicus.

Quid sit peccatum habituale?

§. I.

Rejiciuntur sententiæ contrariæ.

132 Peccatum habituale recte a Mastrio & aliis Th. Th. describitur, quod sit *Peccatum actuale præteritum, moraliter permanens.* Et plane, dum actus malus jam est perpetratus, & præteriit, manet homo adhuc peccator, & maculatus, donec remissionem accipiat, ut ex S. Scriptura & modo nostro loquendi constat. Videatur Reuffenstuel Theolog. morali. tr. 3. d. 1. n. 30. & seqq. Jam controvertitur, quomodo peccatum præteritum possit moraliter, vel habitualiter permanere vel quid formaliter importet peccatum habituale?

133 Jam certum esse videtur 1. peccatum habituale non esse mere peccatum præteritum. Ratio est; si peccatum habituale esset nihil ali-

ud, quam peccatum mere præteritum, tunc nunquam remitti, vel tolli posset; atqui peccatum habituale potest remitti, & tolli, & tollitur actu per veram pœnitentiam: ergo. M. prob. nam peccatum præteritum, qua tale, semper manet: semper enim verum est, tale peccatum, vel talem actum malum præteriisse, neque hæc veritas unquam tolli, aut mutari potest per totam æternitatem: ergo si peccatum habituale nihil aliud foret, quam peccatum mere præteritum, nunquam remitti, aut tolli posset.

Certum videtur esse 2. Peccatum habituale non consistere in negatione retractationis qualiscunque, vel non esse præteritum non retractatum qualitercunque. Ratio est: 1. si peccatum habituale consisteret in negatione retractationis qualiscunque, tunc tolli non posset, nisi etiam tolleretur negatio retractationis, & poneretur aliqua retractatio: atqui potest tolli peccatum habituale, quin tollatur hæc negatio, aut ponatur retractatio, nempe per meram gratuitam condonationem Dei extrinsecam, ut in tract. de pœnitentia dici solet: ergo. Potest etiam tolli hæc negatio; & poni aliqua retractatio: quin tollatur, aut retractetur sive remittatur peccatum habituale: ergo. a. p. detestatio mere naturalis peccati, aut attritio supernaturalis extra sacramentum sunt retractationes peccati, & tamen per eos non tollitur peccatum habituale, ut certum est apud omnes Catholicos. 134

Certum esse videtur 3tio. Peccatum habituale non consistere in aliqua qualitate morbida, aut in habitu vitioso, & prava ad malum inclinatione, relicta a peccato actuali. Ratio 1mi est: quia sententia adstruens talem qualitatem physicam morbidam deturpativam animæ est unanimiter rejecta ab omnibus Theologis. 2. Nulla est qualitatis hujus necessitas, cum sine ea peccatum habituale longe melius explicari possit, ut patebit ex §. sequenti. 3. Non potest ostendi causa productiva hujus qualitatis. Non enim eam producit Deus, alias esset auctor peccati habitualis, quod Ipsum dedecet: neque illam causat actus peccaminosus, qui nihil producit physicum præter speciem sui impressam, ac habitum, sed neque species impressa, neque habitus ille possunt esse peccatum habituale; quia etiam remisso peccato habituali potest manere tam species, quam habitus. Adde, quod peccatum esse possit omissio, quæ nihil physicum efficere potest. 135

Ratio 2di. membri eſt 1. quia, ut immediate dictum eſt, poteſt habitus & inclinatio ad malum in conſuetudinario etiam remanere tunc, quando peccatum habituale jam remiſſum eſt per confeſſionem, vel contritionem. 2. Poteſt dari in aliquo peccatum habituale, quin in illo detur habitus, vel inclinatio illa, ut, ſi prima vice aliquis peccaverit, & ſtatim horreſcat, necdum tamen perfecta contritione, aut confeſſione aboleat peccatum. Igitur ad litem nominis vitandam adverte, peccatum *habituale* a Th. Th. non ideo vocari, quaſi eſſet verus aliquis *habitus*, vel facilitas inclinans ad actus ſimiles malos, ſed ideo, quia non ſtatim tranſit, & permanet moraliter, ſicut habitus ſolet phyſice permanere.

136 Quarto. Peccatum habituale non videtur recte conſtitui in privatione gratiæ ſanctificantis. Ita communiter Scotiſtæ cum plurimis RRbus contra TTas & Eſparzam. Ratio eſt 1. Peccatum veniale habituale in hominibus juſtis non conſiſtit in tali privatione gratiæ ſanctificantis; cum homo juſtus venialiter peccans nec tota gratia juſtificante, nec parte ejus privetur: ergo neque peccatum mortale habituale conſiſtit in tali privatione. Nam ſi peccatum veniale habituale in aliquo alio, quam tali privatione conſtitui poteſt, quidni & peccatum habituale mortale?

Nec obſtat, quod peccatum veniale non ſit tam ſtricte dictum, ſicut eſt mortale, tamen enim maculat Juſtos, & habitualiter perſeverat, donec remittatur. Unde quoad hanc habitualem & mortalem perſeverantiam non eſt facienda diſparitas inter mortale, & veniale. 2. Si peccatum habituale conſiſteret in privatione gratiæ ſanctificantis, tunc illud remitti non poſſet per abſolutam Dei omnipotentiam ſine infuſione gratiæ ſanctificantis; ſequela non videtur eſſe vera: ergo. m. prob. quia juxta dicta in tractatu de pœnitentia Deus etiam per meram condonationem extrinſecam ſine infuſione gratiæ, vel alterius qualitatis poteſt de ſua abſoluta potentia remittere peccatum mortale habituale. M. etiam conſtat: quia privatio non poteſt tolli niſi per formam oppoſitam. 3. In ſtatu naturæ puræ (qui juxta dicenda eſt poſſibilis) potuiſſet dari peccatum habituale cum ſola negatione, non autem cum privatione gratiæ ſanctificantis; hæc enim gratia in illo ſtatu non fuiſſet debita; adeoque carentia ejus non fuiſſet privatio, ſed mera negatio; imo in illo ſtatu etiam illi, qui non peccaſſent, caruiſſent gratia ſanctificante: ergo peccatum

habi-

habituale non poteſt formaliter conſiſtere in tali carentia. Ex Adverſariorum ſententia ſequeretur, omnia peccata habitualia eſſe ejusdem ſpeciei, ac rationis, non ſecus ac privatio gratiæ ſanctificantis in omnibus peccato mortali inquinatis eſt ejusdem rationis, ac ſpeciei; nam privationes immediate ſpecificantur a forma, qua privant; quæ forma, ſcilicet gratia ſanctificans eſt ubique ejusdem rationis: ergo & ejusdem privatio.

Objic. 1. Gratia expellit peccatum habituale; atqui illud, quod 137
gratia expellit, eſt privatio gratiæ: ergo peccatum habituale eſt privatio gratiæ. R. 1. Retorq. arg. calor expellit frigus e ſubjecto, ſed quod calor expellit e ſubjecto eſt privatio caloris: ergo frigus eſt privatio caloris. R. 2. n. m. Non ideo gratia expellit peccatum habituale, quia hoc formaliter in privatione gratiæ exiſtit, ſed ideo, quia Deus gratiæ ex ordinatione ſua, & decreto annexuit incompoſſibilitatem cum peccato mortali ſeu actuali, ſeu habituali.

Objic. 2. Juſtitia habitualis eſt gratia ſanctificans: ergo injuſtitia eſt privatio gratiæ ſanctificantis. R. n. c. Injuſtitia enim habitualis non eſt mera negatio, vel privatio juſtitiæ, ſed eſt poſitivus reatus culpæ, hominem poſitive & permanenter denominans reum odii divini & tantum concomitanter ex decreto divino per modum proprietatis moralis habens annexam privationem, & expulſionem gratiæ ſanctificantis, quam cauſat demeritorie, & moraliter. Plura de hoc in tractatu de gratia.

Quinto. Peccatum habituale probabilius non conſiſtit in com- 138
plexo ex peccato actuali præterito, & negatione tam condignæ ſatisfactionis, quam gratuitæ remiſſionis. Eſt contra Antonium Mayr. tr. 5. n. 234. ac Teſte hoc contra Vaſquez, Suarez, Arriagam, Gormaz, & plurimos alios. Ratio noſtra eſt 1. Negatio deſtructionis non poteſt conſtituere formaliter permanentiam vel durationem alicujus entis: ergo neque negatio condignæ ſatisfactionis, & gratuitæ remiſſionis poteſt conſtituere permanentiam peccati habitualis: nam & condigna ſatisfactio, ac gratuita remiſſio ſunt deſtructio peccati habitualis. 2. Macula contracta ex nigredine non conſiſtit formaliter in negatione ablutionis: ergo neque macula peccati habitualis conſiſtit in negatione remiſſionis, aut deſtructionis &c.

Ratio 3. eſt; Negatio remiſſionis, vel ſatisfactionis ſupponit peccatum habituale pro priori tanquam ſuum objectum: ergo pecca-

tum habituale non constituitur formaliter & essentialiter per negationem illam. a. p. peccatum habituale est illud, quod non remittitur, vel pro quo non satisfit condigne: ergo illud jam supponitur pro priori ad negationem illam.

Respondet Clarissimus Antonius Mayr: negatio satisfactionis præsupponit peccatum habituale inadæquate sumptum, seu, ut dicit præcise peccatum actuale præteritum, non vero præsupponit illud adæquate acceptum, prout simul importat moralem permanentiam.

Contra est: Peccatum habituale ante negationem remissionis &c. debet præsupponi secundum illa constitutiva, secundum quæ potest deleri & remitti; ergo non solum debet præsupponi secundum rationem peccati actualis præteriti: nam & Ipso Clarissimo P. Antonio Mayr testante tr. 5. n. 233. certum est, quod peccatum actuale præteritum non possit destrui, aut remitti, sed in æternum maneat.

Ratio 4ta. est: Videtur maxime inconveniens, quod aliquid Deo identificatum, vel ipse Deus constituat peccatum habituale; sed hoc fieret in AAorum sententia, in qua peccatum habituale constituit negatio gratuitæ remissionis, quæ est decretum Dei, & consequenter Ipse Deus, cui tale decretum identificatur, maxime juxta Adversarios: ergo.

Ratio 5ta est: Deus odit peccatum habituale, qua habituale, & qua permanens, etiam formaliter spectatum; atqui hoc non esset verum amplius in AAorum sententia: ergo. M. videtur esse certa: m. prob. nam peccatum habituale, qua tale, seu qua permanens juxta AArios consisteret in negatione gratuitæ remissionis, quæ est decretum Dei, vel saltem est omissio aliqua Dei; atqui Deus non odit decreta, vel omissiones suas: ergo.

Objic. In omni & solo illo formaliter consistit peccatum habituale, quo posito, ponitur peccatum habituale; sed posito illo complexo ex peccato actuali præterito, & negatione condignæ satisfactionis, & gratuitæ remissionis ponitur peccatum habituale: ergo. R. D. M. quo posito ponitur formaliter & immediate peccatum habituale c. M. quo posito ponitur tantum mediate, vel præsuppositive peccatum habituale n. M. negatio ista satisfactionis & remissionis jam præsupponit peccatum habituale formaliter constitutum, sicut & negatio solutionis jam præsupponit debitum formaliter existens,

ſtens, & negatio ablutionis maculam jam præexiſtentem in facie. Unde & ex non remiſſione &c. aliquis cognoſcit peccatum præteritum, moraliter permanens, tanquam ex ſigno a poſteriori, non vero tanquam ex formali conſtitutivo.

Sexto. Peccatum habituale nec totaliter, nec partialiter conſi- 139
ſtit in reatu pœnæ. Ita Herincx, Henno contra Maſtrium, Panger, & plures alios, præſertim antiquiores Scotiſtas. Ante probationem nota, reatum in genere eſſe aliquam obligationem paſſivam, vel debitum. Ad propoſitum eſt duplex: Unus eſt *reatus culpæ*, & eſt obligatio paſſiva, vel debitum ex peccato actuali commiſſo cǒntractum, ad ſuſtinendum odium, vel inimicitiam Dei, ſi ſit peccatum mortale; vel ad ſuſtinendam levem averſionem, ſi ſit peccatum veniale: & ulterius ſive mortale, ſive veniale ſit, ad ferendam etiam reprehenſionem a Deo; nam in communi ſenſu ille culpabilis, vel reus culpæ eſt, qui meretur indignationem, odium, aut ſaltem levem averſionem &c. reatui culpæ gravis in moderna providentia annectitur privatio gratiæ ſanctificantis. Alter eſt *reatus pœnæ*, & eſt debitum ſufferendi pœnam vel æternam, vel Levem. H. N.

Prob. 1. Sæpe poſt abſolutionem ſacramentalem remanet in peccatore aliquis reatus pœnæ debitæ pro peccato, & tamen non remanet peccatum habituale, ne partialiter quidem, cum de fide ſit, per abſolutionem ſacramentalem culpam penitus extingui. 2. Si peccatum habituale eſſet reatus pœnæ, vel (ut Adverſarii loquuntur) eſſet ordinatio ad pœnam, tunc mortale eſſet ordinatio ad pœnam æternam, veniale ad temporalem, ſicque dum per ſacramentum pœnitentiæ pœna æterna mutaretur in temporalem, mortale fieret veniale; quod eſt inauditum.

Prob. 3. Etiamſi Deus nullam ſtatuiſſet pœnam pro peccato, tamen ob ipſam transgreſſionem legis homo maneret maculatus & culpabilis: ergo peccatum habituale, & macula illa a peccato actuali præterito relicta, non poteſt conſiſtere in ordinatione ad pœnam. 4. Damnati etiamnum peccant, & peccatis ſuis in inferno commiſſis maculati permanent in æternum; quia ea nunquam remittuntur, & tamen ipſi propterea non incurrunt reatum pœnæ, cum ſint extra ſtatum viæ: ergo. 5. Reatus culpæ eſt prior reatu pœnæ, & hic, ſeu reatus pœnæ ad illum tanquam proprietas conſequitur; ergo potius peccatum habituale ſtatuitur in reatu culpæ, quam pœnæ.

140 Objic. 1. S. Scriptura & SS. PP. peccatum habituale frequenter indicant ratione reatus pœnæ: ergo in tali reatu consistit. R. 1. SS. PP. & S. Scriptura in talibus textibus solum loquuntur de peccato habituali in ratione demeriti, non vero in ratione culpæ. Si consideratur in ratione demeriti, tunc utique importat obligationem ad pœnam sustinendam, sicut actus bonus, si spectatur ut meritorius, importat jus ad præmium. Ast hic peccatum habituale non consideramus præcise in ratione demeriti, sed potius in ratione culpæ, quæ præsupponitur demerito, sicut radix suo radicato, & essentia suæ proprietati, vel accidenti. R. 2. D. c. consistit in reatu radicali pœnæ c. c. in reatu ejus formali, n. c. reatus culpæ est radix reatus pœnæ tanquam suæ passionis. R. 3. Ideo SS. PP. peccatum habituale subinde indicant per reatum pœnæ, quia hic in via comitatur semper peccatum habituale, seu reatum culpæ.

Objic. 2. Scotus 4. d. 14. q. 1. §. *hic tria videnda*. n. 4. ait: *manet in anima, quæ peccavit, reatus culpæ, quæ est quædam obligatio ad pœnam debitam illi culpæ*: ergo juxta Scotum reatus culpæ, ac peccatum habituale est ipse reatus pœnæ. Hanc Authoritatem Scoti tanquam irrefragabilem adhibet Marinus Panger contra *nimis timidos* (ut loquitur) ac *degeneres Scotistas*.

R. Scotus nobis non est contrarius; quamvis enim citato, & aliis pluribus textibus videatur docere, quod reatus culpæ & pœnæ identificentur, tamen 4. d. 21. q. 1. §. *si iste modus*, n. 8. clare docet; quod reatus culpæ & pœnæ distinguantur, & reatus pœnæ non sit peccatum habituale. Audiamus Scholiasten, qui in mox citatum textum Scoti ita scribit: *hic Doctor expresse docet, id, a quo quis denominatur peccator, non esse obligationem ad pœnam: quia SS. PP.* (inquit) *distinguunt remissionem pœnæ a remissione culpæ: ex quo patet falli eos, qui oppositum ei imponunt.* Ita Scholiastes. Ergo in textibus, qui videntur nobis oppositi, Doctor vel solum loquitur de peccato habituali sub ratione demeriti, vel ait, peccatum habituale consistere in reatu pœnæ radicali, vel dicit duntaxat, reatum culpæ mortalis, & pœnæ æternæ in moderna providentia, & in hac via semper conjungi, quamvis unus ab altero distinguatur, & unus alterum præsupponat.

Hinc male aliqui Scoti doctrinam de peccato habituali esse damnatam asserunt, ob Propositionem 56. Baij confixam: *In peccato duo sunt, actus & reatus, transeunte autem actu nihil manet, nisi reatus, sive obliga-*

obligatio ad pœnam. Nam præter immediate dicta pro Scoto, & Scotistis, facit, quod Ipsi non dicant post peccatum actuale manere solam obligationem ad pœnam, eo modo, quo post remissum peccatum mortale manet sola dignitas ad pœnam temporalem, non vero amplius culpa; sed dicunt in hac ipsa obligatione ad pœnam manere insuper moraliter ipsum peccatum præteritum, ac culpam, & maculam. 2. Bajus docuit, solum reatum pœnæ in peccatore remanere sine privatione gratiæ, & ideo per baptismum vel sacramentum pœnitentiæ tolli solum reatum pœnæ, non autem gratiam conferri, ut colligitur ex Propositione Baji 59. proscripta. Verum hoc a Scoto, & Scotistis, qui peccatum habituale in reatu pœnæ statuunt, longe abest. Videatur Reuffenstuel Theolog. moral. tr. 3. d. 1. n. 37.

§. II.

Statuitur nostra Sententia.

Assero: Peccatum habituale in ratione culpæ consistit in reatu culpæ, seu in obligatione illa passiva, ex peccato actuali præterito relicta, ad sustinendum odium Dei, & inimicitiam gravem, si est mortale; vel ad ferendam levem aversionem, aut saltem minorem amorem, si est peccatum leve. Ita censent multi RRes Scotistæ in suis manuscriptis. 141

Prob. Peccatum habituale est ipsum actuale physice præteritum, moraliter tamen adhuc permanens: atqui hæc moralis permanentia non potest melius explicari, quam per reatum culpæ, & obligationem illam permanentem: ergo. m. prob. tum ex refutatione sententiarum præcedentium; tum ex hoc, quod etiam moralis permanentia voti, quod physice transit, non aliter explicetur, quam per remanentem reatum, vel obligationem exequendi votum; hac autem extincta, dicitur votum extinctum: ergo etiam non potest melius explicari permanentia moralis peccati physice præteriti, quam per remanentem reatum illum odii, & obligationem. dixi: per *reatum odii*; nam, quod non possit explicari per reatum pœnæ, jam probatum est §. superiore.

Prob. 2. Per hoc satis intelligimus hominem adhuc moraliter maculatum ob peccatum præteritum, quando propter illud adhuc est obli-

obligatus ad sustinendum odium Dei, vel inimicitiam gravem Dei; ergo.

Prob. 3. Remissio peccati habitualis nihil aliud est, quam deletio, & remissio illius obligationis ad sustinendum odium Dei: hac enim obligatione remissa censetur etiam esse remissum peccatum, & offensam Dei: ergo etiam peccatum habituale nihil aliud est, quam illa obligatio ad sustinendum odium Dei.

142 Objic. 1. Reatus odii & culpæ est effectus peccati habitualis: ergo non est peccatum habituale. a. prob. ideo enim aliquis est obligatus ad sustinendum odium Dei, quia habet peccatum habituale. R. d. a. est effectus formalis peccati habitualis, qui illud constituit c. a. effectus ejus in genere causæ efficientis n. a. Reatus iste est effectus formalis peccati habitualis, sicut rationalitas est effectus formalis hominis metaphysice sumpti, quem formaliter constituit. Ad probationem igitur retorqueri posset argumentum: ideo Petrus est rationalis, quia est homo: ergo rationalitas est effectus hominis. Deinde reatus iste, seu macula peccati habitualis est effectus quidem vere moraliter causatus in genere causæ efficientis a peccato actuali præterito, quod moraliter in tali obligatione & reatu tanquam in suo effectu, & virtute morali relicta perseverat: ast non est effectus peccati habitualis, nisi in genere causæ formalis, in quo causa solum causat per exhibitionem, & præsentiam suæ entitatis, vel conditionis.

Objic. 2. Deus in nostra sententia esset Author, & conservator peccati habitualis; sed hoc non potest admitti: ergo neque nostra sententia. M. prob. in nostra sententia peccatum habituale esset obligatio ad sustinendum odium Dei, quæ obligatio ortum habet a Jure, quod Deus habet ad odio habendum peccatorem; & simul hæc obligatio manet, & conservatur, quia Deus non cedit hoc suo jure: ergo Deus esset Author, & conservator peccati habitualis. R. n. M. peccatum habituale tanquam macula aliqua, & reatus odii causatur a peccato actuali commisso, nec a Deo positive conservatur, sed tantum permittitur, seu non destruitur. Ex eo autem, quod aliquis effectum jam aliunde causatum, & existentem non destruat, non dicitur illum conservare positive, sed tantum permittere, vel non impedire ejus existentiam. Præterea sicut causa furti, vel omissæ restitutionis, non dicitur ille homo, qui non vult remittere jus, quod habet adversus furem non restituentem, sic neque Deus dicitur

tur esse causa peccati habitualis, neque illud conservat positive per hoc, quod nolit illud condonare homini non agenti pœnitentiam.

Dices: Omnis reatus peccati descendit ex aliqua lege Dei: ergo Deus per suam legem est Author peccati habitualis. a. prob. nisi enim Deus per legem suam prohibuisset peccatum sub reatu odii &c. non incurreretur iste reatus odii. R. 1. retorq. arg. Omne peccatum actuale descendit a lege Dei, nisi enim lex Dei esset, non daretur ejus transgressio; ergo Deus per suam legem est Author peccati actualis.

R. 2. D. a. ex lege Dei, quæ est tantum terminus extrinsecus, quem transgreditur peccans c. a. quæ est causa, vel ratio constitutiva peccati, n. a. Istæ obligationes non sunt malæ, ut descendunt ex lege Dei; neque causantur, vel constituuntur a lege aut decreto Dei, sed sunt aliquid posterius decreto, aut lege Dei. Supposita enim prohibitione divina, reatus odii causatur ab ipso peccante, & transgrediente legem, qui per actum malum se obligat ad sustinendum odium Dei. sic etiam obligatio restituendi ex furto orta, non causatur a Domino non consentiente in ablationem suæ rei, sed a fure auferente rem illam, non consentiente Domino.

Objic. 3. Intentio manet habitualiter propter solam non retractationem: ergo etiam sic remanet peccatum habituale. R. tr. a. n. c. & parit. intentio habitualis remanet tantum negative, peccatum vero habituale non tantum negative, sed positive persistit ad normam voti, quod in reatu, & obligatione permanet: & hinc est aliqua positiva macula moralis, & obligatio ad sustinendum odium Dei; prout ex probationibus nostris colligitur.

Objic. 4. Juxta nos omnia peccata gravia habitualia forent ejusdem speciei; sequela est absurda: ergo. prob. M. omnia peccata gravia habitualia forent obligatio sustinendi odium Dei: ergo. R. d. a. forent omnia obligatio sustinendi odium Dei, dependens tamen essentialiter a diversa causa, & essentialiter respiciens eam ut diversam, scilicet diversum peccatum actuale c. a. secus n. a.

Nec dicas: ergo etiam Thomistæ possunt dicere, quod in eorum sententia privationes gratiæ sint specie diversæ, quatenus a specie distinctis peccatis causantur. R. n. illatum. privationes enim non specificantur a causis, sed a formis, quibus opponuntur; sic tenebræ sunt eædem specie, sive eæ causentur ab homine per valvas clausas,

five à Deo, vel Angelo, aut ipso sole per subtractionem luminis solaris. Aliud est in obligationibus passivis, quæ etiam specificari solent a suis causis; sic alia specie morali obligatio est, quæ oritur ex voto, alia quæ oritur ex juramento, & iterum alia, quæ oritur ex contractu &c. Ex his

Deduces 1. Non satis rem explicari a P. Hennone, dum ait, peccatum habituale nihil esse aliud, quam peccatum actuale præteritum, moraliter perseverans. Nam tali modo respondet id, quod est in quæstione; quæritur enim, quid sit peccatum actuale præteritum moraliter perseverans.

Deduces 2. Peccatum habituale in ratione demeriti consistere in reatu pœnæ, sicut actus bonus in ratione meriti consistit in jure activo, quod dicit ad præmium exigentiam, tanquam debitum, ut jam dictum est.

Dissertatio V.

DE POENA PECCATI GRAVIS ET LEVIS.

Articulus I.

An pœna peccati gravis sit æterna?

Non convenire bonitati divinæ pro peccatis gravibus ut plurimum momentaneis infligere pœnam sempiternam, sustinuerunt non solum antiqui, sed & recentiores hæretici, maxime Sociniani. Idem docuit Origenes de pœnis dæmonum, ut refert S. Augustinus L. 21. de Civit. Dei cap. 17. Contra quos

143 Assero: Pœnæ damnatorum sunt æternæ. Prob. 1. ex antiquo & novo testamento. Ex veteri testamento: 1. David Psal. 48. Animam Justi variis vitæ humanæ depressam miseriis consolatur dicens, bona diligentibus Deum præparata esse, mala vero æterna in pœnam peccatorum disposita. Ita loquitur ad propositum: *Ne timueris, cum dives factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus ejus. Quoniam cum interierit, non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria ejus; quia anima ejus in vita benedicetur: confitebitur tibi, cum benefeceris ei. Introibit usque in progenies Patrum suorum, & usque NB. in æternum non vi-* debit

debit lumen. 2. Sapientiæ 4. Salomon, vel potius per ipsum Deus ita de pœnis damnatorum pronunciat: *Illos autem Deus irridebit, & erunt post hæc decidentes sine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum;* sed qui in perpetuum non videbunt lumen, & in perpetuum erunt inter mortuos, luent pœnas perpetuas: ergo. 3. Isaiæ c. 5. *Dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino, & descendent fortes ejus.* Idem c. 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* c. 34. iterum de pœnis damnatorum loquitur: *& erit terra ejus in picem ardentem, nocte & die non extinguetur, in sempiternum ascendet fumus ejus: a generatione in generationem desolabitur, in sæculum sæculorum non erit transiens per eam.* cap. 66. subdit Idem: *Vermis eorum non morietur, neque ignis extinguetur.*

Ex novo Testamento; Math. 3. ℣. 12. *Congregabit triticum suum in horreum, paleas* (id est, reprobos) *comburet igni inextinguibili.* & cap. 25. *Discedite maledicti in ignem æternum - - & ibunt hi in supplicium æternum, Justi autem in vitam æternam.* Marci 9. *Bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis: ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* 2. Thessalonic. 1. *Pœnas dabunt in interitu æternas.* Apocal. 14. *Fumus Tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum.* & c. 20. *Cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.*

Prob. 2. Ex Conciliis generalibus; & quidem 1mo. Concilium V. ut scribit Nicephorus Callisti l. 17. c. 27. & 28. damnavit Origenem, quod doceret, *omnium impiorum hominum, ipsorumque dæmonum tormenta finem habitura.* 2*do*. Lateranense IV. cap. *firmiter de summa Trinitate*, docet, *reprobos cum Diabolo pœnam perpetuam recepturos esse.* 3. Concilium Trid. Sess. 6. Can. 25. Damnatorum pœnas appellat *æternas.* Atque Sess. 14. can. 5. ait: per peccatum contrahi *amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum.*

Prob. 3. Ex traditione PP. S. Justinus Martyr. Sæculi II. Pater Apol. 2. inquit: *quo vero, qualique in sensu ac Supplicio futuri sint improbi, ex his, quæ similiter ad hoc ipsum dicta sunt, cognoscite, vermis eorum finem non habebit, nec desinet, neque eorum ignis extinguetur.*

S. Irenæus ejusdem Sæculi Pater l. 4. c. 47. sic effatur: *Pœna eorum, qui non credunt Verbo Dei, & contemnunt Ejus adventum, & convertuntur retrorsum adampliata est, non solum temporalis, sed æterna facta, qui-*

buscunque enim dixerit Dominus, discedite a me maledicti in ignem perpetuum, erunt semper damnati.

Tertullianus Sæculi III. Scriptor, ita testatur Apol. c. 28. *Nos, qui sub Deo omnium Speculatore dispungimur, quique æternam ab eo pœnam providemus, merito soli innocentiæ occurrimus, & pro scientiæ plenitudine, & pro latebrarum difficultate, & pro magnitudine cruciatus non diuturni, verum sempiterni eum timentes, quem timere debebit, & ipse, qui timentes judicat, Deum non proconsulem timentes &c.*

Tandem ut alios plures SS. PP. prætermittam, adduco D. Augustinum Doctorem maximum & Traditionis divinæ, ac Apostolicæ tenacissimum, qui constanter tenet, pœnas damnatorum esse æternas; ut in Enchiridio c. 212. in Psal. 57. & singulariter l. 21. de Civit. c. 11.

Hæc res solum Authoritate efficaciter probari potest: quod & factum esse existimo; scio quidem Socinianos his textibus opponere, æternitatem in Scripturis sæpe sumi tantum pro longissima aliqua duratione, & in hoc sensu accipi, quando de pœnis damnatorum agitur. verum huic responsioni obstat clarissima Scriptura, mens totius Ecclesiæ, ac vere fidelium traditio, quæ omnia juncta satis exprimunt, verba hujus Auctoritatis esse in sensu proprio pro ipsa æternitate sumenda, non autem in improprio pro longissima duratione. Accedit tandem sensus Ecclesiæ in officio defunctorum, ubi in responsorio 1. tertii nocturni ait: *ex inferno nullam esse redemptionem.* Accedit etiam ratio Theologica: Pœna juxta dignitatem Personæ per peccatum læsæ imponitur, sed Persona a peccatore gravi læsa est Deus infinitæ Majestatis: ergo etiam debet esse proportionata pœna, si non intrinsece, & intensive infinita, quia Creatura cujuscunque intensivi infiniti est incapax, debet esse saltem extrinsece, & extensive infinita in duratione.

Diluuntur Objectiones Socinianorum.

144 Objic. 1. Ex S. Scriptura. 1. Pœnæ reproborum in veteri testamento designatæ, sunt tantum comminatoriæ, sed nulla pœna comminatoria simpliciter est æterna dicenda: quia vox æternum in S. Scriptura usurpatur sæpe tantum pro longa duratione, ut, Gen. 6. *Non*

per-

permanebit Spiritus meus in homine in æternum, cum tamen in Noe, Abraham, Isaac, & Jacob postea permanserit: ergo.

R. D. M. Nulla pœna comminatoria est absolute æterna in hac vita c. M. in altera vita subd. si peccator prius in hac vita pœnitentiam egerit c. M. si non egerit n. M. To *æternum*, licet aliquando per exaggerationem sumatur tantum improprie pro longa duratione, tamen id non facit scriptura veteris vel novi testamenti, quando loquitur de pœnis damnatorum, ubi accedente sensu omnium vere fidelium, & Traditione semper de vera æternitate est sermo: neque si sic accipitur Scriptura proprie, aliquid absurdum inde sequitur, uti fit in aliis locutionibus, ubi propter evitationem absurdi, vel falsi sensus debet improprie accipi. 2. Dum Psal. 102. dicitur: *Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur*: sermo est de præsenti vita, in qua Deus maxime exercet misericordiam, & peccatoribus pœnitentiam agentibus condonat peccata. 3. Dum Psal. 13. ℣. 11. dicitur: *quoniam non derelinques animam meam in inferno*: loquitur Propheta de anima Christi descendente ad limbum, & inde iterum revertente. 4. Dum Psalmista Psal. 48. ℣. 16. ait: *verumtamen Deus redimet animam ex inferno inferiori*; & Psal. 85. ℣. 13. *eruisti animam meam ex inferiori*; loquitur Propheta non de misericordia solvente damnatos a pœna æterna, sed de misericordia sibiipsi præstita, cum ab insidiis suæ vitæ paratis a Saule, fuit liberatus, & veniam ob adulterium, & homicidium obtinuit.

Objic. 2. Deus non projicit peccatores in æternum: ergo pœnæ damnatorum non sunt æternæ. p. a. Psal. 76. dicitur: *nunquid in æternum projiciet Deus; aut non apponet & complacitior sit adhuc? aut in finem misericordiam suam abscindet a generatione in generationem?* ergo. R. N. a. Textum distinguo: David ibi Spiritu prophetico loquitur de captivitate Babylonica, cujus acerbitatem & durationem providens postulat liberationem c. loquitur de liberatione damnatorum in altera vita n. Neque aliquid probant Adversarii ex illo textu Sap. 11. ℣. 24. *Misereris omnium, quia omnia potes*; ibi enim est sermo de viventibus in terra, quorum Deus, dum pœnitentiam agunt, miseretur, statim enim prioribus verbis subditur: *& dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Neque evincunt aliquid ex illo Isaiæ, 24. ℣. 22. *Congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, & claudentur ibi in carcere, & post multos Dies visitabuntur*, seu liberabuntur. Respondeo

enim, visitatio in S. Scriptura interdum etiam sumitur in sensu malo pro castigatione, uti in Psal. 88. *Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, - - visitabo in virga iniquitates eorum.* Et apud eundem Prophetham Isaiam c. 26. *visitasti, & contrivisti eos.* Igitur & hic visitare accipit Isaias in malo sensu, nempe hoc: *post multos Dies punientur, & affligentur.* Alii textus, qui videntur fideles liberos pronunciare ab æterna damnatione, solum loquuntur de credentibus fide per dilectionem operante, & perseverantibus usque in finem. Neque inæqualitatem pœnarum significat illud Marci c. 12. ubi de Scribis & Pharisæis dicitur: *accipient prolixius judicium.* Ubi To *prolixius* idem est, ac *acerbius*, & *intensius*, non autem idem, ac *longius*.

Objic. 3. S. Gregorius Nyssenus pluribus locis negat pœnarum æternitatem, ut *lib. de anima, & resurrectione* paulo ante medium: ergo. Resp. aliqui Gregorium Nyssenum hac in parte implicatum fuisse erroribus Origenis; verum verius est, ut perhibet S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus apud Photium in Bibliotheca, S. Gregorii opera hac in parte ab Origenistis fuisse corrupta. S. Gregorius vero Nazianzenus orat. 39. in Sancta lumina, dum negare videtur pœnarum æternitatem, ibi loquitur de igne Purgatorii, quem vocat postremum baptismum.

Objic. 4. S. August. in Enchiridio c. 110. docet fidelium preces, Missas, & eleemosynas, ac alia pietatis opera prodesse damnatis: ergo. R. n. a. Expresse enim S. Doctor dicit, præfata pia opera nulla esse adjumenta reproborum. Cum vero addit, per eas tolerabiliorem fieri damnationem, non loquitur absolute, sed sub hypothesi, quod iis prosint: igitur dicit, pietatis opera non posse reprobos a pœnis omnino liberare, quodsi tamen iis prosint, non prodesse, nisi ut levamenti aliquid iis afferant. Dum Ecclesia orat in Missa defunctorum: *libera Domine Animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu &c.* his verbis solum intendit Ecclesia petere a Deo, ut animæ fidelium in gratia defunctorum a pœnis Purgatorii liberentur. vide & n. 103. ubi hæc objectio circa finem jam est soluta.

Objic. 5. S. Hieronymus in primo dialogo contra Pelagianos sub persona Attici sic loquitur; *illud vero, quod in sequenti ponis capitulo, in Die judicii iniquis & peccatoribus non parcendum, sed æternis eos ignibus exurendos, ferre quis potest? & interdicere te misericordiam Dei, & ante Diem Judicii*

Judicii judicare? plura similia subjungit: quibus videtur docere, solos infideles cum Diabolo & Angelis ejus esse æternis ignibus cruciandos, Christianos vero omnes, licet ut graves peccatores mortuos, tandem, postquam satis passi sunt, liberandos, & salvandos esse: ergo.

R. S. Hieronymus, ut ejus verbis declarabo, longe abfuit ab illa Adversariorum doctrina. cit. autem in loco solum vult, non omnes iniquos, & peccatores, per hos intelligendo etiam peccati solum levis reos esse æternis flammis cruciandos: loquitur enim contra Pelagium, quem credidit, vel suspicatus est, in hoc errore esse, quod etiam peccati levis rei sint æterna pœna afficiendi, ut colligitur ex verbis S. Doctoris laudato loco, ubi inter alia ita argumentatur: *Si peccatores & iniqui* (nempe etiam levis noxæ rei) *æternis ignibus exuruntur, non times sententiam tuam, qui iniquum & peccatorem te dicis? & argumentaris, hominem non esse sine peccato, sed esse posse; ergo solus ille salvetur, qui nunquam fuit, nec est, sed futurus est, & forsitan nec futurus, & pereant omnes, quos retro fuisse legimus?*

Nostræ autem sententiæ fuisse S. Hieronymum constat ex illo in cap. 3. Jonæ, ubi Origenis errorem refellit, sic dicens: *Hoc, quia Scriptura Sancta non dicit, & evertit penitus timorem Dei, dum facile homines labuntur in vitia, putantes etiam Diabolum, qui Auctor malorum est, & omnium peccatorum fons, acta pœnitentia posse salvari, de nostris mentibus abjiciamus, & sciamus peccatores in Evangelio mitti in ignem æternum, qui præparatus sit Diabolo & Angelis ejus.* Videatur ibi, ubi plura pro nostra sententia profert.

Objic. 6. Pœna æterna pro peccato momentaneo Dei bonitati repugnat; ergo. R. n. a. Pœna æterna pro peccato mortali exigitur a Justitia divina, quæ non repugnat bonitati Dei; attributa enim divina inter se non repugnant: sit dein actus momentaneus physice spectatus, tamen ille non secundum esse physicum, sed morale a Deo spectatur, secundum quod est contemptus & offensa Dei infiniti.

Articulus II.

De pœna peccati venialis, seu purgatorio.

145 Purgatorii nomine intelligimus locum, quo animæ justæ defunctorum purgari debent igne, vel aliis pœnis, donec ab omni culpæ & pœnæ reatu mundatæ valeant cœlum ingredi. Existere talem locum post Aerium negarunt Sæculo duodecimo *Petrobrusiani* sic dicti *a Petro de Bruis*; Item *Henriciani* a quodam Henrico Tolosano vocati. Eodem sæculo huic errori subscripsere *Waldenses*, seu *pauperes de Lugduno*; quorum errores D. Bernardus Serm. 66. in Cantica refert. Rursus Sæculo XIII. eidem hæresi adhæserunt quidam sic appellati Pseudo-Apostoli sub Duce *Gerardo Sagarello Parmensi*, propterea damnato ad ignem anno circiter 1290. Sæculo vero insequente Joannes *Huss* Bohemus, a quo *Hussitæ* nomen hauserunt. Sectarii moderni illorum vestigiis insistunt, & petulantissime irrident tanquam figmentum Adversariorum Sacerdotum, ex Missis funeralibus lucrum quærentium. Lutherus illorum Dux, modo cum ipsis, modo cum Orthodoxis sentit. Quippe in disp. Lipsinensi 8. Julii 1519. habita, ait: *Credo fortiter, imo ausim dicere, scio purgatorium esse: facile persuadeas in Scriptura de eo fieri mentionem &c. Ego nihil de purgatorio novi, nisi animas ibi nostris operibus & orationibus juvandas.*

Controvertitur autem unice, utrum detur locus, in quo aliquæ Animæ Justorum post hanc vitam pœnas aliquas per aliquod tempus sentire debeant, & sic purgari ab omni sibi inhærente macula, vel reatu culpæ & pœnæ, donec plene purgatæ fiant aptæ ad visionem Dei in Cœlis. De hoc solo quæritur, non vero de his, nimirum quo modo, scilicet an igne materiali, ut plerique sentiunt, an aqua vel frigore, an a dæmonibus, & quam atrociter, & omnes eodem tormenti genere crucientur. Iterum non est quæstio de loco, an scilicet omnes puniantur infra terram, vel in aliquo carcere simul congregatæ, neque de tempore, quanto luere debeant pro quolibet peccato. De his enim nihil revelatum, nihil definitum esse Catholici confitentur. H. N.

146 Assero: Datur Purgatorium in sensu explicato; ita fides Catholica contra prædictos. Desumitur ex Concilio Lateran. sub Innocentio III. Can. 66. ex florentino Sess. ult. ex Trid. Sess. 6. Can. 30. ubi:

si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc sæculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit, anathema sit.

Accedunt SS. PP. Dionysius Areopagita de Ecclesiast. Hierarchia c. ult. Tertullianus lib. de corona Militis c. 3. & lib. de Monogamia c. 10. Cyprianus Epist. 52. & 66. Cyrillus Hierosol. Catechesi 5. Gregorius Nyssenus in Serm. de dormientibus. Ambrosius Epist. 9. ad Faustinum. Hieronymus lib. 18. in Isaiam, & in cap. 1. Ezechielis. Joannes Chrysostomus lib. 6. de Sacerdot. & homil. 41. in primum ad Corinth. Augustinus compluribus in locis. Epiphanius hæresi 75. qui omnes uno ore ex traditione antiquæ Ecclesiæ probant, dari Purgatorium, & bonum esse pro defunctis orare.

Probatur autem singulariter ex S. Scriptura contra Lutherum, cujus propositio: *Purgatorium non posse probari ex S. Scriptura, quæ sit in canone*: a Leone X. merito est proscripta. 1mo. Eccli 7. ℣. 36. & 37. dicitur: *Pauperi porrige manum tuam, - - - & mortuo non prohibeas gratiam:* ergo sicut oportet juvare pauperes in hac vita, ita & mortuos in altera: damnatis vero auxilium nostrum non prodest, quia ex inferno non est redemptio, Beati eo non indigent; ergo debent adstrui tertii, qui in Purgatorio detinentur.

2do. Math. 12. dicitur: *Qui dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*: ergo dantur aliqua peccata, quæ etiam in futuro sæculo remittuntur; sed peccata æternam pœnam promerita non remittuntur in altero sæculo: ergo promerita pœnam temporalem, quæ solvitur in purgatorio.

3tio. Ad Philippenses 2. habetur: *ut in Nomine JEsu omne genu flectatur, Cœlestium, Terrestrium, & Inferorum:* sed damnati non venerantur Nomen JEsu; ergo alii inferi, scilicet in purgatorio existentes.

4to. Est notabilis textus 1. Corinth. 3. ℣. 12. 13. & seqq. *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit; si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse tamen salvus erit, quasi per ignem.* Quem locum S. Aug. 50. homiliarum homil. 16. de Purgatorio intelligit, per cujus ignem propter venialia peccata transeundum; sed *quanta fuerit peccati materia, tanta & pertranseundi mora*, ait S. Doctor.

5to. Ex 2. Machab. 12. Judas Machabæus legitur misisse Jerosolymam duodecim millia drachmas argenti expendenda in sacrificia pro occisis, & defunctis Militibus. Huic relationi subjungit Historiographus hanc notatu dignissimam sententiam: *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis orare, ut a peccatis solvantur.* ergo potest homo pie ac juste mori, uti hi Milites, qui *cum pietate dormitionem acceperant*, & tamen aliquod debitum habere per sacrificia & pia opera expungendum. Illa Crisis contra libros Machabæos, an sint Canonici, jam tom. 1. part. 1. pag. 34. soluta est.

6to. Potest aliquis, cæteroquin Justus, cum uno vel altero veniali nondum per satisfactionem debitam deleto mori; quid enim implicat? is non potest damnari, quia est Justus, non reus peccati lethalis; non potest etiam introire in regnum Cœlorum: *nihil enim coinquinatum introibit in regnum Cœlorum.* Apoc. 21. ergo veniet in purgatorium, ut ibi satis patiatur, & debitum restans expungat.

7mo. Juxta dicenda alibi, quando remittitur peccatum mortale quoad reatum culpæ, non semper remittitur tota pœna, sed sæpe remanet aliquis reatus pœnæ temporalis sustinendæ, ut ex S. Scriptura pluribus exemplis confirmari potest: atque hæc pœna sæpe non sustinetur in ista vita, quia non raro de maximis peccatis in agone, vel paulo ante agitur pœnitentia, ubi tempus pœnitentiæ non est amplius: ergo tunc in altero mundo propter rationem præcedentem debet huic reatui satisfieri in purgatorio, antequam ad beatitudinem Justis paratam perveniatur.

Satisfit Objectionibus.

147 Objic. 1. In tota S. Scriptura non fit mentio de Purgatorio: ergo illud non datur. R. D. a. explicite, sub nomine hoc Purgatorii c. a. implicite n. a. ob probationes nostræ assertionis, quamvis nomen Purgatorii non occurrat in scripturis, modo res ipsa contineatur, vel inde per bonam consequentiam deducatur, sufficit ad fidei dogma. Sic Lutherani credunt Parvulos recte Baptizari, quamvis scriptura nullam mentionem faciat Parvulorum, dum præscribit baptismum. Cæterum juxta Catholicos non opus est omnes fidei articulos contineri in Verbo Dei scripto, cum & paris Authoritatis cognoscamus Verbum Dei traditum, seu traditiones divinas & Apostolicas.

Objic.

Objic. 2. Duo tantum genera distinguit Scriptura, quorum *qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui vero mala in ignem æternum*: ergo non datur tertium genus in purgatorio detentorum. R. Citatus textus discurrit de Judicio universali, ubi ignis purgatorii extinguetur.

Objic. 3. Joan. 5. ℣. 24. dicitur: *qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed transit a morte in vitam*: ergo nullus datur locus vindictæ temporalis post mortem. Resp. S. Augustinus l. 21. de Civit. Dei. c. 13. textum hunc loqui vel de judicio universali, & supposita sufficienti satisfactione pro temporali pœna sive in hac vita, sive post mortem in purgatorio præstita: vel de judicio particulari, quod immediate post mortem cujusvis hominis in particulari contingit, ubi justus quidem non venit in judicium *damnationis*, bene vero in judicium *discretionis*, si forte quædam pœna temporalis adhuc solvenda superfit: talis ergo transit a morte ad vitam æternam vel mediate, vel immediate c. semper immediate n. Imo similes textus exponi possunt de actu Beatis in Patria.

Objic. 4. S. Augustinus Serm. 294. olim. 14. de verbis Apostoli ait: *nullus relictus est medius locus, de vivis & mortuis judicabitur; alii erunt ad dexteram, alii ad sinistram, non novi alium.* R. Nemo, qui in Augustino est versatus, dubitare potest, eum asseruisse existentiam Purgatorii. Verum cit. loco tractat de Parvulis sine baptismo decedentibus contra Pelagianos; dum enim isti dictos parvulos a regno cœlorum volebant exclusos, nec tamen propterea damnandos, cum vitam illis concederent æternam, forte in Paradyso terrestri, ut quidam sibi persuadent, hoc Augustinus improbat, & asserit: *nullus locus est medius, ubi ponere queas infantes &c.* id est, non datur locus beatitudinis præter regnum Cœlorum, datur vero præter infernum alius locus vindictæ, hicque duplex, unus in pœnam peccati originalis parvulorum sine Baptismo mortuorum, quem *limbum* appellamus cum latissimo discrimine pœnarum, comparate ad adultos in inferno, alter in pœnam temporalem justorum, quem purgatorium dicimus.

Ad alias objectiones solvendas, observa 1. quando Scriptura tantum duo videtur Animarum post hanc vitam receptacula adstruere, loquitur de receptaculis æternum duraturis, etiam post extremum Judicii Diem, ubi purgatorium cessabit, & Animæ Justorum corpo-

ribus unitæ erunt in Cœlo, damnatorum, & impiorum in inferno. 2. Ille Textus Eccli 11. *si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit:* sic exponi potest, ut per *Austrum* status gratiæ, per *Aquilonem* status peccati mortalis intelligatur: quo pacto recte dicitur Anima in æternum mansura in eo statu, in quo migravit ex Corpore, atque adeo & animæ purgantes, quia migrarunt in statu gratiæ, semper persistent in hoc statu, licet mutandus sit locus. 3. Ad illum textum Apoc. 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis;* dico: Animæ defunctorum statim perveniunt ad quietem ab ærumnis hujus vitæ, non tamen omnes statim in cœlum, & ad quietem ab omni pœna alterius vitæ, nisi sint homines perfecti, vel per pias satisfactiones, & opera bona, actusque heroicos & indulgentias, ac calamitates patienter toleratas &c. perfecte purgati sint in hac vita, qui soli simpliciter *in Domino* mori censentur. Insuper illud *amodo* referendum est ad extremi judicii Diem, de quo ibi agit Joannes, non ad tempus mortis, nisi in hac vita penitus sint purgati. 4. Dum Deus remittit peccatum mortale, non recordatur quidem amplius quoad aversionem & pœnam æternam, quam remittit recipiendo in amicum, recordatur tamen juste quoad pœnam temporalem, quam dictat iis, quibus cum culpa pœnam æternam gratis remisit, nisi & extraordinaria pœnitentia &c. ipsum moveat ad omnem pœnam simul cum culpa condonandam. Igitur licet in Justis nil sit damnationis æternæ, sæpe tamen aliquid damnationis & pœnæ temporalis inest. 5. Ex illo Lucæ 23. ad Latronem recenter conversum dicto: *hodie mecum eris in Paradyso*, non eruitur, latronem non devenisse in purgatorium: potuisset enim ibi per modicum tempus torqueri, & intensione pœnarum suppleri extensio temporis. Vel fuit Latronis in Cruce extraordinaria pœnitentia, quæ pro omnibus peccatis & toto reatu eorum expiando fuit sufficiens, vel potuit peculiari privilegio Christi actu passione & morte sua operantis salutem nostram absolvi ab omni pœna temporali in purgatorio adhuc sustinenda. 6. Nec mirum, Deum tam severe punire amicos, si peccati etiam venialis tantum gravitatem, ac simul Majestatem infinitam Dei consideremus, quæ quidem ex misericordia sua maxima facile recipiat nos in gratiam, ne desperemus, non tamen facile remittere debet omnem pœnam, ne vilipendatur, & homo ad peccandum quasi provocetur. Ut itaque Majestati divinæ sua constet reverentia, & homo magis a peccato retra-

retrahatur, oportet in altero mundo, ubi locus eſt juſtitiæ, ſevere puniri in juſtis quoque venialia peccata. His breviter reſponſis

Objic. 5. Juſti in purgatorio paterentur pœnam damni, & privationem viſionis beatificæ: ſed iſta debetur ſoli peccato mortali: ergo. R. D. M. temporalem c. M. æternam, quæ ſoli peccato mortali debetur, n. M.

Objic. 6. In extremi judicii Die, & poſt illum omnes immediate vel mittentur in infernum, vel vocabuntur ad gaudia æterna, atqui tunc multi erunt, qui nondum plene pro pœna temporali ſatisfecerunt: ergo ex neceſſitate ſatisfactionis non infertur recte exiſtentia purgatorii. R. n. m. Nam qui purgatione in fine mundi indigebunt, purgabuntur ante finalem ſententiam vel viventes in corpore per ſatisfactionem, & merita, vel per ignem ultimæ conflagrationis, vel per ipſum purgatorium, ita tamen, ut quantum deerit in diuturnitate temporis, ſuppleatur per pœnarum acerbitatem intenſiorem; ut optime advertit D. Thomas in ſupplemento 3. part. q. 74. art. 8. ad 3.

Articulus III.

An peccatum veniale ſaltem per accidens puniatur pœna æterna?

Status quæſtionis eſt, an ille, qui moritur cum peccato mortali 148
& veniali, & ſic damnatur, etiam ob peccatum ſuum veniale in inferno æternum puniatur? H. N.

Aſſero: peccatum veniale in damnatis non punitur in æternum. Scotus 4. d. 21. q. 1. n. 6. Gabriel, Navarrus, Coninck, & multi Antiqui, ac RRres. contra D. Thomam, & multos alios.

Prob. 1. Deus non exigit majorem pœnam pro peccato veniali quam illud meretur, atqui peccatum veniale meretur ſolum pœnam temporalem, non vero æternam: ergo Deus pro peccato veniali exigit tantum pœnam temporalem &c. M. videtur certa: quia Juſtitia Dei petit, ut peccata non ultra meritum, vel demeritum puniantur.

R. AArii. Peccatum veniale per ſe meretur quidem ſolum pœnam temporalem, per accidens vero ratione ſtatus damnationis, & conjunctionis cum mortali meretur pœnam æternam.

Contra est: Peccatum veniale, quamvis conjungatur cum mortali, & statu damnationis, non fit majus, nec fit mortale: ergo etiam in statu talis conjunctionis meretur solum pœnam peccato veniali proportionatam, seu temporalem. C. videtur liquere: nam pœna respondet & proportionari debet malitiæ & demerito peccati. Malitia enim per pœnam vindicatur: hinc si malitia peccati venialis non crescit, aut mutatur ob illam conjunctionem, neque crescere aut mutari debet pœna.

Prob. 2. Ex sententia contraria sequitur, sæpe gravius peccata venialia in æternum puniri, quam aliquod mortale; sequela est absurda: ergo. M. prob. ponamus, quod homo commiserit unum mortale, ob quod meretur pœnam ut quatuor, & simul habeat octo, vel plura venialia, ob quæ meretur pœnam intensam ut octo: jam iste ob venialia sua deberet in æternum sentire pœnam ut octo intensam, ob mortale vero tantum ut quatuor intensam; quod certe absurdum est; sicut enim innumera peccata venialia non adæquant in malitia, minus superent unum mortale, ita neque adæquare, minus ita notabiliter superare possunt aliquod mortale in excessum pœnæ æternæ.

149 Objic. 1. Damnatus semper manet in reatu culpæ venialis, in quo discessit: culpa enim in æternum non dimittitur: ergo etiam semper & in æternum meretur pœnam. c. patet: quia ideo meretur aliquis pœnam, quia habet culpam: ergo si culpa in æternum manet, etiam in æternum meretur pœnam. R. n. c. ad prob. d. a. ideo meretur aliquis pœnam, quia habet culpam, pro qua aliquis necdum solvit pœnam debitam c. a. Si habet culpam, pro qua jam ad ultimum usque quadrantem solvit pœnam debitam n. a. omnis reatus culpæ importat aliquam condignitatem saltem radicalem ad pœnam, non tamen ad pœnam semper solvendam, sed vel ad pœnam solvendam, aut jam solutam. Ille, qui habet culpam, vel maculam peccati venialis habitualis, manet debitor pœnæ, si illam nondum solvit: si vero illam jam plene solvit, tollitur hoc debitum, & obligatio, vel reatus pœnæ, & manet sola macula peccati habitualis, seu reatus culpæ.

Objic. 2. Damnati in æternum continuant suam malam voluntatem: ergo in æternum merentur pœnam. R. n. c. Damnati non sunt amplius in statu viæ, meriti, vel demeriti, adeoque etiamsi nova peccata in inferno perpetrent, vel antiqua continuent, propterea non merentur aliquam pœnam, aut continuationem pœnæ.

Objic.

Objic. 3. Damnati ſuſtinent pœnas ſuas involuntarie, & inviti; atqui per cruciatus involuntarie toleratos non ſatisfaciunt unquam divinæ Juſtitiæ: ergo. R. d. m. non ſatisfaciunt ſatisfactione meritoria, quæ requirit actum voluntarium liberum c. m. ſatisfactione alia, vel verius ſatispaſſione, qua tantum ſolvitur pœna per Juſtitiam divinam taxata n. m. Etiam in Republica humana ſatisfit Juſtitiæ vindicativæ, ſi reus pœnam taxatam ſuſtineat, etiamſi invitus hoc faciat. Voluntarium & actus liber requiritur duntaxat, dum per eum finis pœnæ obtinetur gratioſe per relaxationem, aut remiſſionem vel totalis, vel partialis pœnæ, non vero exigitur ejusmodi actus liber, ac voluntarius, quando pœnæ finis imponitur per ſufficientem paſſionem, & ſolutionem totius pœnæ ſecundum rigoroſam Juſtitiam vindicativam. Neque damnati pro peccatis ejusmodi venialibus *ſatisfaciunt* proprie, ſed ſatispatiuntur.

Objic. 4. Si poſſint damnati ſatispati pro ſuis peccatis venialibus, & pœna venialibus ipſorum reſpondens poſſet finem habere, tunc poſſent pro ipſis fundi orationes a fidelibus, ut citius ab hoc cruciatu venialibus reſpondente liberarentur, ſequela eſt falſa: ergo. R. n. ſequel. M. Damnatus enim cum ſit extra communionem Sanctorum, ideo non poſſunt ei ulla ſuffragia prodeſſe. 2. Damnati ſunt privati omni relaxatione gratioſa, ſed debent omnem pœnam a divina Juſtitia taxatam ſuſtinere, uſque dum fuerint ſatispaſſi.

Objic. 5. *Ex Inferno nulla eſt redemptio*, ut canit & cenſet Eccleſia; atqui juxta nos foret redemptio ſaltem ab aliquo cruciatu in inferno, nempe ab illo, qui debetur pro peccatis venialibus: ergo. R. c. M. n. m. vera redemptio importat gratioſam remiſſionem pœnæ: aſt ejusmodi gratioſa remiſſio locum non habet, ubi debita pœna tota uſque ad ultimum quadrantem ſolvi debet ſine ulla relaxatione. Sane non diceretur redimi a pœna, ſed eam rigoroſe ſolvere, qui condemnatus ad perpetuos Carceres, & flagellationem tantum primo Die ibi ſuſtinendam, talem flagellationem tantum primo Die, non vero reliquis ſubiret. Poteſt quoque reſponderi 2. d. M. *ex inferno nulla eſt redemptio*, id eſt: nulla eſt ſpes evaſionis, vel liberationis totalis ex inferno c. M. partialis, a pœna aliqua partiali ſuſtinenda *ſubd.* nulla eſt ſpes ejusmodi partialis liberationis obtinendæ ex gratia, & gratioſa relaxatione pœnæ c. M. nulla eſt ſpes obtinendæ ejusmodi liberationis poſt integre & rigoroſe ſolutam pœnam debitam

bitam peccato veniali n. M. Iterum poteſt intelligi illud axioma, quod neque totalis, neque partialis liberatio ſit ſperanda reſpectu illarum pœnarum, quæ debentur peccatis mortalibus nondum remiſſis quoad culpam, & quæ per ſe inducunt pœnas inferni, non vero reſpectu culparum venialium, quæ per ſe non inducunt pœnas æternas inferni, ſed tantum temporales.

Dices: fideles & PP. videntur ſentire, quod nulla mitigatio tormentorum ſit in inferno; atqui juxta nos daretur mitigatio in inferno: ergo. R. d. M. ſentiunt iſti, quod nulla mitigatio in inferno ſit illorum tormentorum, quæ debentur pro peccatis mortalibus nondum remiſſis, ac per ſe inductivis pœnarum infernalium c. M. quod nulla mitigatio ſit aliarum pœnarum, quæ debentur tantum pro venialibus non inductivis per ſe pœnarum infernalium *ſubd.* quod nulla mitigatio ſit etiam harum pœnarum temporalium facienda ex miſericordia Dei, vi cujus aliquid, quod ſolvendum reſtaret, gratioſe remitteretur c. M. ſecus, & in noſtro ſenſu n. M. imo in noſtro ſenſu non eſt vera mitigatio, ſed potius eſt rigoroſa ſolutio, qua ſolum præſtita ceſſat pœna abſque ulla gratuita relaxatione interveniente.

150 Deduces: etiam pœnas illas, quæ ſolvendæ reſtant pro peccatis mortalibus remiſſis quoad culpam jam in hac vita ob pœnitentiam deſuper habitam, non eſſe in æternum duraturas. Ratio eſt: quia etiam pœnæ, quæ pro peccato mortali jam quoad culpam remiſſo, reſtant, ſunt tantum temporales, non vero æternæ. Idem a fortiori eſt de pœnis temporalibus adhuc reſiduis pro venialibus quoad culpam jam in hoc ſæculo dimiſſis.



Tracta-



Tractatus III.

DE DIVERSIS STATIBUS NATURÆ HUMANÆ.

Dissertatio I.

QUÆDAM PRÆLIMINARIA.

Ne in ipso progressu hujus materiæ obicem ponat illa cavillatio 151
hæretica de Præ - Adamitis, solutio ejus hic pro fundamento est ponenda. Hæc ut recte fiat, ex Reverendissimo D. Joanne Sianda Abbate Antiquissimi Ordinis Cisterciensis in suo Lexico Polemico, liceat breviter resumere historiam Hæresis Præ-Adamitarum. Itaque Isaacus Peirerius Burdigalæ natus, anno 1655. in Hollandia Tractatum edidit, in quo Judæos, tanquam originem ab Adamo sortitos, Adamitas: Gentiles vero Præ - Adamitas vocat, quorum ortum statuit diu Adamum præcessisse. Cum autem videret hanc fabulam primis Geneseos verbis efficacissime refelli, finxit, creationem Adami capite 2. descriptam, aliam esse ab ea hominum creatione, de qua Idem Moyses capite 1. locutus erat, systema istud ægyptiorum & Chaldæorum antiquitate, ac quorumdam Rabinorum commentis roborare conatus est, qui alium mundum, de quo tamen Moyses alte siluerat, somniaverunt. Peirerius, postquam variis scriptis contra ipsum editis tam Catholicorum, quam etiam Accatholicorum egregie vapulavit, & ab Episcopo Namurcensi gravi censura est perstrictus, Bruxellis a triginta Viris armatis captus, & carceri mancipatus, Condæi tamen Principis Auctoritate immunis evasit. Tandem Romam profectus, & Catholicam Religionem amplexus Calvinianam hæresim abjuravit, ac fabulam Præ - Adamiticam libello edito retractavit. Contra absurdum hoc Præ - Adamitarum systema cum communi Catholicorum sententia, sit

Articulus I.

152 Assero: Adamus est absolute omnium hominum primus: atque adeo Præ-Adamitarum opinio Verbo Dei plane repugnat. Prob. 1. Ex cap. 1. genesis, quo Moyses mundi initium, primamque rerum omnium productionem describens, non solum Præ-Adamitarum nullam mentionem facit, sed hominis primi creationem describit, cui Dominium in universa Animantia recens creata a Deo est collatum; ita textus sonat: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, Masculum & fœminam creavit eos. Benedixitque illis Deus, & ait: crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris, & volucribus cœli, & universis Animantibus, quæ moventur super terram.* Hunc primum creatum hominem fuisse Adamum, constat ex cap. 2. 3. & seqq. Genesis, singulariter ex cap. 5. ubi Moyses repetens dicta primo capite, illa de Adamo intelligit. ibi. *Hic est liber generationis Adam; in die, qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum. Masculum & fœminam creavit eos, & benedixit illis; & vocavit nomen eorum NB. Adam, in die quo creati sunt.*

Prob. 2. Gen. 2. ℣. 5. Ante Adamum *homo non erat, qui operaretur terram:* ergo Adamus fuit primus, & ante eum non præextiterunt Præ-Adamitæ.

Prob. 3. Gen. 3. v. 20. *Vocavit Adam nomen Uxoris suæ Heva: eoquod Mater esset cunctorum viventium:* ergo ante Adamum & Evam non fuerunt creati alii homines, alioquin non horum, consequenter non omnium viventium fuisset Mater.

Prob. 4. Sap. 10. v. 1. de Adamo dicitur: *formatus est a Deo Pater orbis terrarum.* Apostolus 1. cor. 15. ℣. 47. *Primus homo de terra terrenus.* Act. 17. ℣. 26. *Fecit ex uno omne genus hominum* inhabitare super universam faciem terræ. Ubi disserte affirmatur, Adamum Patrem esse non solum hebræorum, sed etiam totius generis humani. Neque obstat, quod in autographo græco non simpliciter *ex uno* legatur, sed ἐξ ἑνὸς αἵματος, id est, ex uno sanguine, ex una eademque materia, ex una terra, nam αἷμα eo loci sumi pro uno homine, non pro communi materia &c. patet ex communi sensu Ecclesiæ, & omnium interpretum, & ex ipsa versione vulgata usu

Eccle-

Ecclesiæ consecrata; idem ergo sonat, ac: omne genus hominum est ex uno stipite, ex uno capite, & omnium parente.

Prob. 5. Ex constanti omnium sæculorum traditione: omnes enim, non solum Christiani, sed etiam Judæi hactenus agnoverunt unum Adamum esse primam stirpem totius generis humani. Plura alia momenta contra hanc fabulam militant, quæ apud Alexandrum Natalem videri possunt Historia Ecclesiastica veteris Testamenti tom. 1. Dissert. 3. de Adamo & Eva, Assert. unica. quæ brevitatis gratia hic prætereo.

Objic. 1. D. Paulus Rom. 5. dicit: Regnavit mors ab Adam us- 153
que ad Moysen, etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ. ex quo ita arguitur: Omnes Adæ Posteri in similitudinem illius prævaricationis peccaverunt: ergo fuere & alii homines ab Adamo non descendentes, utpote illius peccati non obnoxii. R. Apostolus in laudato textu ait: mortem ab Adam usque ad Moysen regnasse etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, loquitur de peccato actuali personali propria voluntate patrato, non de originali & voluntate primi Parentis facto. Vult igitur Apostolus, ante legem scriptam etiam eos, qui non peccaverunt actualiter & propria voluntate, ut infantes, morti fuisse obnoxios, & peccato originali infectos. Adam autem esse morti obnoxium propter peccatum actuale personale propria voluntate admissum, Posteros vero propter originale a primo Parente suo in ipsos Posteros traductum.

Ad alias objectiones respondetur 1. a Deo omnipotente potuisse omnia fieri & creari, quæ die sexto creationis mundi 1. & 2. cap. Gen. enarrantur. 2. Cainum Patris magisterio, & fratrum ope agriculturam exercuisse. Nec tamen credas, terram tunc temporis coluisse homines ea ratione, iis instrumentis & apparatu, quo nostros videmur Agricolas facere. Neque ab initio tam numerosa erat familia, ut campos amplissimos coleret Cain: crescente autem paulatim familia & hominum copia, artes inventæ sunt ad exercendam terram, quam serere, colere, & instrumenta suo usui apta præparare cœperunt. 3. Abelem pavisse oves, non propter fures, sed ut ad salubria pascua duceret, & ne in noxias herbas irruerent, coleret, & tueretur a bestiis, & attenderet, ne dispergerentur. 4. Cainum sceleris horrore perculsum, capitis periculum timuisse ab hominibus

ex Adami familia progenitis, qui Orientalem plagam Eden incolebant, Fratribus scilicet suis, & Nepotibus. Neque incredibile est, quod ad annum mundi centesimum trigesimum, quo Abel a Caino occisus est, ad multa centena millia propagatum sit genus humanum, cum intra ducentos quindecim annos, quos in Ægypto egere Filii Israel usque ad sexcenta millia virorum tractandis armis & militiæ aptorum propagata sint. Neque omnes filios & filias Adami, & ejus Posterorum recenset S. Scriptura.

5to. Multitudo hominum ex Adamo per Cainum genitorum erat sufficiens ad condendam civitatem. Notat egregie Didacus a S. Antonio Enchiridio scripturistico tom. 2. dissert. 5. §. 1. ex S. August. l. 15. de Civit. & D. Thoma. *1mo.* ex eo, quod Cain ex Nomine Filii sui Henoch vocaverit primam Civitatem, non sequi, ut ille debuerit esse primogenitus, sed illam sic vocari, quia Henoch fuit Patri suo prædilectus, & Cain diu vixit: atque adeo potuerunt filii ejus & Nepotes ita multiplicari vitæ suæ tempore, ut pluribus exstruendis & implendis civitatibus sufficerent. *2do.* Supposito, quod Henoch fuerit Caini primogenitus, ut dicit Josephus, tunc dicendum, illam civitatem non statim post nativitatem illius esse ædificatam, sed diu post, prole sua multum multiplicata.

6to. Periodos illas, quas Chaldæi, Sinenses, & si qui sint alii, numerant supra Adamum, falsitatis convinci, tum ex fidelioribus historiæ ipsius Sæcularis monumentis, meliorumque Authorum testimoniis, tum ex fide S. litterarum, adversus quam nulla testimonia humana præscribere possunt. Plura qui de his scire cupit, adeat Alexandrum Natalem allegatum. Præ-Adamitarum historiam fabulosam etiam belle descripsit Dominicus Berninus in sua Italo idiomate conscripta historia, *Di tutte l'Heresie.* tom. 4. sub Alexandro VII. folio mihi 642. ubi inter alia narrat, Peirerium supplici libello, quo coram Summo Pontifice pœnitens suos errores retractavit, hæc quoque inseruisse: *fateor coram Sanctitate Vestra, tanquam coram Deo, cujus imaginem Sanctitas Vestra gerit in Ecclesia Dei, me non latuisse Hypothesin, quæ mihi venit in mentem de primis hominibus, ante Adamum conditis diversam penitus abiisse ab opinione SS. PP. nec non aberravisse a toto Orthodoxorum Canone Conciliorum, tanquam Doctrinæ Christianæ fabricam de homine lapso, & redempto fundatam fuisse a PP. & Conciliis super Hypothesin de Adamo primo omnium hominum formato, a quo deinceps totum genus humanum*

num derivatum, & propagatum esset. Hæc confessio in compendio totam Præ-Adamitarum fabulam prosternit. His præmissis, sit

Articulus II.

De statu Naturæ puræ, Justitia, & peccato Originali.

Varii status Naturæ considerari possunt. 1. Status *Naturæ puræ* est, in quo homo habet omnes perfectiones humanæ naturæ naturaliter debitas, sine elevatione supernaturali, & sine peccato originali. Vel est ille status, in quo homo habet omnes perfectiones, & dona naturaliter humanæ naturæ debita, simulque est immunis a peccato originali, & pœnis, vel pœnalitatibus illis, quæ ex peccato originali oriuntur, quatenus ex eo oriuntur: attamen nec est elevatus ad finem supernaturalem, nec gratia sanctificante, nec aliis mediis ad finem supernaturalem consequendam provisus, nec instructus Justitia originali, neque liber a doloribus, morte &c. habensque aliquam saltem rebellionem concupiscentiæ, atque ad finem & felicitatem naturalem tantum ordinatus, mediisque ad hunc finem consequendum solum instructus. 154

2dus. Est status Naturæ elevatæ, in quo homo destinatur ad supernaturalem beatitudinem, id est, visionem intuitivam, & fruitivam Dei per media supernaturalia consequendam. Status elevationis iterum duplex est, unus *naturæ integræ*, alter *naturæ lapsæ*. Status *naturæ integræ* & *Innocentiæ* est ille, in quo fuerunt primi Proto-Parentes ante lapsum in peccatum originale; & iste status præter elevationem ad finem supernaturalem &c. importat plurima dona naturæ humanæ indebita, quæ proinde saltem quoad modum sunt supernaturalia. Talia sunt *Justitia originalis*, quæ ab Herincx describitur, quod sit donum supernaturale, præter Justitiam, seu gratiam sanctificantem includens alia beneficia, per quæ homo erat facilis in omni occasione ad bene operandum, & impediebatur rebellio carnis adversus Spiritum, ita, ut promptissime ratio & voluntas humana Deo, & appetitus sensitivus rationi & voluntati hominis per omnia subjiceretur. Ultra justitiam originalem, & illam perfectam & ex omni parte pacificam subjectionem hominis inferioris erga superiorem, & hominis superioris erga Deum, status iste involvebat immorta-

mortalitatem, & impassibilitatem, & alia plura dona, de quibus per decursum. Status *naturæ lapsæ* est, in quem devenimus per peccatum originale, & in quo modo versamur, privati justitia originali, immortalitate, & impassibilitate. H. S. sit

Dissertatio II.

DE STATU NATURÆ PURÆ.

Articulus I.

De status Naturæ puræ possibilitate.

§. I.

Statuitur Conclusio.

155 Certum est, quod status Naturæ puræ nunquam extiterit, sive in Angelis, sive in hominibus; adeoque tantum disputatur, an fuerit possibilis, vel an Angelus aut homo potuerit in statu naturæ puræ a Deo creari? nec decisio hujus difficultatis est omnino inutilis; servit enim ad errores Jansenii & Baji plenius intelligendos, ut patebit ex propositionibus confixis, quas pro probatione adducemus.

Assero igitur: status naturæ puræ non elevatæ ad finem supernaturalem non repugnat; potuitque homo in tali statu creari. Ita Catholici contra Lutherum, Calvinum, Bajum, & Jansenium, allegatos a Viva in suo cursu Theologico part. 3. disp. 5. q. 1. n. 4. Est autem hæc conclusio, si non de fide, saltem fidei affinis, quam docet Doctor Subtilis 2. *d.* 28. *q. unica.* §. *ad quæstionem*, dicens: *potuit esse aliquis in puris naturalibus tam sine gratia, quam sine peccato.*

Prob. 1. Si Deus hominem in statu naturæ puræ non potuisset producere sine elevatione ad finem supernaturalem, & sine donis supernaturalibus v. g. gratiæ sanctificantis, Justitiæ originalis &c. tunc ideo, quia hæc elevatio ad finem supernaturalem, & alia dona supernaturalia essent connaturaliter debita creaturæ rationali; sed sequela est falsa: ergo & id, unde sequitur. M. videtur esse Adversario-

fariorum; & aliunde conftat; fi enim ejusmodi dona non funt debita creaturæ rationali, tunc Deus nulla lege adftringitur ad ea danda, fed ea pro libitu vel dare, vel denegare poteft. m. prob. fi hæc dona effent connaturaliter debita, tunc effent fupernaturalia, & gratia, & non effent gratia: effent gratia, & fupernaturalia, ut nomen eorum fonat; non effent, quia gratia eft fupra naturam, nec poteft effe naturæ creatæ debita, vel connaturalis.

Prob. 2. Vita æterna confiftens in clara fupernaturali vifione, & fruitione Dei eft naturæ rationali indebita; ergo potuiffet creatura rationalis fine elevatione ad talem vitam æternam creari. a. prob. *tum*, quia jam in Tractatu de Deo Uno oftenfum eft, non poffe dari ullam Creaturam, cui connaturaliter effet debita vita æterna. Tum, quia juxta S. Scripturam vita æterna eft mera gratia & favor gratuitus, confequenter naturaliter indebitus. Ita enim ait D. Paulus ad Rom. 6. *gratia autem Dei vita æterna in Chrifto JEfu.*

Confirm. Etiam gratia fanctificans, Juftitia originalis &c. funt mera dona gratuita, homini connaturaliter indebita: ergo. a. prob. 1. Auctoritate SS. PP. Sic S. Auguft. l. 3. contra Maximinum c. 15. affirmat hominem ad fimilitudinem Dei factum, *ideo fieri gratia filium Dei, quia non eft natura.* & lib. 4. contra Julianum c. 16. ait: *gratiam Dei magnam fuiffe, ubi terrenum & animale corpus beftialem libidinem non habebat, fcilicet ob Juftitiam originalem.* & S. Cyrillus Alexandrinus l. 1. in Joan. c. 3. *Creatura, cum ferva fit, nutu folum, & voluntate Patris ad fupernaturalia vocatur.*

Idem Antecedens prob. 2. ex Propofitionibus Bajanis a Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. profcriptis: quarum 21. ita habet: *Humanæ Naturæ fublimatio, & exaltatio in confortium divinæ* (nimirum per gratiam fanctificantem) *debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda eft, & non fupernaturalis.* & 24. *a variis, & otiofis hominibus fecundum infipientiam Philofophorum excogitata eft fententia, quæ ad Pelagianifmum rejicienda eft, hominem ab initio fic conftitutum, ut per dona naturæ fupperaddita fuerit largitate Conditoris fublimatus, & in Dei filium adoptatus.* & 79. *Falfa eft Doctorum fententia primum hominem potuiffe a Deo creari & inftitui fine Juftitia naturali.* Per Juftitiam naturalem intelligit originalem. & 78. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, fed naturalis conditio.* Iterum 55. *Deus non potuiffet ab initio talem hominem condere, qualis nunc nafcitur, fcilicet deftitutum gratia fanctificante, & in-*

ftructum

structum fomite peccati. & 79. *Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari, & institui sine justitia naturali, seu originali.*

Prob. 3. Puræ Creaturæ rationales sunt tantum filii Dei adoptivi, non vero naturales; atqui filius adoptivus non habet Jus ad hæreditatem, & ad ea, quæ ad hæreditatem spectant, non habet, inquam Jus ex natura, & nativitate, sed ex gratuita liberalitate adoptantis: ergo Creaturæ non habent Jus ad hæreditatem cœlestem, neque ad dona supernaturalia, quæ ad talem hæreditatem spectant, & disponunt. M. constat: quia omnis creatura etiam innocens, & a peccato immunis est tantum serva, non vero filius Dei, si spectemus naturam creaturæ.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

156 Objic. 1. In omni statu, qui dari potest, debita est beatitudo homini, vel Creaturæ rationali: ergo ille status est impossibilis, in quo homo non esset destinatus ad beatitudinem. R. D. a. in omni statu, qui dari potest, debita est homini beatitudo naturalis c. a. supernaturalis n. a. Statui naturæ puræ debita esset beatitudo naturalis consistens in cognitione Dei abstractiva, quæ tamen foret clara in genere suo, & in amore tali cognitioni respondente cum exclusione peccati, anxietatis, ac aliarum miseriarum, v. g. morborum &c. ac cum certitudine de perpetuitate talis beatitudinis, & felicitatis. Beatitudo vero supernaturalis pro statu naturæ puræ nec foret cognita ut possibilis, vel si ejus possibilitas esset cognita, tunc cognosceretur simul ut indebita.

Objic. 2. Homo appetit beatitudinem appetitu naturali & innato: ergo est ea naturaliter debita. R. D. a. Homo appetit beatitudinem naturalem appetitu innato c. a. supernaturalem, n. a. beatitudinem supernaturalem homo tantum appetit appetitu elicito.

Objic. 3. S. August. & alii PP. dona integritatis & gratiæ sanctificantis, quæ accepit primus homo, vocant naturalia: ergo ea sunt naturæ humanæ connaturaliter debita. R. SS. PP. & præcipue S. Aug. vocant hæc dona naturalia, quatenus ea natura humana in sua origine, & prima creatione accepit, quamvis ea sint supra naturam, & indebita naturæ humanæ, ita Apostolus quoque ad Ephes. 2. ait: quod

quod *sumus natura filii iræ;* quia scilicet in peccato statim nascimur: & D. August. serm. 14. de verbis Apostoli peccatum originale vocat: *peccatum naturæ*, seu *naturale*; quamvis non sit naturæ humanæ debitum, nec ab ea connaturaliter exigatur, ut Ipsi AArii concedunt.

Objic. 4. In statu naturæ puræ non solum fuisset possibilis, sed & necessarius necessitate præcepti amor Dei super omnia; atqui iste non potuisset elici sine gratia Dei supernaturali: ergo. M. constat, quia etiam lex naturæ in illo statu obligasset ad amandum Deum super omnia. R. d. M. fuisset possibilis naturalis amor Dei super omnia c. M. supernaturalis n. M. Amor Dei super omnia mere naturalis possibilis est, & gratia Dei supernaturalis non est necessaria ad simpliciter diligendum Deum super omnia, sed tantum ad Eum diligendum prout oportet, & conducit ad gratiam justificantem, & beatitudinem supernaturalem obtinendam, ut docent Concilia Arausicanum II. Can. 25. & Trident. Sess. 6. can. 3. & colligitur ex propositione Bajana proscripta, quæ sic habet: *distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut Author naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est.*

Objic. 5. Homo in statu naturæ puræ debet posse totam legem naturalem observare, & quidem potentia etiam morali; atqui nequit legem totam observare sine gratia, juxta Trident. ut inferius dicetur: ergo. R. d. m. sine gratia vel supernaturali, vel naturali c. m. sine gratia præcise supernaturali n. m. Homo in statu naturæ habuisset gratias naturales, id est, motus internos naturales ad præcepta naturæ observanda; non fuissent tamen stricte dictæ gratiæ, sed mera dona Dei naturalia, sicut & alia, quæ Deus ut Auctor naturæ facit: nam illæ gratiæ, vel motus non fuissent ordinati ad finem, ac beatitudinem supernaturalem. Atque in hoc sensu etiam Philosophi crediderunt Amorem Dei, & alia dona naturalia non posse haberi sine beneficio Dei ordinis naturalis. Ex his

Etiam habes, in statu naturæ puræ potuisse dari meritum naturale v. gr. observantia legis naturalis, quæ merebatur beatitudinem naturalem, a qua potuisset homo propter peccatum excludi.

Objic. 6. In statu naturæ puræ aliquis etiam sine peccato fuisset exclusus e regno Cœlorum; atqui juxta D. August. nemo potest sine peccato excludi e regno cœlorum: ergo. M. constat; quia in statu naturæ puræ nemo venisset in cœlum, seu ad beatitudinem cœlestem,

lestem, neque ille, qui innocenter vixisset. R. d. m. in statu naturæ elevatæ c. m. naturæ puræ, ubi beatitudo cœlestis non fuisset debita, n. m.

Objic. 7. Deus non potuit creare hominem cum fomite peccati, & concupiscentia: ergo. Saltem status ille naturæ puræ implicat, in quo homo non elevatus ad finem supernaturalem, haberet fomitem peccati. a. prob. Alias Deus fuisset Author peccati, nam produxisset concupiscentiam, quæ teste Apostolo, est peccatum. R. n. a. Concupiscentia est peccatum per metonymiam, quatenus inclinat ad peccatum, & in statu naturæ lapsæ est effectus saltem negativus peccati originalis, ut §. sequenti declarabitur: non vero est peccatum formaliter. Ita certum est ex C. Trident. Sess. 5. de peccato originali, can. 5. ubi sic loquitur: *hanc concupiscentiam, quam Apostolus aliquando peccatum appellat, S. Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.*

Objic. 8. Concupiscentia, seu rebellio partis inferioris est naturæ mala, avertitque hominem ab ultimo fine: ergo non est naturæ debita, sed provenit præcise a peccato: ergo natura pura a peccato immunis non potuit a Deo creari cum tali fomite. R. d. a. est mala physice, sicut mors, dolor, ignorantia, peccabilitas, c. a. est mala moraliter n. a. hæc rebellio non est culpabilis, nec mala moraliter: quia non potest dari culpa, vel peccatum, ubi non datur libertas; atqui hæc concupiscentia nobis non est libera; unde & avertit ab ultimo fine tantum physice, scilicet inclinando ad delectabilia ultimo fini contraria. Sed neque hæc inclinatio, cum ex se non sit libera, est moraliter mala, quamvis ex malitia voluntatis non resistentis, eandem sæpe ad malum pertrahat.

Objic. 9. Si hæc concupiscentia est connaturalis homini, & naturæ debita, tunc licitum est ejus appetitibus consentire; sequela est falsa: ergo. M. prob. licitum est consentire in id, ad quod natura, atque adeo Deus, seu natura naturans inclinat. R. n. M. ratio negationis constat ex propositione 8. damnata ab Innoc. XI. *comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.* Falsum ergo est, quod homo universim possit sequi appetitus, & inclinationes naturales. Neque natura naturans per concupiscenti-

am

am nobis inditam inclinat in prohibitum, ut consentiamus, sed, ut det ansam pugnandi, vincendi, & merendi. Neque per hoc Deus est Auctor peccati, quia creavit creaturam peccabilem: ergo neque est Auctor peccati, quia dedit nobis naturam ex se concupiscentem vetita. Neque est defectus in Deo, quod producat creaturam, cui connaturalis est concupiscentia, sed potius est defectus ipsius Creaturæ, quæ ex essentia petit cum tali defectu produci; sic omnes defectus Creaturis connaturales realiter quidem sunt a Deo, sed formaliter ab Ipsis Creaturis, quæ ob suam intrinsecam limitationem cum talibus imperfectionibus produci petunt. Deinde a Natura naturante non potest esse inclinatio ad peccatum efficax, libera, ac per se talis, & ex intentione peccandi *concedo*; non potest ab ea esse inclinatio ad peccatum per accidens, & non libera, & ex intentione victoriæ, *nego*.

Objic. 10. D. Jacobus in sua Epistola ait: *Deus intentator malorum est; Ipse autem neminem tentat, unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua:* ergo concupiscentia non est naturalis, si enim esset naturalis, esset a Deo. R. d. a. Deus neminem tentat, tentatione seductionis, vel ex intentione seducendi c. a. ex intentione probandi, & dandi materiam victoriæ n. a. Deus tentat solum tentatione probationis ad virtutis experimentum, & occasionem. sic Gen. 22. dicitur: *tentavit Deus Abraham.*

Objic. 11. Natura naturans, seu Deus nihil inordinatum producere potest in natura naturata, seu in Creaturis; atqui magna foret inordinatio, si appetitus sensitivus, & inferior esset rebellis contra rationem & portionem hominis superiorem: ergo. R. c. M. & d. m. magna foret inordinatio, si, & in quantum ista rebellio appetitus sensitivi adversus rationem est contra assecutionem ultimi finis, c. m. secus. n. m. ast ista rebellio ex se non est contra assecutionem ultimi finis, sed potius eum promovet, quando homo ea utitur ad victoriam meritoriam: ita etiam non est inordinatio in universo pugna illa elementorum, & corporum, quæ potius stabili vicissitudine ordinem, & bonum totius universi commendat.

Objic. 12. D. Thomas ait, concupiscentiam esse contra naturam: ergo. R. d. a. est contra naturam, si spectetur præcise secundum se, n. a. denominative, in quantum scilicet pro hoc statu, in quo sumus, provenit a peccato originali, & ad peccatum actuale inclinat, c. a.

Objic. 13. D. Auguſtinus l. 4. contra Julianum c. 4. Concupiſcentiam non ſubjectam rationi vocat *pudendam* : ergo ea eſt mala. R. D. Auguſt. vocat eam *pudendam* in ſtatu naturæ lapſæ, in qua ob pœnam peccati originalis non ſubjicitur rectæ rationi. Eſt etiam pudenda, quia eſt phyſice mala, ſæpe enim erubeſcimus ob defectus aliquos phyſicos, ac mere naturales, eosque coram aliis abſcondimus.

Obji. 14. Deus nequit in voluntate producere habitum vitioſum inclinantem ad malum : ergo neque poteſt producere concupiſcentiam illam rebellem, & inclinantem ad malum. R. n. a. Deus poteſt creare voluntatem, quæ eſt principalis cauſa peccati : ergo & habitum vitioſum, ac concupiſcentiam creare poteſt tanquam cauſam ſecundariam peccati. 2. Ejusmodi habitus, ac concupiſcentia dant occaſionem peccandi per accidens neque neceſſitant ad peccatum, ſed ſubjacent imperio voluntatis : neque a Deo producuntur ex intentione peccati inde ſecuturi, ſed ideo ut præbeant occaſionem victoriæ, & meriti. 3. Juxta Suarez, qui negat poſſe a Deo produci talem habitum vitioſum, poteſt Deus in nobis cauſare ſe ſolo intenſiſſimam, & vivaciſſimam cognitionem objecti delectabilis vetiti, quæ utique magis inclinat ad peccatum, quam habitus vitioſus : ergo.

Dices 1. Habitus vitioſus, & concupiſcentia ex natura ſua tantum habent actum malum : ergo non videntur poſſe a Deo produci. R. d. a. non tamen neceſſario, & ita, ut poſſint etiam eſſe occaſio boni, & meriti majoris, c. a. ſecus, n. a.

Dices 2. Deus nequit ſuadere actum malum : ergo neque poteſt producere habitum vitioſum, vel concupiſcentiam inclinantem ad actum malum. R. 1. retorq. arg. ergo neque poteſt producere voluntatem, quæ peccat. R. 2. n. c. Ille, qui ſuadet peccatum, vult peccatum, vel mentitur : nam ſuadendo oſtendit ſe velle peccatum, illudque intendere : ergo vel tunc Deus vult & intendit peccatum ? & ſic Ipſe peccat, vel ſaltem imperfecte agit ; vel non intendit ? & tunc mentitur. Utrumque repugnat Deo.

Dices 3. Deus non poteſt in nobis producere actum erroris : ergo neque concupiſcentiam rebellem rectæ rationi. R. d. a. Actum erroris ſpeculativum, n. a. actum erroris practici, c. a. & n. paritatem. Actus erroris practici, v. g. iſte, *quod fornicatio ſit licita, Secta Calviniſtica ſit vera fides &c.* induceret

per

per se ad actum malum, non sic concupiscentia, quæ per rationem non errantem, & voluntatem tali rationi conformem meritorie vinci & cohiberi potest. Admitto autem gratis, quod Deus possit in nobis producere errorem mere speculativum, v. g. Judicium, quo affirmo Cœlum lapideum esse: quia ejusmodi error esset merum malum physicum, sicut morbus, mors & alia mala physica, quæ Deus in nobis efficere potest. De quo in Tract. de fide.

Articulus II.

An homo in statu Naturæ lapsæ sit debilior, quoad vires naturales liberi Arbitrii, quam fuisset in statu naturæ puræ?

§. I.

Ponitur Conclusio.

Certum est 1. Liberum arbitrium in statu naturæ lapsæ esse minus validum in ordine ad faciendum bonum, & vitandum malum, quam fuerit in statu Innocentiæ, & Justitiæ originalis, ubi abfuit rebellis concupiscentia, sicut & errores, ac ignorantiæ, quibus modo tam frequenter decipimur, & ad malum inclinamur. Unde in statu naturæ lapsæ juxta Trident. Sess. 6. c. 1. & Arausicanum II. liberum arbitrium viribus attenuatum, & inclinatum fuit. Quæstio igitur solum est, non ignobilis inter Th. Th. an, si Deus condidisset hominem in statu naturæ puræ, liberum ejus arbitrium majores habuisset vires ad bonum operandum, & malum fugiendum, quam nunc, naturaliter, & præscindendo a gratia habet in statu naturæ Lapsæ? Jam iterum 157

Certum videtur esse 2. Naturam lapsam esse saltem miseriorem, & infeliciorem, quam fuisset natura pura. Ratio hujus est 1. quia natura lapsa existens in peccato originali, est maculata, & inimica Dei; ast natura pura non esset maculata peccato originali &c. 2. Si naturam lapsam secundum vires mere naturales inspicimus, præscindendo a supernaturali gratiæ auxilio superaddito, tunc ea longe deterior est in ordine ad finem suum ultimum, quam fuisset natura

 pura,

pura, prout in objectione 4. oſtendetur. Igitur præcipue, vel omnino unice controverti poteſt, an ſaltem in ordine ad legem obſervandam, & peccata vitanda majorem virtutem, ac fortitudinem naturalem habuiſſet liberum arbitrium in ſtatu naturæ puræ, quam modo in ſtatu naturæ lapſæ? quod bene notari debet: igitur

158 Aſſero: Vires liberi arbitrii in ordine ad legem obſervandam non fuiſſent majores in ſtatu naturæ puræ, quam nunc in ſtatu naturæ lapſæ ſint ſine gratia. Ita plurimi cum R. P. Antonio Mayr T. 6. n. 155. contra Gormaz Tract. de Beatitud. & Actibus hum. n. 89. & ſeqq. Mezger, & alios.

Prob. 1. Per peccatum originale non fuit homo immutatus quoad naturalia, ſed ea manſerunt integra, & incorrupta: ergo homo in ſtatu peccati originalis habet easdem perfectiones, facultatesque &c. quas habuiſſet in ſtatu naturæ puræ, ubi tantum naturales dotes habuiſſet. a. p. in Angelis peccantibus manſerunt naturalia integra: ergo etiam in homine lapſo; ut argumentatur D. Thomas *p. 1. q. 95. a. 1. in corp.*

Prob. 2. Juxta commune axioma Th. Th. ex SS. PP. Auctoritate deſumptum, *differt natura lapſa a pura, ſicut homo veſtibus ſpoliatus a nudo:* quia ſcilicet natura pura nunquam habuiſſet illa dona, & iis nuda manſiſſet, quibus præhabitis natura lapſa per peccatum originale eſt ſpoliata: ergo natura lapſa, & pura carent iisdem donis, hoc ſolo diſcrimine, quod natura lapſa præhabitis ſpolietur, & natura pura nunquam illa habuiſſet; per conſequens natura lapſa non caret aliqua perfectione, vel facultate, quam alias natura pura haberet.

Prob. 3. Natura lapſa per peccatum originale non perdidit potentiam moralem obſervandi legem naturalem, quam potentiam habuiſſet in ſtatu naturæ puræ: ergo natura lapſa non eſt debilior in ordine ad obſervandam legem naturalem, quam fuiſſet in ſtatu naturæ puræ. conſeq. videtur liquere: ideo enim AArii dicunt, naturam lapſam eſſe debiliorem, quam puram, quia in natura pura, non vero lapſa, fuiſſet potentia moralis obſervandi legem naturalem. A. prob. ſi per peccatum originale eſſet perdita potentia moralis ad obſervandam legem naturalem, tunc homo in ſtatu naturæ lapſæ eſſet moraliter neceſſitatus ad graviter peccandum, & ad pœnam æternam ſenſus incurrendam, hocque proveniret ex pœna ob merum peccatum originale; atqui pœna ſenſus æterna foret improportionata ſoli

pecca-

peccato originali, ut docebitur inferius: ergo per peccatum originale non perditur potentia vel libertas moralis ad observandam legem naturalem. Atque ex hac ratione homo non perdidit jus ad gratias naturalis ordinis, quæ requiruntur ad potentiam & libertatem moralem observandi legem naturalem, hoc saltem, quantum est de se, nisi Deus statuisset in hac providentia succurrere per auxilia supernaturalia.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Objic. 1. Natura lapsa vulnerata est in naturalibus: ergo est debilior quoad vires naturales. R. n. c. Natura lapsa est vulnerata in naturalibus, quatenus per peccatum originale perdidit Justitiam originalem, ac dona supernaturalia, quibus ordo & bonum ipsarum potentiarum naturalium promovebatur. Deinde vulnus est separatio & divisio, vel disruptio continui, & unionis; atqui per peccatum originale ejusmodi disruptio & divisio facta est, quia homo separatus & divisus est a Justitia originali, & quia per amissam Justitiam originalem etiam unio, & conspiratio inter rationem & concupiscentiam soluta est. Quamvis autem & in statu naturæ puræ non esset unio & pax inter concupiscentiam & rationem, tamen ibi non daretur verum vulnus, utpote quod præsupponit conjunctionem partium, quas dividit: ast in statu naturæ puræ non præsupponebatur unio talis prævie facta per Justitiam originalem, sicut in statu naturæ lapsæ, quem præcessit status Innocentiæ, ac Justitiæ originalis. 159

Objic. 2. Homo per peccatum originale secundum Animam & Corpus fuit in deterius mutatus, ut loquitur Tridentinum: ergo etiam bona naturalia homini per peccatum originale sunt ablata. R. n. c. Ideo est in deterius mutatus, quia post peccatum originale caret donis supernaturalibus, ac indebitis, quæ habuit in statu innocentiæ: hæc enim dona corpus & animam nobilitabant, ac felicem reddebant. Sic etiam Samson, postquam robur pristinum abscissis crinibus perdidit, dicitur vere debilitatus, infirmatus, ac in deterius mutatus, quamvis nihil forte de viribus naturalibus, ac cuilibet homini communibus Ipsi fuerit ademptum, sed tantum robur & virtus supernaturaliter a Deo concessa Ipsum reliquerit.

Objic.

Objic. 3. *Natura humana Medico indiget, quia sana non est*: Ait. D. Aug. ergo natura humana est infirma. R. d. a. Quia sana non est sanitate integritatis, seu Illius, quam habebat in statu innocentiæ c. a. sanitate naturali n. a. Carentia hæc donorum supernaturalium est ab originali quasi per accidens, & quatenus se habet per modum pœnæ, dum homo propter lapsum est privatus favoribus ejusmodi indebitis, postquam illos a Deo gratuito, & liberalissime acceptos jam possederat. Verum, si Deus nunquam Justitiam originalem, & cætera dona status innocentiæ contulisset homini, potuisset eorum carentia esse naturalis, ac per modum defectus naturalis, quo in casu natura humana quoque fuisset *infirma* & *tenuis* naturaliter.

Dices: Si dona status innocentiæ fuerunt indebita naturæ humanæ, tunc eorum subtractio non fuit pœna; sed: ergo. R. d. M. tunc eorum subtractio non fuit pœna ex suppositione, quod talia dona nunquam fuerint concessa c. M. ex suppositione, quod fuerint antecedenter concessa, & ob peccatum iterum adempta, n. M. Si Agricola prius elevatus ad regiam dignitatem, postea iterum detruderetur ad stivam ob crimen commissum, esset vera pœna, licet talis non foret, si nunquam elevatus, semper relictus fuisset in suo humili statu; sic naturæ lapsæ pœna est, privatio donorum supernaturalium, utpote ad quæ fuit prius elevata. Non vero carentia horum donorum est pœnalis naturæ puræ, utpote, quæ nunquam supponitur esse elevata ad hæc dona gratuita, & indebita.

Objic. 4. Natura lapsa per peccatum originale fuit aversa a Deo, natura pura non fuisset aversa a Deo, per peccatum originale: ergo natura lapsa est debilior, quam fuisset natura pura. c. prob. nam natura pura habuisset adhuc media ad obtinendum finem suum naturalem, qualia non habet natura lapsa, quæ ob peccatum originale perdidit jus ad beatitudinem, & finem naturalem, utpote qui cum tanto malo, seu peccato consistere non potest, & quem natura lapsa per vires suas naturales recuperare nequit; quia non potest pro peccato satisfacere, aut illud alia via delere, nisi accedente gratia.

R. d. c. Ergo natura lapsa est debilior, quam fuisset natura pura in ordine ad consequendam beatitudinem naturalem, tr. c. in ordine ad legem naturalem observandam, ad quam Deus naturam lapsam obligat, quamdiu est in statu viæ, & in ordine ad evadendam pœnam æternam sensus n. c. Cum naturæ lapsæ ob peccatum origi-

originale non amplius debeatur finis ultimus naturalis, seu beatitudo naturalis, ideo ei etiam non debetur amplius potentia moralis ad consequendum hunc finem; debetur tamen ei hæc ipsa potentia, & libertas moralis ex alia causa, nimirum ad observandam legem totam naturalem, & sic evadendam pœnam æternam sensus, quam propter solum originale necdum promeruit. Porro si aliquis in statu naturæ puræ peccasset graviter, non potuisset se a tali peccato liberare per solas vires naturales, sine favore gratuito, quo vel Deus misericorditer extrinsece condonasset tale peccatum, vel aliquam satisfactionem acceptasset, quam tamen non tenebatur acceptare.

Objic. 5. Natura pura non fuisset redacta in potestatem & servitutem Diaboli, sicut redacta est natura lapsa: ergo. R. ex hoc non sequi, quod homo lapsus minores vires habeat ad observandam legem, vel quod ultra suas vires sit tentandus; nam hoc gratis fingitur. Unde homo lapsus eatenus est captivus Diaboli, quatenus se suis viribus, sine gratia Dei, non potest liberare a peccato.

Objic. 6. Natura lapsa est indigna Dei auxiliis: ergo. R. d. a. Dei auxiliis gratuitis, ac mere gratiosis c. a. auxiliis naturaliter debitis n. a.

Obiic. 7. Natura pura habuisset ex viribus naturalibus potentiam moralem servandi diu, & semper totam legem naturæ: atqui hanc non habet natura lapsa: siquidem natura lapsa non potest diu sine gratia supernaturali observare totam legem, nec gravem tentationem vincere: ergo natura lapsa est debilior, quam fuisset natura pura. M. prob. si natura pura non habuisset illam potentiam moralem, fuisset naturaliter necessitata ad perdendum suum ultimum finem, & incurrendas pœnas æternas inferni; sed hoc non potest admitti: ergo. m. prob. non videtur conveniens divinæ bonitati, producere Creaturam moraliter necessitatam ad incurrendos Cruciatus æternos, nec convenit sapientiæ divinæ producere Creaturam tam male constitutam, ut sit moraliter inepta ad consequendum suum ultimum finem, & ad mortaliter peccandum. Aliud est, quod ejusmodi necessitas oriatur ex ipso peccato naturæ lapsæ. Ita egregie argumentantur Adversarii; & sane hæc objectio in causa fuit, ut insignes DD. contrariam sententiam amplecterentur.

R. d. M. Natura pura habuisset hanc potentiam absolute, n. M. conditionate, & quidem sub conditione involvente gratiam Dei naturalem c. M. & d. m. Natura lapsa non habet hanc potentiam absolute, c. m. conditionate sub conditione involvente gratiam Dei, & quidem defacto supernaturalem, ob elevationem naturæ lapsæ ad finem supernaturalem, n. m. & c. Igitur potentia moralis servandi totam legem naturalem simpliciter est indebita tam naturæ puræ, quam lapsæ, & utrique est debita sub conditione, quæ conditio si impletur, id fit per gratiam Dei, si vero non impletur, fit per culpam, & negligentiam hominis. Sic natura pura potest saltem aliquamdiu suis viribus abstinere a peccato, & illa facere, quæ ad Deum colendum, & invocandum spectant, & sic observare legem naturæ. Quodsi hoc aliquo tempore præstet, & sic faciat quantum est in se, tunc ipsi debentur ulteriora auxilia naturalis ordinis, ad observandam diu, & ulterius legem naturalem. Non faciet autem etiam modico tempore, quantum est in se prædicto modo, nisi saltem habeat gratiam naturalem congruam, & efficacia auxilia, scilicet cogitationes, & affectiones voluntatis congruas, seu tales, quas Deus prævidit esse connectendas cum cooperatione hominis. Potuisset enim Deus ut Author naturæ ita disponere causas secundas, ut non haberet cogitationes congruas, sed solum sufficientes, ac tales, quibus homo prævisus erat non consentire. Similiter naturæ lapsæ simpliciter indebita est ista potentia moralis, debetur tamen sub conditione, si homo aliquo tempore faciat, quantum potest, colendo, invocando Deum, evitando offensiones Dei: quod tamen in statu naturæ lapsæ ob elevationem ad finem supernaturalem non faciet sine gratia supernaturali, quam accipit; si ergo huic cooperatur, meretur ulteriora auxilia, saltem sufficientia ad observandam diutius legem naturalem, si vero prioribus auxiliis non cooperatur, propter negligentiam hanc juste privari poterit ulterioribus auxiliis.

Dissertatio III.

DE STATU INNOCENTIÆ.

Articulus I.

De Privilegiis status Innocentiæ.

§. I.

Recensentur breviter varia privilegia status Innocentiæ.

Ter Felix ille status Innocentiæ, seu naturæ integræ, quo primus 160 homo fuit conditus, ultra perfectiones naturales, & elevationem ad statum supernaturalem plura habuit Privilegia, quorum aliqua ad corpus, alia ad animam spectabant.

Ex parte Corporis habuit 1. Immortalitatem, nam quamvis homo etiam in statu Innocentiæ ex natura sua mori potuisset, tamen durante illo statu non fuisset moriturus, ut est de fide ex S. Scriptura, ad Rom. 5. *per unum hominem peccatum in hunc mundum introivit, & per peccatum mors.* Si ergo Adam non peccasset, & peccando statum innocentiæ sustulisset, mors non introisset in mundum. Unde & Deus Adamo dixit: *quocunque Die comederis, morte morieris*, id est, obnoxius eris morti, aliquando sustinendæ. Idem definitum est in Concil. Milevitano, can. 1. & Trid. Sess. 5. can. 1.

Fuisset autem homo non moriturus in statu Innocentiæ *tum*, ob singularem Dei protectionem extrinsecam, qua omnes causæ & pericula mortis amovebantur; *tum*, per specialem temperamenti & aeris temperiem; *tum*, per saluberrimum nutrimentum, quo calor nativus fuisset impeditus, ne successive depasceret naturam; cum mox iterum repararetur, quod absumi cæperat; *tum*, tandem præcipue ad prolongandam vitam conferebat comestio de ligno vitæ, cujus fructus erat saluberrimus: de quo comedere erat concessum, nam arbor vitæ est alia, quam arbor scientiæ boni & mali, de quo edere erat prohibitum.

2*do*. Homo secundum corpus fuisset impassibilis, caruisset morbis, doloribus, fame, siti, frigore, & calore molesto. Passiones

enim ejusmodi ſunt pœnalitates peccati originalis, ut colligitur ex illis minis ſtatim poſt peccatum originale Gen. 3. *in dolore paries filios.* Fuiſſent autem mala iſta, & pœnalitates iis fere modis impediti, quibus impediebatur mors.

Indiguiſſet quidem homo tunc aliquo nutrimento teſte D. Aug. lib. 13. de civit. c. 26. ſed appetitus cibi & potus fuiſſet ſummopere tranquillus, & ſine moleſtia incitaſſet ſolum ad ſumenda neceſſaria. Indiguiſſet etiam ſomno, ut tenent D. Aug. D. Thomas, & alii, a quo tamen abfuiſſent omnes moleſtiæ ſomni, qui proinde fuiſſet placidiſſimus.

Ex parte Animæ poſſedit hæc privilegia. *Intellectus* habuit carentiam omnis erroris & deceptionis ſaltem poſitivæ. S. Aug. l. 3. de libero arbitrio c. 18. ſic & ignorantia, qua nos laboramus, dicitur effectus peccati. 2. Adam habuit ſcientiam per accidens infuſam rerum naturalium valde præſtantem, imo & Eva, quæ tamen minorem, quam Adam, habuit. 3. Habuit quoque egregiam notitiam rerum ſupernaturalium.

Ex parte Voluntatis Adam ante lapſum fuit præditus gratia ſanctificante, ut expreſſe docet Trid. Seſſ. 5. Can. 1. poſſedit quoque alias virtutes per ſe infuſas, quibus jungebantur virtutes morales omnes per accidens infuſæ. Ac tandem his omnibus addebatur Juſtitia originalis; de qua mox plura.

§. II.

Quid fuerit Juſtitia Originalis in primis noſtris Parentibus?

161 Juſtitia Originalis late dicta poteſt dici conſiſtere in omnibus privilegiis ſtatus Innocentiæ: verum de ea hic paulo preſſius loquimur, prout nimirum importat perfectionem, per quam homo erat facilis in omni caſu ad bene operandum, & impediebatur rebellio carnis & appetitus ſenſitivi adverſus Spiritum, ita, ut voluntas facillime Deo, ac appetitus ſenſitivus voluntati obediret. H. N.

Aſſero 1. Juſtitia Originalis fuit realiter diſtincta, & diverſa a gratia ſanctificante. D. 2. d. 29. n. 7.

Prob. 1. Quia plurimi Juſti in hac vita habent gratiam ſanctificantem, & tamen non eam facilitatem, & delectabilitatem &c.

in bene operando experiuntur, quam contulit Juſtitia Originalis. Item gratia ſanctificans ſtat in nobis cum rebellione appetitus ſenſitivi adverſus Spiritum &c. ergo. 2. Gratia ſanctificans in baptiſmo infunditur, non tamen tunc infunditur Juſtitia Originalis, ut de fide eſt: ergo.

Aſſero 2. Juſtitia Originalis adæquate ſumpta non eſt unus, & ſimplex habitus, ſed multiplex donum Dei. Doctor loco laudato n. 4. 162

Prob. Per Juſtitiam originalem debuerunt pacificari omnes potentiæ humanæ, quod per unum habitum in una potentia ſubjectatum fieri non potuit, ſed requirebantur plura dona: quare ad hanc pacificationem concurrebant 1. optimum temperamentum a Deo primis Parentibus liberaliſſime collatum; potuiſſet enim eos in temperamento deteriore creare. 2. Defectus habituum vitioſorum. 3. Ornamentum virtutum tam per ſe, quam per accidens infuſarum. 4. Specialis Dei providentia, qua ſubtraxit concurſum, vel ſaltem occaſiones, quibus irritaretur concupiſcentia adverſus Spiritum, aut difficultas aliqua crearetur in bene operando: ergo. *Ratio rationis*: per adducta dona Dei facile explicantur omnes prærogativæ Juſtitiæ originalis: ergo fruſtra dicitur illa in aliquo alio conſiſtere.

Objic. Gratia ſanctificans etiam hominem ſubjicit Deo: ergo non eſt diverſa a Juſtitia originali. R. d. a. ſubjicit cum eadem facilitate, qua Juſtitia originalis hoc præſtat, n. a. non cum eadem facilitate, ſed maxima ſæpe difficultate, quam non obſtante gratia ſanctificante excitat appetitus ſenſitivus &c. c. a.

§. III.

De gratia, & peccabilitate in ſtatu Innocentiæ.

Aſſero 1. Adam in inſtanti reali creationis ſuæ habuit gratiam ſancti- 163 ficantem. Herincx p. 1. diſp. 6. de creatione Mundi n. 77. allegans communem DD. Pob. 1. S. Scriptura id clare indicat, dum ait Eccli. 7. *Deus fecit* (ſeu creavit) *hominem rectum*, id eſt, in gratia conſtitutum; rectitudo enim in Scriptura gratiam, & ſanctitatem ſignificat. 2. *Trid. Seſſ.* 5. *in decreto de peccato originali* dicit, Adamum poſt peccatum ſtatim Sanctitatem & Juſtitiam amiſiſſe, *in qua conſtitutus* (id eſt, creatus) *erat*. 3. Id aperte docet Anacletus Papa in Epiſt. 1. dicens:

hominem ideo dici conditum ad imaginem Dei, quia in sui creatione gratiam, & cæteras habuit virtutes. 4. Id etiam innuit Concil. Arausicanum II. Can. 19. docens, *Naturam humanam esse conditam in integritate.* 5. Filii ex Adamo nati, si Ille in statu Innocentiæ perseverasset, gratiam quasi congenitam habuissent: ergo & Ipse Adam eam accepit in instanti creationis suæ.

164 Assero 2. Homo in statu Innocentiæ potuit etiam peccare venialiter. Scot. 2. d. 21. q. un. n. 3. Gabriel Arriaga, Nominales contra D. Thomam, Bonav. Suarez, Ant. Mayr, & alios.

Prob. 1. Homo in statu Innocentiæ potuit peccare mortaliter, sicut actu peccaverunt Adam & Eva: ergo etiam venialiter. Si enim habuerunt libertatem sufficientem ad peccatum mortale, cur non quoque ad peccatum veniale?

Prob. 2. Ex una parte homines in statu Innocentiæ potuissent leve quoddam mendacium, verbum otiosum, levem deordinationem in amore alicujus rei terrenæ committere: ex altera parte non apparet, cur in isto statu omne leve objectum fuisset graviter prohibitum? ergo potuissent tunc homines peccare venialiter. a. quoad primam partem videtur liquere; si enim in materia gravi potuerunt delinquere primi Parentes, cur non & in aliqua materia levi? quoad alterum prob. *tum* quia non habetur ulla ratio suspicandi prohibitionem gravem in materia levi factam esse pro statu innocentiæ: *tum*, quia neque quæcunque dignitas, aut Sanctitas, quam habuissent illi Innocentes homines, elevat materiam levem ad peccatum mortale; alioquin omnia peccata a Religiosis, Justis, Superioribus, vel Sanctis, commissa essent mortalia ob dignitatem talium Personarum: ergo.

Nec dicas 1. Homines in statu Innocentiæ, quamdiu mortaliter non peccassent, fuisse specialiter protegendos a Deo, ne peccarent venialiter.

Contra est, 1. Gratis asseritur statui Innocentiæ fuisse debitam ejusmodi protectionem: etenim hominibus in illo statu non fuit debita protectio a peccato mortali: ergo neque a veniali.

Contra est 2. Talis protectio tantum effecisset, ne potentia peccandi exiret in actum, & actuale peccatum veniale, sed potentiam & libertatem peccandi venialiter non sustulisset: ergo in illo statu potuisset adhuc dari peccatum veniale, quamvis forte non fuisset datum, nisi prius esset commissum mortale.

Prob.

Prob. Aſſertio 3tio. Peccatum veniale non excluſiſſet ſimpliciter ſtatum Innocentiæ, & Juſtitiæ originalis: ergo in illo ſtatu dari potuiſſet. a. prob. 1. quia neque defacto peccatum veniale excludit ſtatum gratiæ ſanctificantis. 2. Peccatum veniale ſtatui Innocentiæ opponitur ſolum ſecundum quid modicum, ac reparabile, quatenus ſcilicet cauſat levem maculam peccati, & debitum levis pœnæ, vel ſatisfactionis, quæ præſtari potuiſſet per actum amoris, vel contritionis, aut alterius affectus. Unde ſepoſita culpa in ſtatu Innocentiæ nihil triſte fuiſſet; quod tantum & non plus vult D. Auguſt. l. 14. de Civit. c. 15. & 26. ex culpa tamen potuit quoque tunc dari levis vel gravis moleſtia, prout nimirum culpa gravis vel levis fuiſſet. Et cur tunc homo non potuiſſet habere actum internum doloris?

Objic. 1. Teſte D. Auguſt. *in ſtatu Innocentiæ erat devitatio tranquilla* 165
peccati: ergo homo non potuiſſet peccare venialiter in illo ſtatu. R. d. a. erat devitatio peccati tranquilla, ſeu, non fiebat peccatum ex ſubreptione, vel perturbatione orta a concupiſcentia, & appetitu ſenſitivo rebelli c. a. ſecus, n. a.

Objic. 2. A ſtatu Innocentiæ juxta D. Aug. abfuiſſet omne malum: ergo & peccatum veniale, ac dolor ob illud cauſandus. R. d. a. omne malum mere phyſicum c. a. omne malum morale, & ex mali moralis occaſione ortus dolor n. a. Ab illo ſtatu abfuiſſet quidem omne malum phyſicum, quod non haberet ortum a noſtra voluntate, vel libertate; non tamen omnia mala moralia, ſicut & tentatio, quæ eſt quodammodo malum morale occaſionale, non abfuit: deinde mala phyſica non ſubſunt ita noſtræ libertati, ſicut mala moralia.

Notes quoque 1. quamvis homo in ſtatu Innocentiæ potuiſſet venialiter peccare, non tamen frequenter fuiſſe peccaturum, ita ut mali habitus fuiſſent generati, imo fuiſſe ſtatim deleturum ejusmodi venialia commiſſa ob ſpecialem divinam protectionem, & alia dona illius ſtatus, quibus ad ſeriam, & maturam deteſtationem fuiſſet commotus. 2. Si quis peccaſſet tunc ſolum venialiter, tunc tale peccatum ob convenientem ſatisfactionem præſtitam fuiſſe remittendum ante translationem ad alteram vitam.

Quæres: An in illo ſtatu homo potuiſſet peccare venialiter ex 166
ſubreptione, & non tantum ex levitate materiæ? R. 1. Cum Herincx, non potuerunt peccare ex ſubreptione, orta ob fomitem concupiſcen-

scentiæ rebellis, & perturbantis animum, utpote quæ rebellio stante statu Innocentiæ non dabatur.

R. 2. Cum Eodem, potuerunt tamen peccare ex subreptione, quæ oritur ex imperfecta consideratione vel attentione. Ita laudatus. Ratio est: quia intellectus potuisset ita intendere aliis objectis, ut non maneret sufficiens ad considerandam malitiam moralem,& mortalem actus ponendi.

Dissertatio III.

DE PECCATO ORIGINALI.

167 De Peccato originali omnino accurate est agendum, nam ex mente S. Augustini Epist. 157. alias 89. Et aliorum Ecclesiæ Doctorum, notitia peccati originalis, & fides Redemptionis humanæ per Christum, sunt duo velut Cardines, circa quos vertitur Christiana Religio. Præterea D. Augustinus l. de moribus Ecclesiæ c. 22. scribit: *hoc peccato antiquo nihil est prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius.* Difficultatem etiam hujus materiæ multum augent, varia heterodoxorum falsa dogmata. Quare, ut recte retundantur, sequentia prævie utiliter ex historia Ecclesiastica observentur. Et quidem S. August. lib. de Hæres. n. 88. refert, Pelagium, Cœlestium, & Illius Discipulos negasse existentiam peccati originalis, & asseruisse 1. Adamum peccando sibi soli nocuisse,non Posteris. 2. Morbos, mortem, & concupiscentiam non esse effectus illius peccati, sed naturales naturæ humanæ defectus. Verum, ut iterum docet D. August. l. 4. contra duas Epist. Pelagii c. 2. & 4. postea Catholicorum argumentis pressi, fatebantur, mortem corporis ex Adamo trahi, at semper negabant, mortem animæ, seu peccatum ex Eo trahi.

Pelagianos in hoc errore Sæculo XIII. plene secuti sunt Albigenses, Teste S. Antonino in Summa Theologica. Et Sæculo XVI. Anabaptistæ, Sociniani, & Zvvinglius. Anabaptistæ quidem sentiunt, & loquuntur cum Pelagio, negantes, peccatum, mortem, & alia mala ex Adamo descendere. Zvvinglius vero aliqua ex parte videtur a Pelagio diversam inire viam; tenet enim 1. ex Adami peccato in ejus Posteros transfundi propensionem ad malum. 2. Hanc propen-

sionem

sionem esse peccatum metonymice, quatenus est effectus & causa peccati. 3. peccatum originale in hac propensione consistere, & sic esse tantum improprie peccatum. Contra hos merito ponitur

Articulus I.

An detur verum peccatum Originale?

Assero cum Catholicis: omnino datur peccatum originale ab Adamo commissum, & per generationem transfusum in Ejus posteros, qui via naturali ab eo descendunt, si solam B. V. MARIAM excipias, de Qua inferius, quo peccato in se constituuntur vere & proprie peccatores, Deo odibiles. 168

Prob. 1. Clarissime. Job. 14. *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne Tu qui solus es?* sed unde manat immunditia, nisi a solo peccato Originali, cum vel ipsi Parentes generantes quandoque Justi reperiantur? Septuaginta ita vertunt: *Nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius Diei vita super terram.*

Prob. 2. Ex Psalm. 50. ℣. 7. ubi David ita ingemiscit: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea.* In quæ verba D. August. l. 1. contra Jul. c. 3. n. 5. *Omnes sub peccato nasci. mur: quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes lectum, dicente David: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me Mater mea.* Et paucis interjectis, sic pergit in eundem Davidis textum: *Nec accusat vox ista nuptiale consortium, sed originale peccatum.* Idem in Psalm. 50. ait de Jesse viro justo, & Conjuge Ipsius: *quid est, quod se dicit in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas ex Adam?*

Prob. 3. ex novo Testamento. Rom. 5. habetur: *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Quid clarius?

Dicunt Pelagiani: & Sociniani: peccatum ibi sumitur improprie & metaphorice: vel peccatum introivit in mundum, solum *imitatione*, non propagatione, id est, quatenus omnes peccatores prævaricationem Adæ imitantur. Vel peccatum in mundum intravit, quia peccante Adamo, peccatum cœpit in mundo esse. Sed

Contra est 1. Apostolus ibi loquitur de peccato, propter quod omnes morti sunt obnoxii; atqui solum peccatum proprie dictum pa-

rit mortem, juxta illud ejusdem Apostoli Rom. 6. *Stipendia peccati mors.* 2. D. Thomas in Epist. ad Rom. Lect. 3. egregie ex D. Augustino convellit Pelagianos his verbis: *dicit Augustinus contra eos: si de introitu peccati actualis, qui est per imitationem, hic Apostolus loqueretur, non diceret, peccatum per hominem in hunc mundum introisse, sed magis per Diabolum, quem peccatores imitantur, secundum illud Sap. 2. invidia Diaboli mors introivit. Est ergo intelligendum, quod per Adam peccatum in hunc mundum introivit, non solum imitatione, sed etiam propagatione, id est per carnis originem vitiatam, secundum illud ad Ephes. 2. ℣. 3. eramus natura filii iræ, hoc est, ab origine, adeoque voluntate aliena, & propria, consequenter per peccatum.* Huc etiam facit illud 1. Joan. 3. *ab initio Diabolus peccat.* Ulterius si peccatum imitatione tantum intrasset in mundum, debuisset Apostolus dicere: *per duos homines, non per unum hominem*; nam homines peccando non solum Adamum, sed etiam Evam, quæ prior peccavit, imitantur. Ex quo etiam habetur, quod peccatum non ab Adamo cœperit in mundo esse, cum jam ante Adamum Diabolus & Eva cœperint peccare.

Prob. 4. Ex omnibus Conciliis, quæ in Oriente, & Occidente, ac Africa contra Pelagianos, errorem istum, quem hic perstringimus, damnarunt. Recte ait D. Augustinus L. 1. contra Julianum c. 1. *ubique diffusus Christi exercitus debellavit apud Carthaginem Cœlestium, quando ipse non eram, & rursus Constantinopoli longe a regionibus Africanis.* Diospoli in Palæstina sequentes Pelagii propositiones Anathemate sunt percussæ: 1ma: *quod peccatum Adæ ipsum solum læserit.* 2da *quod infantes nuper nati, in illo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem.* 3tia *quod neque per mortem, vel prævaricationem Adæ omne genus hominum moriatur.* 4ta *quod infantes, etsi non baptizentur, habeant vitam æternam.*

Arausicanum II. Anno 529. can. 2. sic habet: *Si quis soli Adæ prævaricationem suam, & non ejus propagini asserit nocuisse, aut certe mortem tantum corporis, quæ pœna est peccati, non autem & peccatum, quæ est mors Animæ, per unum hominem in omne genus hominum transiisse testatur, injustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti: per unum hominem &c.*

Jam antea, scilicet Concilium Ephesinum anno 431. in Epistola Synodica ad Cœlestinum Papam sic locutum est: *Perlectis in Sancta Synodo commentariis actorum in condemnatione impiorum Pelagianorum, & quæ a Pietate Tua de ipsis decreta, & constituta sunt, judicavimus, & nos ea solida, firmaque permanere debere, & idem omnes tecum statuimus, eos pro*

condemnatis habentes. Tacco plura alia Concilia particularia, & generalia, ac unicum Tridentinum addo, quod adversus Anabaptistas & Zwinglianos Sess. 5. can. 2. ita loquitur: *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, & non ejus propagini asserit nocuisse, - - aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod est mors animæ, Anathema sit.*

Prob. 5. Ex SS. PP. In confesso est, quotquot in Oriente, & Occidente floruerunt post S. Augustinum, cum hoc S. Doctore agnovisse in hominibus via ordinaria genitis, excepta B. Virgine, peccatum originale, ut non sit necesse horum Auctoritates adducere. Igitur tantum unum vel alterum, aut tres ex illis afferam, qui antecesserunt D. Augustinum, ut in ore duorum, vel trium Testium stet omne verbum, & quidem allegabo tantum eos, quos Ipse S. Augustinus variis locis, maxime lib. 1. contra Julianum c. 3. & aliis congessit, ut Pelagianorum, qui ipsum circa existentiam peccati originalis, novitatis arguebant, calumniam repelleret; atque laudat S. Augustinus Cyprianum, qui Epist. 59. sic loquitur: *quanto magis prohiberi non debet infans* (a baptismate) *qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit.* affert 2*do.* Hilarium Pictaviensem, qui de hac Apostoli sententia, in quo omnes peccaverunt, ita fatur: *in quo, id est, in Adam, omnes peccaverunt, manifestum est in Adam omnes peccasse, quasi in massa; Ipse enim per peccatum corruptus, omnes quos genuit, nati sunt in peccato.* affert 3*tio.* S. Gregorium Nazianzenum, qui in oratione in Natalem Christi paulo post initium sic pronuntiat: *sicut in Adam omnes mortui sumus, ita in Christo omnes vivificamur.* Plura alia similia testimonia antiquissimorum Patrum apud D. Augustinum & alios videri possunt.

Prob. 6. Ex variis rationibus Theologicis, ex S. Scriptura deductis, ex quibus unam seligo: Christus mortuus est pro omnibus hominibus, etiam Parvulis: ergo etiam omnes homines, etiam Parvuli mortui sunt per peccatum: siquidem Christus solum pro iis, qui mortui sunt, mortuus est. Ita enim Apostolus infert: *si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus.* Quam illationem Apostoli urget D. Augustinus contra Julianum L. 2. Operis imperfecti c. 133. *Si autem secundum Apostolum, si-*

cut putas, nullum delictum habent Parvuli: unde ergo secundum Apostolum mortui sunt? quia & secundum Te etiam pro ipsis mortuus est Christus: unus enim pro omnibus: ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est. & cap. 138. ulterius sic stringit: *Quocunque te vertas, ab originali peccato, non alienabis parvulos, nisi eos negaveris mortuos: quod si feceris, mortuum pro eis Christum, negabis, si autem nec hoc neges, mortuos parvulos confiteris; profecto in Adam mortuos non negabis.*

Addunt alii illationem peccati originalis ex Baptismo etiam Parvulis ad Salutem & æternam vitam necessario, ex ceremoniis in Baptismo adhiberi solitis, item ex miseriis & calamitatibus tam Animæ quam Corporis, quas unusquisque a Nativitate sua experitur. Verum hæc & similia argumenta facile apud alios reperiuntur; mihi sufficiunt illa, quæ ex primis fontibus Theologicis sunt hausta, & delibata, & cuilibet hæretico contrarium opinanti possunt os obstruere.

Solvuntur Objectiones.

169 Objic. 1. Ex S. Scriptura. Ezechielis 18. ℣. 20. dicitur: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem Patris &c.* R. ad hunc, & similes Textus, filius non portabit iniquitatem actualem, seu personalem Patris c. Originalem, n. Deus reddit unicuique secundum opera ejus personalia. Et tales Textus loquuntur de peccato originali, sed mere de personalibus. Præterea cum homines ob peccatum originale puniuntur, portant iniquitatem quoque propriam, nam peccatum originale, quamvis sit ab Adamo, est tamen unicuique hominum proprium, & intrinsecum, & totuplex, quot sunt homines, qui per generationem naturalem ab Adamo descendunt, excepta B. Virgine per speciale privilegium. 2. Non obest ille textus Rom. 4. ℣. 15. *Ubi non est lex, nec prævaricatio.* nam distinguo: Infantes nulla lege tenentur, quam voluntate physica propria violare possint, utpote rationis haud capaces c. quam violaverint voluntate aliena proprii Parentis Adami, quæ moraliter ipsorum erat propria, n. de hoc agetur articulo seq. 3. Ille textus Rom. 5. *regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*, jam supra explicatus est. Reliqua verba Apostoli: *usque ad legem peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur*; sic accipe: peccatum non agnoscebatur; per legem enim cognitio peccati, ait S. August. L. 6. contra

Julia-

Julianum c. 4. Dum 3. Idem Apostolus subdit: *si unius delicto multi* (consequenter non omnes) *mortui sunt, multo magis gratia Dei - - - in plures abundavit*: Termini illi, *multi*, *plures*, *omnes*, promiscue hic a S. Paulo usurpantur, ait enim: *in omnes homines mors pertransiit, in quo* (Adamo) *omnes peccaverunt*. S. Augustinus L. 6. contra Julianum c. 24. ad propositum recte inquit: *per unum in omnes transiit peccatum, & postea per unius inobedientiam peccatores constitutos multos, ipsi sunt multi, qui & omnes.*

Objic. 2. Cum Calvinistis: 1. cor. 7. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Ergo saltem infantes fidelium immunes sunt a peccato originali per non imputationem. Ita loquuntur Calvinistæ. R. ad textum illum subdist. Apostolus secernit ibi filios Christianorum ab aliis, quod nativitate sancti sint, Sanctitate quadam legali, vel morali extrinseca c. intrinseca, vel interiore, n. ut primum Parentes sunt fideles, eorum filii per relationem, quam habent ad eos extrinsece, sunt Sancti, hoc est, spectant ad pios Parentes, & indirecte ad Ecclesiam, quæ compellit Parentes, ut ad regenerationis lavacrum suos adducant filios; sed certe non sunt sancti Sanctitate interiore, donec baptizentur. Item alii accipiunt in citato textu vox *immundi* pro voce *illegitimi*; & vocem *Sancti*, pro voce *legitimi*.

Ad hæc Calvinistarum error, quo adstruunt infantes fidelium esse liberos a peccato originali per non imputationem, luculenter a Catholicis confutatur per sequentia fundamenta. 1. Ex S. Scriptura, ubi Psalm. 50. David, natus ex fidelibus Parentibus, se profitetur natum in peccato originali: *Ecce enim*, suspirat, *in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea.* Ubi *peccatis* ponitur pro singulari per figuram hæbreis familiarem. 2. Apostolus Ephes. 2. de se & aliis fidelium Parentum Filiis dicit: *eramus natura filii iræ, sicut & cæteri.* Hoc est, eramus origine rei peccati. 3. Accedit perpetuus usus & sensus Ecclesiæ, quæ semper censuit, baptismum necessarium esse omnibus omnino infantibus, etiam Parentum fidelium. Idem est unanimis sensus Patrum, cui jungitur decisio Tridentini Sess. 5. can. 4. ubi: *Si quis Parvulos recenter ab Uteris Matrum baptizandos negat, etiamsi a baptizatis Parentibus orti, aut dixit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil in Adam trahere originalis peccati,*

quod generationis lavacro necesse fuerit expiari ad vitam æternam consequendam - - - Anathema sit. Addi potest ratio: quia illi omnes nascuntur in peccato originali, qui peccaverunt in Adamo, sed in hoc peccaverunt omnes, qui ex eo via ordinaria descendunt, sola excepta B. Virgine, quæ in ejus voluntate non erat inclusa ob speciale privilegium: ergo &c.

170 Expediuntur Objectiones ex PP. alias desumptæ. Dum 1. Justinus Martyr q. 88. in librum Jobi: *nemo mundus a sorde*, ait, non pertinere ad infantes, vult tantum, infantes non esse alicujus peccati personalis reos. Sunt etiam, qui negant librum eum esse Justini, qui circa medium Sæculum II. floruit, & obiit anno 165 nam meminit Origenis, qui 80. annis circiter post Justinum vixit. 2. Tertullianus L. de Anima c. 39. dum ait: *Adeo nulla ferme nativitas munda est, utique Ethnicorum*: vult tantum, nativitatem infantium Ethnicorum esse propter superstitiones in ea usitatas immundam speciali immunditia, qua caret nativitas infantium Christianorum. Insuper fidelium infantes gignuntur Sancti hoc sensu, quod ex intentione & usu fidelium procreentur, ut postea sanctificentur per baptismum, & eorum nativitas Sancta est, quatenus Ethnicorum superstitionibus caret, & ii per ceremonias sacras ad cultum Dei deputantur. Adde Tertullianum eodem libro agnoscere omnes omnino infantes ante baptismum esse inquinatos peccato originali: cap. enim seq. ait: *Ita omnis anima eousque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur · tamdiu immunda, quamdiu recensetur: peccatrix autem, quia immunda.* Idem Tertullianus L. de Baptismo c. 18. solum vult, magis expedire, ut citra mortis periculum Baptismus adultis conferatur, ut illum majore cum fructu recipiant. Idem Tertull. l. de Resurrect. Carnis c. 47. quia ibi de sola morte corporis loquitur contra Marcionem resurrectionem ostendens. Et est ejus argumentum tale: Sicut Adam antiquus corpori mortem intulit, ita & novus, seu Christus, vitam illi collaturus sit. Imo licet hic Tertullianus non referat mortem, & maculam Animæ in Adamum, refert tamen alibi.

Plura adhuc PP. dicta insigniter diluta videri possunt apud P. Ant. Boucat Tom. 1. Theol. PP. dissert. 4. art. 2. & apud Bellarminum Tom. 3. lib. 1. c. 8.

171 Potest autem peccatum originale dupliciter considerari: 1mo. quatenus est *actuale*, seu actualis transgressio præcepti illius de non

come-

comedendo ex arbore ſcientiæ boni, & mali phyſice ab Adamo, & moraliter a Poſteris ejus facta. 2do, Spectari poteſt quatenus eſt habituale, & nihil aliud eſt, quam macula habitualiter ex illo actu transgreſſionis remanens in Adæ Poſteris, donec eluatur, vi cujus Adæ Poſteri vere conſtituuntur peccatores, deſtituti gratia &c.

Jam transgreſſio illa Adami fuit moraliter eatenus ſuorum Poſterorum, quatenus omnes voluntates Poſterorum fuerunt divinitus alligatæ voluntati Adami in ordine ad obſervationem prædicti mandati; quæ alligatio fuit quoddam decretum Dei, conſtituens Adamum Caput morale ſuorum Poſterorum, ita, ut Adami voluntas eſſet moraliter & interpretative noſtra voluntas, & Adami obſervantia præcepti illus foret noſtra obſervantia, nobisque mereretur transfuſionem Juſtitiæ originalis, nec non transgreſſio Adami foret noſtra quoque transgreſſio in ordine ad transfundendam originalem illam habitualem maculam, cum pœnis illam comitantibus. Probatur autem alligatio hæc, & decretum: quia ad hoc, ut Adam in nos transfunderet maculam illam, non ſuffeciſſet Ipſum eſſe caput phyſicum humani generis, ſeu phyſice primum Parentem; aliter enim explicari non poſſet, cur tantum hoc peccatum, quod commiſit contra dictum præceptum de non comedendo ex ligno ſcientiæ boni & mali transmiſerit in ſuos Poſteros, & cur non etiam merita ſua ſic transfuderit? nam ratio Capitis phyſici non videtur magis exigere transfuſionem unius peccati, quam reliquorum, & non magis peccatorum, quam meritorum. Deinde ſi Adam tanquam Parens phyſicus peccatum ſuum in filios & Poſteros transfudiſſet, ita etiam alii Parentes peccata filiis ſuis hæreditario jure relinquerent: quod eſt falſum; ergo requirebatur decretum divinum, vi cujus voluntates noſtræ alligarentur voluntati Adami, & hic fieret etiam caput noſtrum morale in ordine ad prædictum effectum. 2. Decretum humanum poteſt facere, ut voluntas Tutoris ad certos effectus civiles moraliter ſit voluntas Pupilli: ergo etiam potuit facere Decretum divinum, ut voluntas Adami ad certos effectus ſit moraliter noſtra voluntas. Unde recte D. Auguſt. l. 1. de peccatorum meritis & remiſſione c. 10. ait de Adamo: *in quo omnes peccaverunt, quando omnes ille unus homo fuerunt.* Sicut autem non niſi moraliter omnes homines in Adamo unus homo fuerunt, ita non niſi moraliter illo peccante peccaverunt.

Porro

Porro (ita affero contra D. Amort in sua Theol. Eclectica Tomul. 7. Tract. de Natura & gratia disput. 2. Concl. 1. Alligatio præfata nostrarum voluntatum ad voluntatem Adami fuit æquissima, ac nobis optabilis; *tum*, quia fuit facta non solum ad labem originalem, sed etiam justitiam originalem transfundendam: *tum*, quia Adamus præ reliquis hominibus fuit provisus donis maximis tam naturalibus, quam Spiritualibus, unde erat probabilissima Spes, Eum fore Deo in re tantilla obtemperaturum, ac obtemperando toti suæ Posteritati promeriturum transfusionem Justitiæ originalis, saltem non erat prudenter suspicabile periculum transgressionis illius futuræ. Si autem Deus cuilibet nostrum dedisset illud præceptum sub conditione illa irrecuperabiliter perdendæ, vel obtinendæ Justitiæ originalis, fuisset periculum longe majus, quia nos non fuissemus tantis gratiis, & donis muniti, sicut Adam: ergo tacitus, & interpretativus consensus Posterorum in eam alligationem merito præsumi potuit.

Insuper hoc decretum, quo Adam in ordine ad labem & Justitiam originalem fuit constitutus Caput morale, fuit haud dubie satis clare a Deo Eidem Adamo intimatum, proinde scivit, quod per suum peccatum, & comestionem vetitam noceat toti Posteritati. Ita cum aliis docet Herincx p. 2 disp. 6. de peccato originali n. 23. Ratio est: quia congruentius erat, ut sciret energiam hujus mandati, & damna, quæ ex ejus violatione redundarent in totam Posteritatem; quia sic magis potuit, & debuit absterreri a transgressione. 2. Id etiam supponunt PP. & DD. qui ideo tantopere exaggerant malitiam peccati Adami ob detrimentum toti generi humano indesecutum: ad quod utique requirebatur notitia hujus damni secuturi virtute divini decreti; eventus enim omnino incognitus non potuisset augere malitiam peccati.

Non tamen videtur Deus verum & stricte dictum pactum cum Adamo iniisse de transfundenda Justitia in ejus Posteros sub conditione observati illius præcepti de non comedendo ex fructu vetito &c. vel saltem non fuit necessarium ejusmodi pactum, ut iterum observat Herincx, cum Doctore subtili & aliis; nam potuit Deus tale præceptum facere absolute, quin exigeret, aut exspectaret acceptationem, aut consensum Adami, qui alias ad pactum requiritur, solet tamen communiter dici pactum, in sensu scilicet latiori.

Objic.

Objic. 1. Non poteſt Reſpublica pro libitu voluntates ſuorum ſubditorum mutuo alligare: ergo neque Deus. R. d. a. in ordine ad meritum, vel demeritum, ac peccatum c. a. in ordine ad effectus quosdam civiles ſubdiſt. ſi talis alligatio non ſit conveniens bono reipublicæ c. a. ſecus n. a. Deinde Deus habet majus dominium in homines, & creaturas, quam Reſpublica in ſubditos; hinc transmiſſo antecedente, poſſet negari conſequentia. 172

Objic. 2. Non poteſt Deus nunc alligare voluntatem Petri jam exiſtentis, & ratione utentis voluntati Pauli, ita, ut, quando hic peccat, etiam Petrus moraliter peccet, & propterea puniatur: ergo. R. d. a. Si talis alligatio non ſit ita conveniens, ſicut fuit in noſtro caſu, c. a. ſecus, n. a.

Objic. 3. Alligatio voluntatis noſtræ ad voluntatem Adami non fuit nobis optabilis, quia facta dependenter a ſcientia Dei conditionata de futura transgreſſione Adami: ergo non potuit fieri. R. n. a. Ut res dicatur optabilis vel non optabilis, debet ea conſiderari præſcindendo ab eventu determinate futuro, & a ſcientia conditionata, qua ejusmodi eventus determinate futurus prævidetur, poſita tali conditione; ſecus enim nihil eſſet per ſe optabile, quo Deus nos male uſuros prævidit: ſic nec fuiſſet univerſaliter optabilis redemptio generis humani, quia etiam hac multi abutuntur ad ſuam perniciem, juxta Simeonis Prophetiam, Luc. 2. ℣. 34. *Poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum* Neque fuiſſent optabilia illa dona, quæ Deus confert reprobis, quibus illi abutuntur: quod tamen falſum eſt. Advertendum nihilominus, quod Deus non ideo conferat donum illud, quo aliquis eſt abuſurus, quia eo eſt abuſurus; ſed illud adhuc conferret, etiamſi prævideret hominem eo bene uſurum.

Objic. 4. Deus ſic alligando noſtras voluntates fuiſſet cauſa peccati originalis: ergo non potuit ſic alligare. R. n. a. Deus ſic alligando tantum conſtituit Adamum in actu primo indifferenti ad peccandum, vel bene agendum, non autem determinat ad ipſum peccatum. Deinde Deus non eſt Auctor transgreſſionis legis, dum legem condit, neque ille, qui gladium indifferentem ad homicidium conficit, dici poteſt Auctor homicidii: ergo a pari &c.

§. I.

Statuuntur Conclusiones.

173 Assero 1. Peccatum originale ex ratione culpæ consideratum non consistit in formali privatione Justitiæ originalis. Ita Herincx, Frassen, Henno, & alii plures Scotistæ, ac Recentiores contra TTas communiter existimantes, quod fomes concupiscentiæ, ut habet annexam privationem Justitiæ originalis debitæ, sit peccatum originale, ita tamen, ut fomes sit velut materiale, & privatio Justitiæ formale peccatum originale, conformiter D. Thomæ 1. 2. q. 82. art. 3. est etiam contra Marinum Panger, & aliquos Scotistas.

Prob. 1. Peccatum personale, seu habituale, sive actuale non consistit in privatione gratiæ sanctificantis, ut ex dictis constat: ergo neque peccatum originale seu actuale, seu personale consistit in privatione Justitiæ originalis; quia videtur esse par ratio.

Prob. 2. Privatio Justitiæ originalis posset dari in aliquo, qui non haberet peccatum: ergo peccatum originale, vel aliud non potest consistere formaliter in privatione Justitiæ originalis. a. prob. Si Deus alicui homini dedisset Justitiam originalem, posset hanc ab illo auferre extra omne peccatum a tali homine patratum: sicut enim gratis, & sine debito Deus donum hoc justitiæ contulisset, ita pro libitu, sine ulla præcedente culpa auferre potuisset: ergo.

Prob. 3. Privatio Justitiæ originalis est effectus peccati originalis: ergo.

174 Objic. Scotus 2. d. 32. q. unica. n. 7, ait: *Originale peccatum esse privationem Justitiæ originalis*: ergo. R. d. a. Doctor vult tantum peccatum originale esse privationem Justitiæ originalis causaliter, quatenus hanc privationem causat, c. a. esse formaliter ipsam privationem, n. a. audiatur Scholiastes in cit. Textum Scoti; ubi, postquam dixit: *originale peccatum esse privationem Justitiæ originalis*, subdit; *non est tamen privatio ullius doni habitualis, sed rectitudinis debitæ inesse per modum termini ex actu secundo in voluntate causata, & generatione transfusa; unde non formaliter, sed causaliter privat habitibus.* Adeoque peccatum originale non est formalis, sed tantum causalis privatio habituum gratiæ, & Justitiæ originalis. Ita etiam Textus PP. & Conciliorum exponi petunt, qui videntur asserere, peccatum originale esse privationem Justitiæ originalis.

Assero

Assero 2. Peccatum originale non est substantia quædam a Diabolo producta. Ita Catholici contra Mathiam Illyricum Lutheranum, & non ultimum ex Centuriatoribus Magdeburgensibus, qui in libello de Justitia originali docuit, peccatum originale esse quamdam malam substantiam, in quam per Primi Parentis inobedientiam, Anima Posterorum illius immutata fuit, ita, ut ex substantiali imagine Dei, facta fuerit substantialis imago Diaboli. Contra hunc Assertio 175

Prob. 1. ex S. Scriptura. Joan. 1. dicitur: *omnia per Ipsum* (id est Verbum) *facta sunt, & sine Ipso factum est nihil*: ergo nulla datur substantia, nisi sit a Deo: ergo peccatum originale non est substantia; alioquin esset a Deo, quod dicere Blasphemum, & impium foret.

Prob. 2. ex S. Augustino Conc. 1. in Psal. 68. ubi sic loquitur, & præcedens argumentum confirmat, & illustrat: *Quia per iniquitatem homo lapsus est a substantia, in qua factus est* (*iniquitas quippe ipsa non est substantia, non enim iniquitas est natura, quam formavit Deus: sed iniquitas est perversitas, quam fecit homo*) *venit Filius Dei ad limum profundi, & non est substantia: omnia per Ipsum facta sunt, & sine Ipso factum est nihil; Naturæ omnes per Ipsum factæ sunt, iniquitas per Ipsum facta non est; quia iniquitas facta non est.*

Prob. 3. Illa impia sententia olim damnata est ab Ecclesia in Manichæis, qui teste D. Augustino volebant, malum esse aliquam substantiam naturæ nostræ admixtam.

Prob. 4. Peccatum formaliter tale, quatenus est peccatum, non est ens, sed debitæ rectitudinis privatio: hoc principio usus est S. Augustinus contra Manichæos disputans, ut probaret non existere primum aliquod substantiale principium nequam, ex quo mala omnia nascerentur: ergo. Ulterius ex adversa opinione sequeretur, peccatum originale non auferri per baptismum, cum per illum nulla auferatur forma substantialis.

Objic. 1. Peccatum originale facit hominem filium Diaboli, sed 176
hoc solum fit, quia homo fit per substantiam diabolicæ similem: ergo. R. d. M. facit hominem filium Diaboli imitatione & moraliter c. M. physice, & secundum naturam n. M. Tripliciter juxta D. August. lib. contra Adimantum, potest aliquis alterius filius esse. 1*mo.*

Per naturam, ficut Adamus eſt omnium Pater. *2do.* per Doctrinam, ſecundum quam alios quis quaſi ſpiritualiter gignit; ſic D. Paulus: *per Evangelium ego vos genui.* *3tio.* Imitatione.

Objic. 2. Peccatum originale dicitur radix omnium peccatorum, corpus peccati, ut ad Rom. 6. *vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati;* ſed radix, & corpus indicant ſubſtantiam: ergo. R. n. m. Ecce cupiditas 1. Timoth. 6. dicitur: *radix omnium malorum*, & certe non eſt ſubſtantia: corpus enim peccati eſt proprie collectio plurium peccatorum, quæ deſtruitur per gratiæ collationem, non per ſubſtantiæ interitum, ut teſtatur Tertullianus l. de reſurrectione carnis c. 47. dicens: Uti evacuatur corpus delinquentiæ per emendationem vitæ, non per interitum ſubſtantiæ.

Objic. 3. Imago Dei eſt ſubſtantia: ergo & Diaboli. R. n. c. & parit. Imago Dei in homine eſt memoria, intellectus, & voluntas, quæ identificantur animæ, & ſic ſunt una cum Anima ſubſtantia: contra vero imago Diaboli nil aliud eſt, quam inordinatio voluntatis, ſeu converſio ad bonum commutabile, & averſio a bono incommutabili: quæ non ſunt ſubſtantiæ de novo productæ, ſed accidentales tantum animæ modificationes. Neque natura humana in ſe deſtruit per peccatum imaginem Dei ſubſtantialem conſiſtentem in anima, ſed accidentalem, quæ conſiſtit in donis ſupernaturalibus accidentalibus. Inſuper natura humana non in ſe ſubſtantialiter fit per peccatum legi divinæ contrarium, ſed accidentaliter propter maculam ex peccato ortam, & ipſam irrectitudinem accidentalem animæ ſupervenientem.

177 Aſſero 3. Concupiſcentia per ſe, & ex natura ſua non eſt peccatum originale. Prob. 1. Si concupiſcentia eſt per ſe, & ex natura ſua peccatum originale, tunc peccatum originale non deletur per Baptiſmum: ſed ſequela repugnat fidei: ergo. M. patet, quia concupiſcentia in renatis remanet. m. patet ex S. Scriptura. Rom. 8. Apoſtolus ait de Baptizatis & renatis: *nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto JEſu.* & Joan. 1. *Sanguis ejus emundat nos ab omni peccato.*

Prob. 2. Ex Concil. Trid. quod Seſſ. 5. can. 5. ſic definit: *Si quis per JEſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in baptiſmate confertur, reatum peccati originalis remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habet, ſed illud dicit tantum radi, aut non imputari; Anathema ſit. In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil eſt damnationis*

tionis iis, qui vere conſepulti ſunt cum Chriſto per baptiſma in mortem, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed veterem hominem exuentes, & novum, qui ſecundum Deum creatus eſt, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti ſunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ita, ut nihil prorſus eos ab ingreſſu cœli remoretur. Manere autem in Baptizatis concupiſcentiam vel fomitem, hæc S. Synodus fatetur, & ſentit: quæ cum ad agonem relicta eſt, nocere non conſentientibus, & viriliter per Chriſti JEſu gratiam pugnantibus non valet: Hanc concupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, S. Synodus declarat, Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari, quod vere & proprie in renatis ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium ſenſerit, Anathema ſit. Accinit quoque S. Auguſtinus variis locis; miſſis longioribus textibus tantum hunc affero breviſſimum, ex l. 1. contra duas Epiſt. Pelagianorum, ubi: *Dicimus baptiſma dare indulgentiam omnium peccatorum, & auferre crimina, non radere:* ergo cum concupiſcentia non auferatur per baptiſma, ſed poſt hoc maneat, non eſt peccatum originale.

Objic. Hac lege: *non concupiſces*, prohibetur concupiſcentia: er- 178
go eſt peccatum. R. n. a. per hanc legem vetatur, ne motibus concupiſcentiæ inordinatis libere conſentiamus, non autem prohibetur motus indeliberatus concupiſcentiæ, qui ſine noſtro conſenſu libero naturaliter in nobis exurgit, vel excitatur. Recte & optime dicit S. Auguſtinus contra Julianum lib. 5. c. 3. *fruſtra dictum eſt, poſt concupiſcentias tuas non eas, ſi jam quisque reus eſt, quod tumultuantes, & ad mala trahere nitentes ſentiat cor.* Concupiſcentia ſeu pronitas ad malum, quocunque naſcimur, non eſt in noſtra poteſtate, & velimus, & nolimus, ea carere non poſſumus, nam etiam inviti experimur in nobis motus inordinatos ad peccatum allicientes, quos Deus in noſtra natura relinquit non ex intentione, ut conſentiamus, & ſic peccemus, ſeu ex intentione peccati, ſed ex intentione, ut reſiſtamus, & reſiſtendo mereamur. Dum S. Paulus ad Rom. 7. dicit: *Jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*, concupiſcentiam non appellat formaliter, & proprie dictum peccatum, ſed metaphorice, ut Trid. in probationibus jam laudatum explicavit. Chriſtus non aſſumpſit concupiſcentiam, quia repugnat plenitudini gratiæ Ejus, non quia erat peccatum. S. Auguſtinus non dicit, concupiſcentiam ante baptiſmum eſſe peccatum ratione ſui præciſe, ſed imputari in peccatum ratione alterius, nempe ratione reatus peccati, quocum ante

baptiſmum conjuncta eſt. Præterea S. Auguſtinus interdum etiam loquitur in ſenſu D. Pauli. Ex his

Deduces: nec peccatum originale eſſe morbidam quamdam qualitatem, quæ ex carne per peccatum infecta derivatur in animam; nam peccatum formaliter tale non eſt ens phyſicum, ſed morale: ergo non poteſt conſiſtere in qualitate phyſica, cujus Deus eſſet Author. 2. Vel hæc morbida qualitas produceretur ex actuali peccato Adæ naturaliter, vel ſupernaturaliter? non primum: nihil enim habuit ſpeciale prævaricatio Adæ, quod non habent cæteræ prævaricationes, ſed cæteræ prævaricationes, homicidia, & aliæ non producunt qualitatem morbidam in corpore peccantis, quæ tranſeat ad ejus Poſteros: ergo neque prævaricatio Adæ. Neque ſecundum: ſi enim ſupernaturaliter produceretur, id fieret a Deo, & ſic Deus eſſet Auctor peccati, quod eſt blaſphemum aſſerere.

179 Aſſero 4. Peccatum originale actuale in ratione culpæ eſt ipſum peccatum Adæ, ſeu eſt ipſa comeſtio pomi vetiti, ab Adamo phyſice, a nobis moraliter facta. Cavellus in Scholio d. 32. q. un. n. 7. Poncius diſp. 18. n. 26. Herincx, Fraſſen &c.

Prob. 1. Ob alligationem noſtrarum voluntatum ad voluntatem Adæ, hic comedendo de fructu vetito ſuſtinuit moraliter perſonam omnium noſtrum: ergo Ipſius peccatum, & transgreſſio actualis fuit moraliter noſtrum omnium peccatum. a. conſtat ex dictis.

Prob. 2. Ex variis Authoritatibus, quibus indicatur, peccatum Adæ eſſe moraliter noſtrum peccatum. Sic ad Rom. 5. dicitur; *in quo* (Adamo) *omnes peccaverunt.* D. Auguſt. l. 4. contra duas Epiſtolas Pelagianorum c. 4. dicit: *In homine peccaverunt omnes, quando ille peccavit, quoniam in illo* erant omnes. & l. 1. de peccatorum meritis, & remiſſione c. 10. *aliud hoc unum* (peccatum) *in quo omnes peccaverunt, quando omnes ille unus homo fuerunt.* Quare hoc peccatum moraliter vere, & proprie a nobis eſt commiſſum; ut advertit D. Baſilius homil. de jejunio, *nos omnes cecidiſſe, quia in primo Parente non jejunavimus.* Et S. Nazianzenus orat. 5. ait: *eandem omnes vitii arborem guſtavimus.*

Prob. 3. Illud eſt peccatum originale actuale, per quod omnes Poſteri Adæ conſtituuntur peccatores, & tranſgreſſores legis illius &c. atqui tale eſt peccatum phyſicum Ipſius Adæ, ac moraliter noſtrum propter alligationem prædictam: ergo.

Aſſero

Assero 5. Peccatum originale habituale est denuo peccatum Adæ ut capitis moralis in Posteris per reatum culpæ moraliter perseverans. Ita plures Scotistæ in suis manuscriptis. Prob. a pari de peccato personali habituali, hoc enim in reatu culpæ perseverat: ergo & originale habituale. Et confirmatur ex eo, quia non potest melius explicari. Igitur quilibet, quamprimum concipitur, & anima rationalis infunditur, propriam habet maculam originalis peccati, donec ea remittatur, aut deleatur, ut constat ex Trid. Sess. 5. can. 3. docente: peccatum originale per propagationem ab Adamo transfundi in Posteros, omnibus inesse, esseque unicuique proprium. Et Sess. 6. cap. 3. ait: dum homines concipiuntur, propriam injustitiam contrahunt. Ex quo 180

Habes 1. Notabile discrimen inter peccatum originale actuale, & habituale; actuale enim jam erat commissum ab hominibus nondum existentibus realiter, sed etiam ab illis, qui erant aliquando futuri, & descensuri ab Adamo per propaginem carnalem. Habituale vero, seu macula illa relicta ex peccato originali actuali contrahitur tantum ab Animabus actu existentibus. Ratio disparitatis est: quia actualiter in Adamo peccasse est fuisse inclusum in peccato, & decreto, dum hic peccavit, & sic actionem malam in & cum Adamo moraliter fecisse; atqui sic jam erant inclusi etiam homines futuri, & nondum existentes, qui proin etiam moraliter in- & cum Adamo peccaverunt. Peccatum autem habituale contraxisse, est esse actualiter maculatum, ad quod requiritur existentia actualis; nam ille, qui non existit, non potest dici esse maculatus.

Habes 2. Peccatum originale non consistere in peccato Adæ Posteris extrinsece imputato. Communis contra Pighium, & Catharinum. Ratio est: quia juxta Tridentinum peccatum originale est unicuique proprium: ergo etiam est moraliter unicuique intrinsecum. 2. Neque potest per extrinsecam Dei voluntatem alicui peccatum imputari, nisi illi sit proprium, & moraliter intrinsecum saltem interpretative. 3. Nos vere in Adamo peccavimus: ergo peccatum Adami nobis non tantum extrinsece imputatur, sed vere inest.

Habes 3. Juxta Tridentinum peccatum originale *origine esse unum*, quatenus una actione physica est commissum ab Adamo, esse tamen etiam moraliter, & interpretative multiplex; proinde se habet respectu singulorum Posterorum Adæ, in illo decreto inclusorum, ac

fi a fingulis effet commiffum in ordine ad hoc, ut finguli propter illius commiffionem fint maculati, ac reatum odii & culpæ habeant, gratiaque deftituantur. Ob quam caufam laudatum Tridentinum addit: *peccatum originale omnibus ineffe, unicuique proprium.*

181 Objic. 1. Si peccatum originale effet ipfum peccatum Adæ, fequeretur, quod, poftquam Adam in fe delevit peccatum originale, etiam hoc fuiffet deletum in omnibus ejus Pofteris; fequela eft falfa: ergo. R. d. M. Si effet præcife peccatum Adæ c. M. fi effet fimul moraliter peccatum proprium fingulorum Pofterorum, in pacto illo incluforum n. M. quamvis per pœnitentiam actam ab Adamo, Ei fit remiffum peccatum originale, quatenus fuit Ipfius peccatum, non tamen fuit fimul univerfaliter condonatum, quatenus fuit etiam proprium fingulorum Pofterorum, quibus proinde fingulis, ut a culpa originali liberentur, applicari debet conveniens remedium, quale pro ftatu gratiæ eft baptifmus.

Objic. 2. Juxta D. Auguft. peccatum Adæ eft caufa peccati originalis: ergo peccatum originale non eft ipfum peccatum Adæ. R. d. a. Peccatum Adæ actuale, quatenus moraliter fuit noftrum, eft caufa peccati originalis habitualis in nobis, c. a. fi enim actualiter in Adamo, & cum Adamo non peccaffemus, non contraxiffemus maculam habitualem originalis peccati. Peccatum Adæ habituale eft caufa peccati originalis habitualis in nobis, n. a.

Objic. 3. Non poffumus dici peccatores propter actum, quem non pofuimus; fed nos non pofuimus actum, quo Adam peccavit; ergo. R. d. M. quam non pofuimus phyfice nec moraliter, vel interpretative, c. M. fi faltem pofuimus moraliter, & interpretative n. M. fic etiam actio peccaminofa Adæ fuit nobis voluntaria interpretative, & in alio, nempe in Adamo, non vero fuit nobis libera formaliter. &c. atque ob hanc caufam Adam majorem promeruit pœnam, quam ejus Pofteri, quia Ipfe phyfice propria voluntate peccavit, Pofteri autem tantum moraliter, & interpretative per voluntatem alienam Adami.

Objic. 4 Peccata noftra fuerunt moraliter in Chrifto tanquam Capite noftro, ficut Adæ peccatum veluti Capitis eft in Pofteris tanquam membris; atqui Chriftus propterea non fuit peccator, neque infectus peccatis noftris: ergo neque nos fumus per hoc peccatores, quod peccatum Adæ in nobis fit, vel noftrum fit. R. n. M. longe diver-

diverso modo peccata nostra attribuuntur Christo, quam illud Adami nobis. Nostra peccata non fuerunt in Christo, quasi Ipse peccaverit nobis peccantibus, sicut nos peccavimus, Adamo delinquente. Christus ergo in se suscepit solum peccata nostra in ordine ad satisfactionem Patri Cælesti pro iis præstandam, quod etiam Justo convenire potest.

Objic. 5. Eodem modo sumus Justi per obedientiam Christi, quo per inobedientiam Adæ sumus injusti; atqui per obedientiam Christi non sumus justi formaliter, sed tantum efficienter, seu meritorie: ergo neque per inobedientiam Adæ sumus formaliter peccatores. M. constat ex illo Apostoli ad Rom. 5. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obedientiam justi constituentur multi.* R. n. M. Non facit hic Apostolus omnimodam paritatem, alias enim sicut posita inobedientia Adami totum est positum, quod requiritur ad contrahendum peccatum originale a Posteris, ita quoque ad deletionem ejusdem culpæ originalis totum esset præstitum per obedientiam, & mortem Christi, neque exigeretur ullum aliud remedium, neque baptismus, neque alius actus ab homine ponendus. Voluit ergo D. Paulus solum in genere significare, quod, sicut generatim ex inobedientia Adami traximus maculam originalem, sic ex obedientia Christi obtineamus justitiam, non tamen descendit ad speciales, & distinctos modos causandi, quibus obedientia Christi ad nostram justificationem, & inobedientia Adami ad nostram culpam, & maculam concurrit.

Objic. 6. Si peccatum originale fundaretur in alligatione voluntatum Posterorum Adæ ad hujus voluntatem, tunc bona esset illatio Pighii, & Catharini, quod tantum esset unum numero peccatum, & non plura; sed hoc est damnatum: ergo. R. n. M. ex abunde dictis liquet, juxta mentem Tridentini hoc peccatum originale juxta singulos Posteros ex Adam naturali seminali propagatione, quæ quasi fundamentum est hujus peccati, multiplicari, & singulis inesse ut propriam maculam, eo modo, quo potest moralis macula alicui esse intrinseca.

§. II.

Varia quæsita de peccato Originali.

182 Quæres 1. Quomodo peccatum originale inducatur in Posteros Adæ? Ante responsionem nota, peccatum originale habituale (de quo est quæstio) traduci, & originari in quoscunque Adæ posteros, si non speciali privilegio aliquis excipiatur. H. N.

R. Ratio, cur aliquis homo contrahat originale peccatum, est, quod ex Adamo descendat per seminalem propagationem via communi generationis humanæ, & sic virtualiter fuerit contentus in lumbis Adæ. D. Thomas, Scotus & alii communiter. Prob. 1. ex Trid. Sess. 6. c. 3. dicente: *sicut revera homines nisi ex Semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti, cum ex propagatione, per ipsum, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahunt.* Prob. 2. ex SS. PP. D. August. l. 2. de Nuptiis, & Concupiscentia. S. Ambrosio in Isaiam, S. Leone Serm. 5. de Nativit. Domini, & S. Anselmo lib. de conceptu Virginis c. 7. Contrahitur autem peccatum originale, dum corpori ex ejusmodi propagatione seminali concepto infunditur anima rationalis: quia eoipso instanti infusionis est, & dicitur esse anima Filii naturalis Adæ.

Ex hoc tamen minime sequitur, semen humanum esse corruptum physice per peccatum Adami; sed tantum suo modo est infectum, moraliter quatenus Deus decrevit transfusionem culpæ originalis fieri per propagationem seminalem via ordinaria factam. Et dato etiam, quod physice esset corruptum semen, tunc inficeret solum corpus, non vero macularet moraliter animam per culpam originalem.

Neque ex hoc sequitur, Deum, aut Parentes, dum generant hominem, esse per se causam peccati originalis: generatio enim humana ex se solum ordinatur ad propagandum genus humanum, non vero ad peccatum originale causandum, quod solum ex justa causa permittitur. Ex his

Deduces 1. Christum esse genitum expertem peccati originalis; quia non est genitus per propagationem seminalem ordinariam; ut clare observat S. Leo Sermone 5. de Nativ. Domini dicens: *Solus inter filios hominum Dominus JEsus innocens natus est; quia solus sine carnalis concupiscentiæ pollutione conceptus.*

Dedu-

Deduces 2. Si aliquis homo crearetur a Deo, vel alias miraculose nasceretur sine via ordinaria generationis humanæ, eum non contracturum peccatum originale; baptizandum tamen esse, ut fieret membrum Ecclesiæ.

Quæres 2. Quid factum esset, si Adamo non peccante, peccasset Eva, & alii?

R. 1. Si sola Eva comedisset de fructu vetito, tunc non fuisset in 183
nos transfusum peccatum originale. Herincx, Mezger, Henno, Panger & alii. Ratio est: quia Adam, & non Eva, fuit constitutus caput morale Posterorum in ordine ad transfundendam Justitiam, vel maculam originalem. 2. Quia S. Scriptura solius peccati Adami meminit: ut ad Rom. 5. *per unum hominem mors &c. per inobedientiam unius hominis &c.* ubi per unum hominem Adam semper intelligitur, ut contextus indicat, & SS. PP. concorditer explicant; & seipsum declarat Apostolus, dum 1. Cor. 15. dicit: *In Adam omnes moriuntur.* 3. Si peccatum Evæ etiam nocuisset toti posteritati, deberet dici, quod in Eva omnes moriantur, & quod per illam mors intraverit &c. quia Ipsa peccavit ante Virum, consequenter per Ipsam jam ante peccatum Adami fuissemus peccato & morti obnoxii. 4. Accedit Trident. quod Sess. 5. can. 2. definit: *Adæ prævaricationem non sibi soli, sed etiam ejus propagini nocuisse, ac sanctitatem, & justitiam nobis perdidisse*; ubi iterum nihil de Eva. Nec obstat illud Eccli. 25. *a Muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur.* Nam hic solum dicitur, quod per mulierem tanquam occasionem allicientem moriamur, non vero asseritur, quod *in illa* moriamur, tanquam inclusi ejus voluntati. Idque S. Scriptura ibi allegat, ut ostendat, quantum viro prudenti sit cavendum a mulieribus.

R. 2. Si Adamo non peccante, aliqui ex Posteris peccassent, comedendo ex arbore scientiæ boni & mali, tunc hi non infecissent suos descendentes labe quadam originali. Communis. Ratio jam est data: quia solus Adam quoad hoc est constitutus caput morale, non vero alii. 2. Quia id clare testatur S. Anselmus lib. de conceptu Virginis, vel alius, qui est Author hujus libri, c. 23. *quoniam nullus post Adamum potuit filiis suis justitiam servare, nullam video rationem, cur proximorum parentum peccata filiorum debeant animabus imputari.*

Quæres 3. Quid dicendum, si Adamo fuissent geniti aliqui filii 184
ante ejus lapsum? R. hujusmodi filii non contraxissent originale. Herincx

rincx l. 2. disp. 6. de peccato originali n. 27. Panger, & alii. Ratio est: 1. quia D. August. in Psal. 84. ait: *Ea peccata parentum non pertinent ad filios, quæ faciunt parentes jam natis filiis.* 2. Quia tales filii non fuissent in lumbis Adami, dum peccavit.

Imo probabilius si aliqui ab Adamo ante lapsum geniti in justitia originali, genuissent filios post lapsum Adami, tunc hi filii, ac Nepotes Adami non contraxissent originale. Herincx cit. Henno, & alii contra Panger, & alios. Ratio est, quia hi filii & Nepotes non essent contenti in lumbis Adæ tempore peccati; & licet producti essent post culpam Adami, & vi propagationis seminalis, non tamen virtute seminis infecti, sed decisi ab Adamo justo.

185 Quæres 4. An Adamus per quodlibet peccatum infecisset labe originali suam Posteritatem? Resp. negative. Herincx cit. n. 25. Quia non constat, Adamum esse constitutum caput morale in ordine ad transfundendam labem originalem in alios, nisi quoad præceptum Genesis 2. de non comedendo fructu vetito: si ergo peccasset peccato odii, vel alio distincto, tunc sibi soli nocuisset, non posteritatem infecisset.

Probabiliter etiam Adamus non infecisset Posteros, si sola voluntate peccasset contra illud præceptum. Herincx, Panger. Ratio est: ex una parte S. Scriptura non satis declarat, quod solus actus internus Adami obfuisset etiam Posteris: ex altera parte res hæc est odiosa, in qua semper illud, quod est magis favorabile, & minus odiosum, conjecturandum est. Et Textus S. Scripturæ Ipsus videtur loqui de actu exterius consummato: *in quacunque die comederis, morte morieris.*

Id quoque notandum, hoc præceptum de non comedendo illo fructu non solum primos Parentes, sed & Posteros omnes personaliter respexisse, si durasset status innocentiæ. Herincx cum aliis DD. Quia Deus videtur in signum summi dominii reservasse hunc sibi fructum, cæteris concessis in usum arbitrarium hominum. Unde quicunque ex filiis, & descendentibus Adæ, si durasset ille status, comedisset, peccasset personaliter, non tamen aliis, quam sibi ipsi nocuisset, ob jam dicta.

Dubitabis: An, si durasset status innocentiæ, homo per quodlibet peccatum mortale perdidisset non solum gratiam sanctificantem, ut de fide est, sed etiam immortalitatem, totamque justitiam originalem,

nalem, saltem recuperabiliter, an autem eam saltem ex parte retinuisset? R. cum Herincx hoc esse incertum, nec posse aliquid afferi, quia nihil est revelatum circa hoc punctum.

Quæres 5. An, & qualem pœnam patiantur Parvuli cum ori- 186
ginali decedentes? R. 1. Parvuli sine baptismo decedentes non puniuntur pœna sensus, aut ignis. D. Thomas 2. d. 33. q. 2. Scotus 2. d. 33. q. un. & communis Scotistarum, contra Ariminensem, qui idcirco *tortor puerorum* appellatur, & quosdam alios.

Prob. 1. Pœna sensus respondet delectationi in peccato habitæ: Apocal. 18. *quantum se glorificavit, & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*; atqui Parvuli nullam habuerunt delectationem dum in Adamo peccaverunt: ergo.

Prob. 2. Variis textibus SS. PP. Nobiscum enim sentiunt S. Gregorius Nazianzenus orat. 40. in S. Baptisma. ibi: *futurum existimo, ut Postremi nec cœlesti gloria, nec suppliciis a Justo Judice afficiantur, utpote licet baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen* (personali) *carent.* S. Gregorius Nyssenus orat. de iis, qui præmature abripiuntur; ibi in fine: *immatura mors infantium, neque in doloribus & mæstitia esse eum, qui sic vivere desiit, intelligendum esse nobis suggerit.* S. Thomas q. 5. de malo art. 2. ait: *in peccato originali non est conversio* (ad creaturam) *sed sola aversio* (a Deo) *vel aliquid aversioni respondens, scilicet destitutio animæ a justitia originali; & ideo peccato originali non debetur pœna sensus, sed solum pœna damni, scilicet carentia visionis beatificæ.* D. Bonaventura in 2. dist. 33. art. 3. q. 1. ubi exposita sententia contraria, quam paucorum esse dicit, sic loquitur: *sed cum valde durum illud dicere videatur, quod Deus tam dure, & tam aspere agat cum parvulis sic decedentibus, qui omnino non potuerunt vitare nec mortem culpæ, nec mortem naturæ, præsertim cum videamus Deum cum iniquissimis, & sceleratissimis peccatoribus in multis misericorditer agere; ideo est alia positio mitior, quæ magis concordat Pietati, fidei, & judicio rationis, quod, quia Parvuli cum originali decedentes, cum originali carent Justitia & gratia, privantur in æternum Dei visione; quia vero in carne fuit fœditas, ideo ponentur in loco vili, utpote infernali. Sed NB. quia in se non habuerunt delectationem actualem peccati, ideo non sentient pœnæ ignis acerbitatem; hunc dicendi modum approbant Magistri communiter.*

Prob. 3. Innocentius III. *Capit Majores de baptismo, & ejus effectu* ait: *pœna originalis peccati est carentia visionis Dei, actualis vero peccati* (in-

super) *gehennæ perpetuæ cruciatus* : ergo juxta S. Pontificem sola carentia visionis, non vero pœna sensus statuitur pro solo originali, in quo Parvuli decedunt.

Prob. 4. Pœna sensus æterna, utique gravissima non debet asseri sine convincente ratione: atqui convincens ratio in proposito non potest afferri ab Adversariis: ergo.

Prob. 5. Si alicui a Principe sit data excellens dignitas pro tota sua Posteritate, tunc si is solus peccet, potest quidem ipse & tota posteritas privari hac dignitate ob solum ipsius primi acquirentis peccatum, non vero potest juste tota posteritas suppliciis positivis personaliter affligi, utpote quæ personaliter non peccavit: ergo a pari.

Prob. 6. Pœna æterni ignis videtur esse improportionata labi originali, quæ non est contracta propria voluntate, neque videtur esse consona divinæ Bonitati.

R. 2. Parvuli isti in æternum carent visione beatifica, & amore fruitivo, ut certum est; quia nihil coinquinatum potest intrare in beatitudinem, quæ in tali amore & visione consistit; atqui isti Parvuli adhuc sunt coinquinati labe originali: ergo.

R. 3. Nihilominus Parvuli prædicti non habent tristitiam, saltem gravem, ob privationem visionis beatificæ; adeoque non habent pœnam damni positivam. Communior Th. Th. contra Aureolum & Abulensem.

Prob. 1. *Pœna parvulorum ejusmodi est mitissima licet in se esset maxima.* Teste D. August. in Enchirid. c. 39. sed privatio visionis non foret mitissima, si inde parvuli conciperent gravem tristitiam: ergo. 2. Non habent pœnam sensus: ergo minus tristitiam gravem, ob denegatam visionem, utpote quæ tristitia, ceu pœna damni est gravior, quam pœna sensus quæcunque. 3. Tristitia præsupponit nolitionem; sed privatio hæc non est nolita illis parvulis; alias enim remurmurarent contra divinam dispositionem, & haberent voluntatem inordinatam, sicque peccarent, quod est absurdum, imo damnatum in propositione Baij sequentis tenoris: *ex habituali voluntate dominante fit, ut Parvulus decedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus est, actu Deum odio habeat, Deum blasphemet, & legi Dei repugnet.* Ex quo etiam sequitur, quod voluntas talis parvuli nunquam actualiter per actum malum positivum sit a Deo avertenda, quamvis habitualiter aversa sit propter labem habitualem peccati originalis.

R. 4.

R. 4. Parvuli præfati poſt mortem non habent veram beatitudinem naturalem abſolute talem. Ratio eſt; quia beatitudo etiam naturalis abſolute talis non poteſt conſiſtere cum miſeria peccati, & reatu odii divini.

Ubi vero defacto parvuli illi poſt mortem exiſtant, & utrum poſt Diem Judicii ſint futuri in limbo, ſeu loco obſcuro, ut volunt aliqui, an vero in loco ſubterraneo perlucido, ut communior habet cum D. Thoma, an denique in ſuperficie Terræ in loco valde amœno, ut Leſſius, Suarius, ac Salmeron tenent, incertum eſt.

Quæres 6. Quas pœnas homo in hac vita ſuſtinere debeat ob 187
peccatum originale? R. 1. ex parte Animæ poſt peccatum originale habet homo magnam ignorantiam in intellectu, 2. malitiam in voluntate, ſeu proclivitatem ad bonum commutabile, quæ per malitiam hic intelligitur. 3. Concupiſcentiam in appetitu concupiſcibili, & 4. infirmitatem in appetitu iraſcibili.

Ex parte corporis, neceſſitas moriendi, ipſaque mors, ac aliæ pœnalitates, & afflictiones corporales. Verum hi effectus, vel potius defectus directe non ſunt pœnæ peccati originalis in rigore tales: Ratio eſt, quia hæ miſeriæ directe ſequuntur ipſam naturam humanam, & ideo fuiſſent etiam in ſtatu naturæ puræ, & modo ſunt inæquales in diverſis hominibus, etſi omnes æqualiter ſint, vel fuerint infecti peccato originali, quod in uno non eſt majus, quam in altero. Dicuntur tamen improprie & indirecte pœnæ, quatenus in moderna providentia fuiſſent iſtæ pœnalitates omnes ſupernaturaliter impeditæ per Juſtitiam originalem, & cætera dona gratuita ſtatus innocentiæ, niſi homo ob peccatum originale, & in pœnam illius fuiſſet Juſtitia originali, & hiſce donis ſupernaturalibus privatus. Atque afflictiones & miſerias huius vitæ non eſſe veras pœnas peccati originalis, ſed eſſe proprietates quasdam ipſius naturæ humanæ, colligitur ex propoſitione 63. Baij proſcripta, quæ ſic habet: *Nemo præter Chriſtum eſt absque peccato originali; hinc B. Virgo mortua eſt propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, ſicut & aliorum Juſtorum fuerunt ultiones Peccati actualis, vel originalis.*

Sol-

Solvuntur Objectiones.

Contra resolutionem primam.

188 Objic. 1. Varios Textus S. Scripturæ, ex quibus tantum duo ordines significantur futuri judicandorum in extremo judicio Electorum, quibus beatitudo cœlestis adjudicabitur, & reproborum mittendorum in æternum ignem; ad primum non pertinent Infantes sine baptismo decedentes; ergo ad secundum.

Resp. Illos Textus non esse intelligendos de infantibus, sed de solis adultis; siquidem Math. 25. ubi habetur: *Discedite maledicti in ignem æternum*, causa æternæ damnationis additur: *esurivi enim, & non dedistis mihi manducare &c.* Sed hæc nequeunt Infantibus rationis usum non habentibus convenire. Item alii Textus de area &c. spectant tantum eos, qui fuerunt in Ecclesia adulti, mali & boni inter se commixti; sed hac ratione non comprehenduntur Infantes non baptizati, qui ob defectum baptismi non sunt ingressi Ecclesiam.

Objic. 2. SS. Patres plures, qui post exortam hæresin Pelagii nobis oppositam sententiam tenuerunt. Præsertim S. Augustinus Serm. 14. de verbis Apostoli, c. 5. & aliis locis pluries: ergo. R. Hac in parte D. Augustinum cum paucis suæ sententiæ adhærentibus merito cum reverentia relinqui debere, tum, quia nostra sententia Auctoritate sufficiente SS PP. Augustino antiquiorum fulta est. Tum, quia post Sæculum duodecimum maximopere, & ita invaluit, ut etiam præcipui Doctores Scholastici eam sint amplexi, & inter hos maximi Doctores simul & Patres Ecclesiæ D. Thomas, & S. Bonaventura. Neque in hoc injuriam inferimus Ipsi S. Augustino, si id facimus, quod Ipse facere solitus erat, cum de privato aliorum sensu, uti hic, & non de dogmate Catholico ageretur. Epist. 19. ita scribit: *Alios ita lego, ut quantalibet Sanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quod Ipsi ita senserunt.*

Ponderare hic juvat verba Doctoris Seraphici, 2. d. 33. art. 3. q. 1. ubi ita scribit: *loquitur sic,* (D. Augustinus) *hoc enim facit ad extirpandam illam hæresin* (Pelagianorum) *quæ dicebat, Parvulos nulla pœna puniri. Unde, sicut in moribus documentum est, quod, qui vult ab uno extremorum pervenire ad medium, quasi debet declinare ad aliud extremum. Sic etiam S. Augustinus, ut illam hæresin extirparet, quæ dicebat, Parvulos ab omni pœna immunes,*

nunes, & ad medium reduceret, videlicet ad pœnam carentiæ visionis Dei, simpliciter asseruit, eos cum aliis peccatoribus æternaliter damnari; istum autem suum intellectum explanavit in Enchiridio, ubi dixit, pœnam eorum esse mitissimam. Idem sentit D. Thomas, quæst. de malo. 5. a. 2. ad 1. ubi: *Ideo autem Sancti* (Patres Illi, qui Infantes non baptizatos gehennæ cruciatibus æternis destinare visi sunt) *tali modo loquendi usi sunt, ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui asserebant, in parvulis nullum esse peccatum, nec eis aliquam pœnam deberi.* Deseritur ergo hoc in puncto bene D. Augustinus, præsertim cum hic non agatur de Dogmate fidei, sed de re Scholasticos inter adhuc controversa.

Objic. 3. Ex ratione: Parvuli baptizati fruuntur non solum possessione Dei, sed etiam bonis corporis: ergo a contrario Parvuli non baptizati, non solum privatione visionis beatificæ, sed etiam pœnis sensibilibus corporis cruciabuntur. R. N. c. & parit. Rratio dispar est, quia Infans per gratiam sanctificantem in baptismo acceptam constituitur filius Dei adoptivus, hæresque regni cœlestis; unde jus habet non solum ad fruitionem Dei, sed etiam ad dotes omnes corporum beatorum, quæ Ipsis debentur; ast Infans non baptizatus propter peccatum originale satis punitur carentia visionis Dei; consequenter tales Parvuli non cruciantur pœna ignis in æternum, quia nullam habuerunt delectationem, dum in Adamo peccaverunt, & alioquin hæc pœna videtur dedecere bonitatem Dei. Præterea, quamvis eiusmodi Parvuli in tempore multis pœnis, & pœnalitatibus sensibilibus juste affligantur, tamen divinam bonitatem, & æquitatem non decet eos in æternum punire cruciatibus a Deo Ipso directe inflictis.

Articulus II.

An beatissima Virgo MARIA contraxerit peccatum originale, vel debitum ad illud?

Indubitatum, & ab Ipsis, qui negant immaculatam Conceptionem 189
Mariæ, concessum est, Deiparam jam in Utero materno, antequam nasceretur, fuisse sanctificatam gratia habituali, consequenter Eam jam in Utero materno caruisse macula originali. Hoc igitur salvo, tria adhuc inquiri possunt. 1mum est, an B. Virgo jam in primo instanti conceptionis, seu infusionis Animæ fuerit ornata

gratia sanctificante, & tunc jam immunis a labe originale? *2dum* est, an habuerit debitum proximum, vel *3tio.* an saltem habuerit debitum remotum ad contrahendam maculam originalem?

Debitum proximum est obligatio, vel necessitas contrahendi maculam originalem in instanti conceptionis, vel potius infusionis Animæ in corpus, orta ex alligatione actuali voluntatis ad voluntatem Adami, tanquam Capitis moralis. Sic enim alligatus cum Adamo prævaricante actualiter peccavit, peccandoque necessitatem contraxit habendi maculam originalem habitualem in instanti infusionis Animæ, nisi tunc ex speciali privilegio talis macula impediatur per gratiam sanctificantem infusam. *Debitum remotum* est, vi cujus aliquis non quidem est alligatus cum Adamo tanquam capite morali, debet tamen alligari, & in voluntate ejus includi, nisi ex speciali privilegio, & mera gratuita benevolentia excipiatur a tali inclusione. Quare debitum remotum primario & immediate est obligatio, ac necessitas incurrendi alligationem illam, & debitum proximum.

§. I.

An Beatissima Virgo Maria statim in primo instanti Conceptionis, seu infusionis Animæ fuerit immunis a macula originali?

190 Assero, & respondeo affirmative. Ita habet communissimus sensus Ecclesiæ.

Prob. 1. Ecclesia celebrat solemniter festum Conceptionis B. V. Mariæ: ergo ipsa conceptio sancta, & consequenter immunis a labe peccati est. con. p. Ecclesia non celebrat festum aliquod, nisi ratione sanctitatis; vel, omnia festa Ecclesiæ sunt fundata super sanctitate: sic enim Ecclesia universaliter celebrat Diem Obitus, non vero Nativitatis Sanctorum, quia ille, nempe Dies Obitus, non vero Nativitatis fuit Sanctus; prout hoc sæpius exprimit S. Augustinus, ac specialiter sermone 13. de S. Cypriano, ubi ita loquitur: *Diem ejus naturalem, etsi sciremus, non celebraremus, sed bene Diem Obitus, quia eo Die traxit peccatum originale, hoc Die vicit omne peccatum.* Sic etiam infert S. Bernardus cum D. Thoma, S. Bonaventura, & aliis apud Herincx; Nativitatem B. V. Mariæ fuisse san-

sanctam, & puram a peccato originali, quia Eam Ecclesia celebrat speciali festo: ergo etiam Conceptio B. V. Mariæ fuit Sancta, & immunis a macula originali, quia eam Ecclesia celebrat speciali festo: ergo.

Respondebis cum Cajetano, ab Ecclesia non celebrari ipsam conceptionem B. V. Mariæ, quæ fuit maculata, sed bene Ejus sanctificationem, quæ post instans conceptionis primum quidem, sed tamen facta est adhuc eodem Die, quo fuit Deipara concepta.

Contra est 1. Festum hoc Conceptionis, & non Sanctificationis Mariæ dicitur: ergo ex ipso Nomine patet Conceptionem ipsam Virgineæ Matris, qua Ipsa concepta est, celebrari. 2. Gregorius XV. in Constitutione edita anno 1622. Die 24. Maij præcepit, ut omnes uterentur nomine Conceptionis, non Sanctificationis ad hoc festum indicandum. 3. Xystus IV. in alia quadam Bulla, *Grave nimis* 17. in Bullario Rodriquez, damnat tanquam erroneum, quod non celebretur Conceptio, sed tantum spiritualis Sanctificatio B. V. Mariæ. 4. In Officio, quod modo Sæculares celebrant in festo Conceptionis B. V. Mariæ, ipsa Conceptio Deiparæ Sancta dicitur illis verbis: *Sentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuam* Sanctam *Conceptionem.*

Prob. 2. Ecclesia Romana determinate celebrat immaculatam Conceptionem: ergo Ea est immaculata. a. patet clarissime ex decreto Alexandri VII. Id ex professo declarantis in Bulla *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, edita anno 1661. quæ Constitutio maximum robur addit nostræ Conclusioni.

Confirmatur utraque probatio: Ecclesia non potest errare in iis, quæ ad fidem, Religionem, vel bonos mores pertinent: ergo non errat, dum colit festo speciali Conceptionem Deiparæ, ut Sanctam, & consequenter immunem a labe; nam festivos Dies instituere, & colere aliquid ut Sanctum, spectat ad Religionem, & bonos mores.

Prob. 3. Potuit Christus Matrem suam ab originali præservare, decuit etiam, ut præservaret: ergo præservavit. A. quoad 1. memb. constat, quia nulla implicantia hujus præservationis ostendi potest. Quoad 2. memb. probatur ex illo D. Anselmi, vel alterius, qui Author est hujus libri de Conceptu Virginis. *Decens erat, ut ea puritate, qua major sub cœlo nequit intelligi, Virgo Illa niteret:* ergo decens erat,

ut careret culpa originali; secus enim major puritas in Virgine Illa desiderari posset, scilicet immunitas a labe originali. Et sane D. Thomas 3. p. q. 27. a. 4. dicit: Beatissimam nunquam peccasse venialiter, *quia non fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando:* ergo pariter non fuisset idonea Mater Dei, si contraxisset originale, atque adeo fuisset inimica Dei, Serva Diaboli, mancipium peccati.

Confirmatur. Ideo Beatissima communiter dicitur fuisse immunis a dolore partus, a fomite peccati, a sordibus puerperii, a corruptione corporis &c. quia hæc dedecebant Matrem Agni immaculati: ergo a fortiori dicenda est immunis a labe originali, quæ magis Eam dedecebat.

Prob. 4. Non est denegandum Angelorum, & hominum Reginæ, quod Deus concessit Angelis, & primis nostris Parentibus; sed hos produxit sine labe alicujus peccati in gratia sanctificante; ergo id etiam concedendum Angelorum & hominum Reginæ. Plures rationes pro hac conclusione passim invenies, præsertim apud P. Panger, qui integrum Catalogum PP. pro hac Conclusione affert. Habuit ergo B. V. Maria etiam Justitiam originalem prout sumitur pro illo dono, quod perfecte subdit rationem Deo, & appetitum sensitivum rationi, causatque carentiam fomitis, & inde resultantem tranquillitatem potentiarum. Caruit tamen impassibilitate, & immortalitate: quia ex voluntate Dei ad exemplum Filii sui variis pœnalitatibus hujus vitæ exerceri debuit.

191 Quæres: quænam cautelæ in discursibus, disputationibus, Concionibus, de Immaculata Conceptione sint adhibendæ? Resp. 1. Singulariter cuilibet de hac re præsertim publice loquenti esse attendendum, ut rite penetret ipsum Mysterium Immaculatæ Conceptionis. Audivi enim jam aliquando illud satis imperite ab aliquo fuisse confusum cum Virginitate Deiparæ, a qua tamen vel maxime differt.

Resp. 2. Sixtus IV. *Extravagante: grave nimis de Reliquiis, & veneratione Sanctorum*, tulit excommunicationem Papæ reservatam in eos, qui alterutram sententiam, id est, seu affirmativam, seu negativam immaculatæ Conceptionis dicunt esse hæreticam, aut ejus Assertores arguunt peccati mortalis.

Resp. 3. Paulus V. anno 1617. 31. Augusti prohibuit, ne ullus in publicis Concionibus, Lectionibus, Conclusionibus, aut aliis acti-

bus

bus publicis audeat asserere Beatissimam Virginem fuisse cum labe originali conceptam. Hanc prohibitionem Gregorius XV. anno 1622. etiam extendit ad colloquia & scripta privata; Qui tamen Gregorius PP. Dominicanis (non vero aliis) indulsit, ut possint inter se agere de sententia affirmante conceptionem maculatam Deiparæ.

Resp. 4. Concessum quidem est de sententia, quæ affirmat immaculatam conceptionem, prædicare, scriptis defendere &c. tamen simul est inhibitum a Sixto IV. & Paulo V. allegatis, ne asserentes in actibus publicis, v. g. Concionibus, & disputationibus publicis aliquo modo agant de sententia opposita, aut ejus rationes impugnent, vel solvant. Quod statutum est ad pacem inter DD. & Religiosos conservandam.

§. II.

An Beatissima Virgo Maria habuerit debitum proximum incurrendi maculam originalem?

Assero, & respondeo negative. Ita plurimi ex modernis con- 192
tra Mastrium, Hennonem, ac plurimos TT. Prob. 1. Voluntas B. V. Mariæ non fuit alligata voluntati Adami: ergo B. V. Maria non contraxit debitum proximum. conf. patet: quia juxta AAños quoque debitum proximum fundatur in illa alligatione. A. prob. 1. ex S. Scriptura. Esther 15. ubi, *noli metuere, non enim pro Te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Quæ juxta 70. Interpretes dicta sunt per figuram de B. V. Maria: ergo sicut Esther sub illa generali, & pro omnibus posita lege, cujus citato capite fit mentio, non fuit comprehensa, ita neque B. V. Maria sub lege, qua Deus alligavit omnium hominum voluntates voluntati Adami, fuit comprehensa. 2. Non decuit voluntatem Deiparæ, ac Reginæ totius mundi alligari voluntati Servi, qui longe minoribus donis instructus erat, quam illa ter Benedicta Mundi Domina: ergo &c. Proinde Adam respectu B. Virginis fuit tantum Caput physicum, non vero morale.

Prob. 2. Juxta S. Anselmum priori §vo. laudatum, decuit, ut *Bma. Virgo ea puritate niteret, qua major sub Deo nequit intelligi*; sed si non fuisset a debito hoc immunis, major potuisset puritas sub Deo intelligi.

Puritas enim teste D. Thoma est recessus a peccato; atqui debitum proximum est sat magnus accessus ad peccatum. Hinc fuisset major puritas in Virgine, si hoc debito caruisset: ergo.

Prob. 3. Bma. V. Maria non habuit peccatum originale; ergo neque debitum proximum ad illud. Conf. prob. quia etiam hoc maxime dedecet B. Virginem, utpote vi cujus actu in Adam, & cum Adamo peccasset, & semper in æternum verum esset, quod B. V. Maria peccaverit, & rebellis fuerit Deo.

Prob. 4. D. Augustinus l. 5. de libero arbitrio c. 5. ait: *quidquid vera ratione melius occurrerit, scire debemus Deum fecisse circa B. V. Mariam*; atqui melius est Ipsam non fuisse alligatam voluntati Adami, & cum hoc non peccasse: ergo.

Confirmatur. Bmæ. V. Mariæ debet concedi omnis gratia, quæ honori Dei, & Christi non repugnat; sed ista exemptio a debito proximo, & alligatione cum voluntate Adami non repugnat honori Dei, aut Christi, sed potius eum commendat: ergo. M. videtur patere ex Textu S. Augustini mox allegato. m. iterum patet, quia talis exemptio non repugnat honori Christi, cum propter Christum, & ex meritis Christi fuerit exempta, & præservata &c.

193 Objic. 1. Varii textus dicunt, omnes peccasse in Adamo: ergo etiam B. V. Maria peccavit in Adamo, & sic inclusa fuit ejus voluntati. R. D. a. & hi textus sunt intelligendi in sensu accommodo c. a. in sensu strictissimo n. a. Ratio, quod Textus isti in sensu accommodo, cum exceptione B. V. Mariæ debeant accipi, habetur ex nostris probationibus, & singulariter ex figura Esther; patet etiam ex eo, quia Ipsi AArii Textus universales loquentes de peccatis actualibus personalibus in sensu accommodo, cum exceptione B. V. Mariæ, sumunt; v. g. hunc Jacobi 3. *in multis offendimus omnes*: ergo etiam sic quoque restringi debent textus alii loquentes de peccato originali. Id, quod satis claret ex Trident. quod Seff. 5. *Decreto de peccato originali*, sub finem addit: *declarat tamen hæc Sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam, & immaculatam Virginem Mariam.*

Objic. 2. Si B. V. Maria non fuit inclusa in pacto cum Adamo in ordine ad contrahendum peccatum originale, tunc neque in ordine ad transfundendam Justitiam originalem; sed hoc est absurdum: ergo. R. c. M. & n. m. Cum B. V. Maria plus gratiæ acceperit, quam Adam,

Adam & ſit Regina omnium Sanctorum, & totius mundi, non congruebat, ut quoad primam ſuam gratiam & Juſtitiam originalem dependeret ab Adamo. Verbo: non decebat, ut Adam eſſet Caput morale etiam in favorabilibus reſpectu ſuæ, & omnium Reginæ.

Objic. 3. Si B. Virgo fuit exempta a pacto, tunc, etiamſi Ei in primo inſtanti Animationis ſuæ gratia non fuiſſet infuſa, tamen non contraxiſſet originale; ſed hæc ſequela non videtur admittenda: ergo. R. D. M. in alia providentia, & de potentia Dei abſoluta c. M. in moderna providentia, in qua homo eſt elevatus ad ſtatum gratiæ, & vel gratia ornatus, vel peccato inquinatus eſt, & in qua Chriſtus per merita ſua Matri ſuæ non ſolam exemptionem a pacto illo, ſed & omnem plenitudinem gratiæ impetravit, n. M. Non attendimus, quid in alia providentia fieri potuerit, ſed quid modo ſit factum, inquirimus.

§. III.

An B. V. MARIA ſaltem habuerit debitum remotum ad contrahendum peccatum originale?

Aſſero, & reſpondeo negative. Ita D. Thomas, Frances, Ovandus, Caſtillo, Salazor, Baſilius de Leon, Jodocus, Clitoveus, Serlogus, Guevarra, Martinus Perez, Sylveira, & aliqui Scotiſtæ in ſuis Theſibus Doctrinalibus, ac plures in manuſcriptis contra plures alios etiam Scotiſtas. 194

Prob. 1. Debitum remotum eſt aliqua neceſſitas, vel exigentia moralis, quam quilibet ex poſteris Adæ habet, ut cum reliquis in illo pacto cum Adamo de transfundendo peccato, vel Juſtitia originali includatur, atqui talem neceſſitatem & exigentiam B. V. Maria non habuit: ergo. m. prob. Vel enim B. Virgo habet hanc neceſſitatem moralem ob deſcenſum naturalem ex Adamo præciſe in ſe ſpectatum, vel ob deſcenſum illum, ut ſubſtantem Decreto divino? *non primo modo*; quia iſte deſcenſus, præſcindendo ab omni decreto, non ſufficit ad transfundendum aliquod peccatum in Poſteros; ſicut defacto deſcenſus naturalis nullius Parentis actuale peccatum in filios derivat. Neque *ſecundo modo* habuit hanc exigentiam, quia alias debitum remotum non eſſet diſtinctum a proximo: etenim debitum re-

motum aliquis non incurrit aliter, quam ob illum descensum naturalem, substantem decreto, vi cujus Deus decrevit posteros sic descensuros esse alligatos voluntati Adami.

Prob. 2. Adam non fuit Caput morale, nec decebat Ipsum esse caput morale respectu B. V. Mariæ: ergo B. V. Maria non potuit habere debitum, ut Ipsius voluntati includeretur, & ab ipso tanquam capite dependeret quoad Justitiam, vel maculam originalem. a. p. quia non decet, ut servus sit caput morale Reginæ, & ut illa, quæ in primo instanti suæ Conceptionis majorem habuit gratiam, quam omnes Sancti & Angeli habuerint in termino vitæ, vel viæ suæ, dependeret quoad primam gratiam ab Adamo, longe minoribus gratiis instructo.

Nostram sententiam etiam docet Gormaz Tract. de Incarnatione n. 818. ubi dicit: Quod Beatissima nec fuerit inclusa in pacto inito cum Adamo, nec habuerit debitum, ut includeretur: nam Deipara non debet dependere a voluntate Adami, ut gratia vel culpa in Eam transfunderetur. Ita Laudatus. & n. 920. addit: Deiparam tantum fuisse in potentia, ut comprehenderetur in pacto inito cum Adamo; habuit enim potentiam, & aptitudinem, ut non eligeretur in Matrem Dei, & sic, sicut alii posteri Adæ includeretur voluntati Adæ. Fuit tamen ab hac aptitudine, & potentia, vel periculo, ne in actum exiret, per Christum præservata, dum ob merita Christi in Matrem Dei est electa, & quidem ante absolute prævisum Adæ peccatum, imo ante alligationem voluntatis Posterorum ad voluntatem Adæ, prout inferius dicetur.

Neque hic confundi debet potentia & debitum: nos enim omnes habemus potentiam & aptitudinem peccandi mortaliter, non tamen habemus etiam necessitatem sic peccandi: ergo esto Deipara habuerit potentiam, & aptitudinem, ut includi potuisset voluntati Adæ, tamen non habuit debitum, vel necessitatem.

195 Objic. 1. B. V. Maria fuit redempta a Christo: ergo habuit saltem debitum remotum aliquod incurrendi originale. Conf. patet, quia teste D. Augustino, Hieronymo, & Gregorio omnis redemptio præsupponit aliquam captivitatem; sed Beatissima non posset dici aliquo modo captiva, nisi saltem debitum remotum ad originale habuisset: ergo.

R. D.

R. D. a. fuit redempta redemptione ſublevativa, & ſtrictiſſime tali, quæ præſupponit peccatum, n. a. redemptione præſervativa c. a. ſicut ergo duplex eſt medicina, una reparativa & curativa morbi contracti, altera præſervativa a morbo contrahendo, ſic duplex etiam datur redemptio, una ſublevativa, & reparativa creaturæ lapſæ, altera præſervativa a lapſu; ſic etiam Angeli boni præſervative dicuntur per Chriſtum redempti a lapſu in peccatum, non quidem originale, ſed actuale, ut habet S. Bernardus Serm. 22. in Cantica. *Qui erexit hominem lapſum, dedit S. Angelo ne laberetur, ſic illum a Captivitate eruens, ſicut hunc a captivitate defendens, & hac ratione fuit utrinque redemptor, ſolvens illum, & ſervans iſtum.*

Objic. 2. Non poteſt Chriſtus dici redemiſſe Angelos a peccato originali, quia nullum habebant hujus incurrendi debitum: ergo etiam non poteſt dici redemiſſe Beatiſſimam Virginem, ſi non habuit debitum. R. 1. Invertendo argum. Juxta D. Bernardum poteſt Chriſtus dici redemiſſe Angelos a peccato actuali, quia tantum habuerunt potentiam, non vero debitum peccandi actualiter: ergo a pari &c. R. 2. D. c. ſi non habuit debitum, neque periculum vel potentiam c. con. ſecus n. conſ. Angeli in moderna providentia neque habuerunt potentiam, vel periculum contrahendi originale; nam in moderna providentia tantum illi poſſunt contrahere, qui deſcendunt per propagationem ſeminalem ab Adamo, qualiter non deſcendunt Angeli, bene vero Bma. V. Maria.



Tractatus IV.

DE GRATIA, ET MERITO.

Tractatus hic de gratia, unus ex præcipuis eſt totius Theologiæ Chriſtianæ, ſive materiæ dignitatem, ſive utilitatem, neceſſitatemque ſive difficultates, quibus abundat, ſpectemus, ut advertunt omnes, qui rerum divinarum notitiam profitentur. Unde non levi oculo aſpiciendus, ſed ſedulo expendendus, memoriæque imprimendus

dus est, maxime iis, qui e Cathedra ad populum dicere habent; quippe si in ulla materia Theologica, certe in hac facillime impingitur, ac error, vel hæresis pro veritate Catholica proponitur, ut experientia sæpius jam docuit. Secabitur vero Tractatus iste in quatuor Dissertationes, quarum prima gratiæ actualis naturam & divisiones, Altera ejus necessitatem, tertia gratiam habitualem, quarta effectum gratiæ, seu actum meritorium discutiet.

Dissertatio I.

DE NATURA, ET DIVISIONIBUS GRATIÆ ACTUALIS.

196 Missis variis acceptationibus gratiæ, de quibus Grammatici, ad propositum magis proprie sumimus gratiam pro beneficio, quod gratis & sine debito datur. Hinc Apostolus ad Rom. 11. *Si gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia non est gratia.* In quem locum D. Hieronymus: *Gratia gratuitum munus appellatur.* Et D. Augustinus: *Ideo gratia, quia gratis datur.*

Gratia in hoc sensu sumpta alia est *naturalis*, ac *Philosophica*, seu est donum gratuitum naturale a Deo ut Auctore naturæ collatum. Talis gratia est beneficium Creationis, quod Deus nobis gratis, & sine ulla obligatione præstitit. Huc etiam spectat beneficium providentiæ naturalis specialis, qua Deus res creatas ita disponit, ut servato ordine naturali huic potius hæ, quam alteri occurrant occasiones, circumstantiæ, & cogitationes congruæ, quibus mediantibus vitatur aliquod peccatum, vel exercetur aliquod opus morale bonum, naturæ vires non excedens; vel intelligitur aliqua veritas, alioquin naturaliter cognoscibilis. Sic etiam usus rationis est donum gratuitum naturale; quia potuisset Deus ita ordinare causas secundas, ut ex iis privatio usus rationis fuisset naturaliter secuta. Verum de gratia Philosophica nobis non erit controversia. Igitur

Alia est gratia *Theologica & Supernaturalis*, quæ est donum supernaturale superans omnem naturæ exigentiam, seu debitum tam physicum quam morale, ac a Deo ut Authore supernaturali gratuito collatum in ordine ad beatitudinem supernaturalem. Ex quo habes: liberum arbitrium, usum rationis, & alias potentias naturales, quas bene-

beneficio creationis accipimus; ficut & concurfum generalem, quo Deus nobifcum concurrit ad fingulos noftros actus, non effe gratias Theologice tales: licet enim ifta omnia nobis gratis donentur, tamen funt naturæ & curfui naturali caufarum fecundarum aliquo modo debita, & a Deo ut Authore naturæ conferuntur. His fuppofitis

Articulus I.

Divifio gratiæ Theologicæ; ubi fpecialiter etiam de influxu gratiæ prævenientis.

§. I.

Gratia dividitur varie.

Primo dividitur in gratiam *gratis datam*, & *gratum facientem.* Quamvis 197
enim omnis gratia fit gratis data, tamen gratia gratis data antonomaftice vocantur illa dona fupernaturalia, quæ Deus quibusdam diftribuit in falutem aliorum. *Gratia vero gratum faciens* dicitur illa, quæ præcipue ordinatur ad fanctificationem, & falutem propriam illius, qui talem gratiam recipit. Tales gratiæ gratum facientes, de quibus hoc in Tractatu unice agimus, funt e. g. illuftrationes, & infpirationes fupernæ, ficut & gratia fanctificans &c.

Gratiæ gratis datæ numerantur novem a D. Paulo 1. cor. 12. ℣. 8. Prima eft, *Sermo Sapientiæ*, feu donum loquendi, & inferendi ex articulis fidei conclufiones circa altiffima Myfteria, & prædicata divina. 2da eft, *Sermo Scientiæ*, feu donum loquendi, ac inferendi ex principiis fidei conclufiones circa objecta creata. 3tia eft, *fides*, fumpta vel pro fiducia ad patranda miracula, vel pro dono proponendi bene, & clare fidei Myfteria, ut ea etiam rudes facile percipiant. 4ta eft, *gratia fanitatum*, feu fanandi morbos. 5ta eft, *Operatio virtutum*, feu Miraculorum celebriorum, qualia fecerunt Moyfes & Apoftoli. 6ta eft, *Prophetia*. 7ma eft, *Difcretio Spirituum*, feu intentionum, & affectionum, an fint a Deo, vel natura, aut Diabolo. 8va eft, *gratia linguarum*, feu loquendi variis & peregrinis linguis. 9na eft, *interpretatio Sermonum*, feu donum interpretandi S. Scripturas, vel capiendi linguas obfcuriores, & difficilio-

res. Aliæ ex his gratiis a Deo conceduntur permanenter per modum habitus, aliæ transeunter per modum actus, aut motionis.

Addit Herincx, aliquos cum D. Seraphico per nomen gratiæ gratis datæ interdum intelligere ipsam gratiam actualem; & per gratiam gratum facientem ipsam gratiam sanctificantem. Quod igitur notandum ad evitandam vocum æquivocationem. 2*do. Gratia gratum faciens*, accepta secundum superiorem & communissimam explicationem, dividitur in *habitualem*, & *actualem*, *habitualis* est qualitas supernaturalis inhærens permanenter homini, ipsumque formaliter sanctificans; hinc & gratia sanctificans appellari consuevit: quæ juxta Scotistas est ipse habitus infusus charitatis. Ad gratiam habitualem quoque reducuntur habitus per se infusi reliquarum virtutum Theologicarum. *Gratia actualis* est aliquid transiens, quo movetur, & adjuvatur homo ad bonum faciendum, & malum vitandum.

Gratia actualis iterum dividi potest in *internam & externam. Internam* constituunt illustrationes, intellectus, ac motus pii voluntatis, quos Deus ex speciali providentia supernaturali, vel ut Author supernaturalis operatur in nobis sine nobis, scilicet libere operantibus, vel cooperantibus. Quare nihil sunt aliud, quam actus nostri intellectus, & voluntatis indeliberati; ut §. II. dicetur.

Ad gratiam *externam* spectant Incarnatio Verbi divini, Sacramenta, exhortationes piæ, objecta, circa quæ versantur piæ illustrationes, vel affectiones animi, Providentia Dei, vel decreta, quibus nobis conferuntur auxilia Dei interna, & externa, specialis externa protectio Dei, distincta ab internis illustrationibus, & motibus quæ tantum removet extrinseca impedimenta bene operandi, & occasiones male agendi &c. Et quamvis plures ex gratiis externis modo recensitis in se sint permanentes, quia tamen homini quasi transeunter impenduntur media gratia interna actuali, ideo reducuntur ad gratiam actualem, ut observat P. Herincx p. 2. disp. 1. de gratia n. 7. De utraque hac gratia, nempe externa & interna optime loquitur D. Augustinus *libro* 50. *homiliarum hom.* 23. *circa medium: Si adulter non fuisti, hoc tibi dicit Dominus Deus tuus: regebam te mihi, servabam te mihi, ut adulterium non committeres. Suasor defuit, & ut suasor deesset, ego feci.* Ecce gratia externa, seu protectio specialis per remotionem occasionum peccandi. Prosequitur: *adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tem-*

pus

pus, ut non conſentires, ego terrui, videlicet per illuminationes & affe-ctiones internas a me gratuito immiſſas. En gratia interna!

Gratia Theologica prout complectitur habitualem & actualem poteſt etiam dividi in *gratiam Dei*, *& Chriſti*. *Gratia Dei* dicitur illa, quæ a Deo datur absque intuitu meritorum Chriſti, ſeu quam Chriſtus non eſt meritus. Tales gratiæ ſunt Unio Hypoſtatica humanitatis Chriſti ad Verbum; nec non gratia ſanctificans, lumen gloriæ, & viſio beatifica Chriſti quoad ſubſtantiam, quæ ſecundum communem Th. Th. Chriſtus ſibi non eſt meritus.

Gratia Chriſti eſt, quæ per Chriſtum, ſeu intuitu meritorum Ipſius data eſt; qualis eſt omnis gratia, & gloria hominum & Angelorum, ut in Tractatu de Incarnatione dici ſolet, & videtur indicare Apoſtolus ad Epheſios 1. ℣. 3. de Deo dicens: *Qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto.*

Alia iterum eſt gratia *Sanctitatis*, & alia *medicinalis*, ſeu medicinæ. Gratia *medicinalis* eſt, quæ datur lapſis in originale, qui per hoc ſunt redditi infirmi. Gratia Sanitatis eſt, quæ datur ſanis, non infectis labe originali. Gratia *Sanitatis* data fuit B. Virgini, Angelis, noſtris Proto-parentibus in inſtanti creationis, fuiſſetque nobis danda, niſi in Adam peccaſſemus.

Gratia actualis Theologica poteſt quoque ſecari in ſupernaturalem *quoad ſubſtantiam*, & *quoad modum*. Ita P. Henno. Prior, ſeu *ſupernaturalis quoad ſubſtantiam* eſt, quæ eſt ſupra omnes vires, & exigentiam naturæ, adeoque toti naturæ eſt indebita; talis eſt, quæ conceditur ad eliciendum actum intrinſece & in ſubſtantia ſupernaturalem, quales ſunt actus Fidei, Spei, & Charitatis. Altera eſt quidem entitative naturalis, ſed tamen quoad modum, & circumſtantiam, in qua confertur, eſt naturæ hic & nunc taliter diſpoſitæ indebita, & ideo ſupernaturalis quoad modum. Et talis eſt, quæ datur ad eliciendum actum alicujus virtutis moralis, v. g. fortitudinis, quem hic & nunc aliquis ſolis viribus naturæ ponere non poſſet. De quo adhuc plura dicentur.

§. II.

Quid ſit gratia præveniens, concomitans, & ſubſequens?

Dividitur denuo gratia actualis Theologica in prævenientem, 198
concomitantem, ac ſubſequentem. *Præveniens*, ſeu *excitans* eſt illa,

quæ antevertit consensum liberum voluntatis, & hanc quasi sopitam excitat, ac movet ad bene operandum. Hæc etiam alio nomine vocatur gratia *operans*, quia eam Deus operatur in nobis sine nobis libere cooperantibus. Alia est gratia *concomitans*, & est illa, qua Deus nobiscum actu concurrit ad actum bonum, & cum nobis operatur. Dicitur etiam alio nomine gratia *adjuvans*, vel *cooperans*. Utraque hæc gratia ex S. Scriptura & PP. colligitur. Sic Psalm. 20. meminit gratiæ prævenientis: *prævenisti eum in Benedictionibus dulcedinis.* & 1. Cor. 15. fit mentio gratiæ concomitantis: *laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Et D. Augustinus de utraque lib. de gratia & libero arbitrio, c. 17. ait: *Cooperando in nobis perficit, quod operando incipit. Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum operatur.*

Gratia subsequens dupliciter potest sumi; *primo* pro ea, quæ subsequitur justificationem, ut Justum in justitia confirmet, quamvis eadem simul sit præveniens respectu novi actus boni, ad quem excitat &c. in quo sensu loquuntur S. Aug. lib. de Nat. & gratia c. 31. dicens: *Prævenit, ut sanemur, & subsequitur, ut etiam sanati vegetemur.* Et S. Fulgentius lib. 1. ad Maximum c. 11. *Prævenit impium, ut fiat Justus; subsequitur Justum, ne fiat impius.* 2do. accipi potest pro ea, quæ subsequitur actum bonum, eumque fovet, & confirmat. Unde supponit gratiam prævenientem, & concomitantem, quamvis ipsa possit esse gratia præveniens, vel etiam concomitans respectu novi actus. Ad hunc sensum de gratia subsequenti loquitur D. Augustinus Enchirid. c. 32. *legitur in S. eloquiis: & misericordia Ejus præveniet me, & misericordia Ejus subsequetur me. Nolentem prævenit, ut velit; volentem subsequitur, ne frustra velit;* quatenus videlicet volentem in bono proposito confirmat. Hanc triplicem gratiam commendat etiam Trid. Sess. 5. c. 16. his verbis: *Ipse Christus JESUS tanquam Caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipsos justificatos jugiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera antecedit semper, & concomitatur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent.* H. N.

Quæritur specialiter in quo gratia antecedens interna consistat?

199 Assero 1. Omnis gratia interna actualis excitans aut præveniens ad opera salutaria consistit in solis actibus vitalibus intellectus, & affectionibus voluntatis: non vero in qualitate non vitali. Herincx p. 2. disp. 1. de gratia n. 6. Henno, Panger, Sannig & alii contra TTas docen-

docentes, gratiam actualem conſiſtere non ſolum in actibus intellectus & voluntatis, ſed etiam in qualitate ſupernaturali mortua, & tranſeunte, quæ per modum impulſus phyſici moveat, & concurrat ad actus.

Prob. 1. In quo conſiſtat gratia actualis interna debet deſumi ex S. Scriptura, Conciliis & PP. atqui S. Scriptura, Concilia & PP. non meminerunt alterius gratiæ actualis internæ, quam quæ conſiſtat in actibus intellectus & voluntatis: ergo gratia actualis interna ſolum in his actibus conſiſtere poteſt. M. eſt certa; quia doctrina de gratia ſolum poteſt, & debet deſumi ex revelatione; quid autem Deus revelarit, colligi debet ex S. Scriptura, Conciliis, & PP. m. prob. Sacra Scriptura, PP. ac Concilia vocant gratiam vocationem, quæ non eſt qualitas mortua, ſed actus intellectus, quo cognoſcimus veritatem. Iterum eam appellant illuminationem, vel illuſtrationem, ſuaſionem, ſapientiam, cognitionem; quæ iterum ſunt meri actus intellectus. Deinde appellant gratiam delectationem ſuavem, timorem, amorem, immutationem affectus, quæ ſunt actus voluntatis. Audiantur Ipſi Textus. S. Paulus ad Eph. 1. de gratia auxiliante pertinente ad intellectum dicit: *Deus det vobis Spiritum Sapientiæ, & revelationis in agnitione ejus; illuminatos oculos cordis veſtri, ut ſciatis.* Joan. 7. *Omnis, qui audivit a Patre meo* (ſcilicet per illuſtrationem intellectualem) *& didicit, venit ad me.* Et Trident. Seſſ. 6. c. 5. Appellat gratiam actualem *vocationem, qua adulti nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur*; & paulo poſt: *Spiritus S. illuminationem.* Et Concilium Milevit. can. 4. *utrumque eſt donum Dei, & ſcire, quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus.* Et D. Aug. l. 2. de peccatorum meritis & remiſſione c. 19. *Cum a Deo adjutorium precamur, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat, quod latebat, & ſuave fiat, quod non delectabat.* Idem S. Aug. lib. de gratia & libero arbitrio, gratias vocat *cogitationes bonas.* Et Tract. 26. in Joan. ait: *hominem ad Chriſtum trahi voluptate, & amore.* Tandem D. Proſper contra Collatorem c. 14. in illud Joan. 6. *Nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum,* ita loquitur: *trahit ad Deum timor, initium enim Sapientiæ timor Domini; trahit lætitia, quoniam lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi; trahit deſiderium, quoniam concupiſcit, & deficit Anima mea in Atria Domini; trahit delectatio lectionis, quam dulcia enim faucibus meis eloquia tua? quis perſpicere, aut ennarrare poſſit ad quos affectus viſitatio Dei animum ducat humanum, ut, quæ fugiebat, ſequatur, quæ oderat, diligat, quæ faſtidiebat, eſuriat?* qui textus omnes loquuntur de gratia in actibus

vita-

vitalibus intellectus & voluntatis confiftente; nullus vero mentionem facit qualitatis alicujus mortuæ: ergo.

200 Affero 2. Actus ifti intellectus, & voluntatis, in quibus confiftit gratia áctualis producuntur a Deo fpeciali concurfu, 2. Intellectu & voluntate creata phyfice quidem, 3. non tamen deliberate concurrente. Ita Authores citati. Prob. 1. memb. gratiæ actuales funt dona fupernaturalia: ergo non ordinario, fed fpeciali vel extraordinario concurfu Dei in nobis efficiuntur. c. patet; quia concurfus ordinarius & generalis fpectat ad donum creationis, & confervationis, feu non eft fupra naturam; adeoque non fufficit ad productionem gratiæ, quæ eft fupra naturam. 2. S. Scriptura, PP. & Concilia gratiæ productionem fpecialiter Deo adfcribunt. Sic Pfalm. 120. dicitur: *Auxilium meum a Domino*; & Araufican. II. *multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo.* & D. Aug. Serm. 61. c. 1. *gratia Dei donum eft*: ergo gratia a Deo fpecialiter in nobis efficitur.

Prob. 2. *memb.* Quod intellectus & voluntas etiam phyfice concurrant ad productionem gratiæ actualis in nobis. Gratiæ iftæ funt actus vitales intellectus & voluntatis: ergo connaturaliter exigunt produci a potentia vitali fimul concurrente. Et efto, quod de potentia abfoluta ejusmodi actus juxta SS. poffint a folo Deo effici, quod tamen alii negant; nihilominus nulla eft neceffitas, ut a folo Deo efficiantur: ergo non debent fruftra multiplicari miracula, fed potius cenfendum eft, quod efficiantur a Deo, concurrentibus fimul potentiis vitalibus, fcilicet intellectu & voluntate, qui modus his actibus eft magis conveniens.

Prob. 3. *memb.* Quod concurfus intellectus, & voluntatis non fit liber, vel deliberatus, confequenter neque moralis, neque homini imputabilis; ficut & motus primo primi concupifcentiæ, eoquod præveniant omnem deliberationem, & libertatem, homini nequeunt imputari ad vituperium, vel laudem, pœnam vel præmium. Probatur igitur hoc 3. membrum: fi iftos actus, in quibus confiftit gratia, eliceremus deliberate, & libere, feu ex libera determinatione, tunc illi nobis, & noftræ determinationi adfcriberentur, & fic gratiæ prævenientis, ac falutis exordium effet a nobis, quod Pelagianum eft: ergo. A. conftat, quia etiam alii actus, qui ex noftra determinatione libera procedunt nobis imputantur. 2. Si libere, & deliberate concurreremus ad gratiam, non poffemus amplius explicare

istos Textus D. Augustini, qui lib. de gratia & lib. arbitrio c. 17. ait: *ut velimus, Deus sine nobis operatur:* Et Concilii Arausicani dicentis: *quod multa bona in homine fiant, quæ non facit homo;* sed isti debent posse explicari: ergo. M. constat, quia ut dictum est, gratiæ actuales a nobis etiam physice coefficiuntur: ergo debet dici, quod Deus eas in nobis operetur sine nobis moraliter, meritorie, imputabiliter, aut deliberate concurrentibus. 3. Juxta communem Th. Th. gratia excitans, & præveniens est, quæ antevertit liberum voluntatis consensum: ergo non potest esse nobis libera, alias ipsam liber voluntatis consensus anteverteret. Ex his

Colligis 1. gratiam supernaturalem actualem ex parte intellectus posse consistere tam in apprehensione aliqua vivida objecti, allicientе, uti etiam in judicio aliquo &c.

Colligis 2. Aliquos motus voluntatis, & actus intellectus, qui dicuntur gratiæ, posse esse naturales quoad substantiam, & supernaturales quoad modum, ut si concurrant ad actus mere naturales, vel ad supernaturales quoad modum, v. g. ad actum temperantiæ quoad substantiam eliciendum tempore tentationis tam gravis, ut solis viribus naturalibus vinci nequeat.

Objic 1. Isti actus supernaturales intellectus & voluntatis, qui dicuntur a nobis gratiæ actuales, deberent causari ab omnipoten- 201
tia divina extraordinarie, & specialiter extrinsece concurrente; atqui hoc non potest dici: ergo. m. prob. quia melius, & connaturalius causarentur per aliquem habitum supernaturalem intrinsece cuilibet inhærentem; sicut & actus Fidei, Spei, & Charitatis, ac ipsa visio beatifica melius & connaturalius causantur per habitum intrinsece inhærentem, & infusum. R. c. M. n. m. Si de gratia præveniente & excitante sit sermo, de qua hic loquimur. Non est paritas inter gratias prævenientes, & visionem beatificam; nam hæc producitur ab intellectu permanenter, adeoque exigit comprincipium Supernaturale intrinsecum permanens, ut connaturalius eliciatur: econtra vero illustrationes & inspirationes supernaturales excitantes sunt actus transeuntes: ergo non requirunt comprincipium intrinsecum permanens, sed satis est omnipotentia divina specialiter assistens. Deinde ipsi habitus Fidei & Spei sunt quasi sopiti, & non exeunt in actum nisi per gratiam actualem excitentur. Idem dicendum foret

de alio habitu supernaturali, si infunderetur: proinde gratia excitans non potest provenire ab ejusmodi habitu.

Obiic. 2. Juxta Concilia & PP. gratia fit in nobis sine nobis: ergo nos non concurrimus ad gratiam in nobis efficiendam. R. D. a. fit in nobis sine nobis libere & meritorie cooperantibus c. a. sine nobis physice cooperantibus n. a. quod non fit libere, non dicitur fieri ab homine; quia non fit ab eo, qua homo est, seu humano modo. Sic Apostolus ad Rom. 7. dixit: *non quod volo malum, hoc ago*: quia non libere, & deliberate id agit, quamvis physice velit, & agat. & Math. 10. dicitur: *non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*; quia scilicet quamvis physice ad locutionem concurrant Martyres, non proinde dicantur loqui, quia non loquuntur libere.

Dices: ex nostra sententia sequeretur, exordium salutis nostræ & conversionis esse a nobis; quia nos concurreremus ad gratiam excitantem; atqui sequela est damnata: ergo. R. iterum sicut prius, sequeretur, exordium salutis esse a nobis physice tantum & partialiter concurrentibus c. M. moraliter, libere ac imputabiliter n. M. ratio distinctionis patet ex dictis.

Objic. 3. Gratia excitans est pulsatio januæ, sed pulsatio est a solo pulsante: ergo & gratia excitans est a solo Deo pulsante. M. patet ex illo Apoc. 3. ℣. 20. *Sto ad ostium & pulso.* R. 1. Etiam pulsatio januæ est a janua saltem passive concurrente. 2. Esto, quod vocatio, & pulsatio moralis & externa sit a solo vocante, vel pulsante, tamen vocatio, & pulsatio interna & vitalis consistens in vitali illustratione intellectus, & inspiratione voluntatis exigit etiam partialiter esse ab intellectu, & voluntate pulsata. Potest etiam 3. distingui sicut prior objectio, dicendo: quod gratia sit a solo pulsante ut libere operante, quin per hoc excludatur physicus concursus illius, qui interne pulsatur, & excitatur.

Objic 4. Gratia excitans consistens in qualitate mortua non est impossibilis: ergo ea admitti debet in hac providentia. R. N. c. a potentia ad actum non est bona argumentatio, maxime quando pro tali actu non habetur sufficiens ratio.

Objic. 5. Habitus, licet sint qualitates mortuæ, possunt inclinare intellectum, & voluntatem ad operationem: ergo etiam gratia id posset, si consisteret in qualitate mortua. R. Si totum Enthyme-

ma

ma transmittitur, nihil contra nos inferri; ex illo enim solum sequitur, possibilem esse gratiam consistentem in qualitate mortua, non vero sequitur, eam actu dari.

Objic. 6. Saltem ejusmodi qualitas mortua, quæ esset gratia excitans, non est contra Concilia & P.P. ergo. R. 1. N. c. nam ad hoc, ut aliquis effectus supernaturalis asseratur ut existens, non tantum debet non repugnare Conciliis, Scripturæ, & PP. sed etiam debet positivum fundamentum habere in Scriptura, PP. & Conciliis. R. 2. N. a. nam munera illa, quæ a Scriptura, PP. & Conciliis, in probatione nostra allegatis, tribuuntur gratiæ excitanti, possunt solis actibus vitalibus intellectus, & voluntatis, non vero qualitati mortuæ convenire.

Objic. 7. Dato etiam, quod actibus intellectus tribuenda sit ratio gratiæ excitantis, non tamen est tribuenda etiam actibus voluntatis: ergo. a. prob. inclinatio voluntatis connaturaliter sequitur illustrationem intellectus supernaturalem: ergo hæc inclinatio & inspiratio voluntatis jam includitur in gratia illustrationis, sicut in dono creationis includuntur reliqua dona proprietatum naturalium, quæ ad creationem consequuntur. R. N. a. universaliter acceptum; gratia inspirans in natura lapsa est diversa a gratia illustrationis. Etenim ordinarie post lapsum per illustrationes supernaturales solas tantum imperfectissime inclinamur ad bona æterna, ob infirmitatem nostræ naturæ, ac concupiscentiam repugnantem &c. Unde regulariter saltem præter illustrationem intellectus indigemus gratia sanante voluntatem a Vulneribus peccati originalis, & inclinante eam cum delectatione ad prosequenda bona superna, sicut oportet. Quod confirmat D. Augustinus lib. de Spiritu & littera, c. 3. ita scribens: *Cum id, quod agendum, cœperit non latere* (videlicet ob illustrationem) *nisi etiam delectet, & ametur, non agitur, non surgitur.* & c. 4. docet, mentis illustrationem nihil ad bene agendum prodesse, ubi Spiritus S. non adjuvat voluntatem, *inspirans pro concupiscentia mala, concupiscentiam bonam.* Ex quibus habetur, saltem ordinarie, aut plerumque præter illustrationem supernam intellectus, requiri etiam pium motum voluntatis ad opus bonum. Ex his

Inferes cum nostro Frassen t. 3. t. 2. d. 2. a. 3. Sect. 3. §. 3. Discrimen esse inter gratiam in statu naturæ integræ, seu innocentis, & 202
in statu naturæ lapsæ, seu inter gratiam sanitatis, & medicinalem.

Nam in statu innocentiæ ad bonum operandum Adamo præter gratiam sanctificantem, & illustrationem ex parte intellectus non fuisset necessaria alia affectio, delectatio, vel gratia supernaturalis ex parte voluntatis, cum hæc ob carentiam fomitis peccati & concupiscentiæ, & Justitiam originalem solo per illustrationem supernam ostenso objecto bono fuisset satis expedita ad illud prosequendum delectabiliter, & sine difficultate. Hoc autem universaliter saltem non est verum pro statu naturæ lapsæ ob vulnera ejus a peccato originali relicta, & rebellem concupiscentiam, contra quam voluntas per specialem inspirationem, & delectationem supernaturalem inclinari debet ad bonum supernum; ut laudatus Frassen multis textibus ex D. Aug. ostendit.

§. III.

Quomodo influat gratia excitans, ac præveniens in Actus salutares?

203 Assero: gratia interna excitans, ac præveniens solum moraliter movendo, & alliciendo, non autem physice efficiendo influit in actus bonos. Suarez, Herincx, Henno, & alii plurimi, Antonius Mayr contra Krisper, Viva & alios.

Prob. 1. Gratia excitans juxta nos consisteret in actibus vitalibus intellectus, & voluntatis, seu in piis cognitionibus, & affectibus; atqui isti actus non videntur posse aliter influere in actus bonos, ac meritorios voluntatis, aut intellectus, quam moraliter suadendo, & alliciendo: ergo. m. prob. 1. quia alias cogitationes tantum suadendo, & actus voluntatis tantum imperando, vel invitando, aut alliciendo, consequenter moraliter in alios actus influunt. Quare a Scotistis in Philosophia docetur, quod actus intellectus tantum moraliter ostendendo objectum, concurrat ad actum voluntatis. 2. Etiamsi actus voluntatis possit imperare intellectui, tamen non potest ad ejus actum v. g. fidei, physice concurrere.

Prob. 2. Si gratia excitans physicum influxum haberet in actus salutares, v. g. Fidei, Spei, & Charitatis, tunc etiam hunc influxum exerceret in Peccatore gravi, & Justo, & sic ratione talis physici influxus illi actus jam forent supernaturales; atqui sequela non videtur admittenda; quia alias habitus Fidei, Spei, & Charitatis non darent

darent simpliciter posse, quia supernaturalitas talium actuum aliunde posset haberi per concursum physicum solius gratiæ actualis. Quare dicendum est, quod gratia actualis tantum moraliter ad actum salutarem concurrat, habitus vero per se infusi physice, vel in gravi Peccatore, aut alio, qui habitibus per se infusis destitutus est, illorum concursum suppleat omnipotentia divina, specialiter & extraordinarie extrinsece concurrens.

Objic. 1. D. Paulus ait: non ego, sed gratia Dei mecum: ergo 204
gratia Dei vere nobiscum efficit actus salutares. R. D. a. non ego, sed gratia Dei mecum moraliter agit c. a. physice agit; *subd.* si per gratiam intelligantur sola auxilia actualia consistentia in actibus vitalibus intellectus & voluntatis nostræ n. a. si per gratiam intelligantur etiam habitus supernaturales Fidei, Spei, & Charitatis, vel aliquis concursus Dei specialis, & extraordinarius suppleret vices ejusmodi habituum, quæ omnia etiam ad ordinem gratiæ spectant, & nomine gratiæ sæpe veniunt c. a. Deinde gratia per solum influxum moralem vere dicitur operari, vel cooperari nobis; nam & causa moralis est vera causa; sic & consulentes, & mandantes, quamvis eorum influxus sit mere moralis, vere dicuntur causare actus illos, quos consulunt, vel mandant.

Objic. 2. D. Aug. in illud ad Rom. 8. *Qui Spiritu Dei aguntur*, ait: nos per gratiam non tantum regi, sed agi; ergo gratiæ tribuit majorem vim, quam moralem; nam vis moralis per to *regi*, & physica per to *agi*, indicatur. R. D. Augustinum ibi loqui contra Pelagianos, & Pelagium; juxta quos humana voluntas propriis viribus naturalibus regitur, vel ad summum dirigitur *per legem & doctrinam externam.* Contra hos docebat S. Augustinus, nolentem non solum sic regi, sed & agi, scilicet per gratiam internam, quæ cum homini non sit libera, nec ei moraliter imputari possit, ideo dicitur homo per eam potius agi, quam agere.

Objic. 3. Omnis cognitio vel affectio per se dirigens ad agendum, influit physice in actum: ergo etiam illustratio & inspiratio gratiæ internæ. R. N. a. tales enim cognitiones sunt tantum conditiones in genere physico, & in solo genere morali exercent causalitatem respectu aliorum actuum; maxime, quando actus dirigens & directus se tenent in diversis potentiis, & alia specialis ratio adest, uti adest in præsenti materia respectu actuum salutarium, ad quos gratia actualis excitans concurrit, vel dirigit.

Objic. 4. Cognitio præmissarum est causa physica conclusionis in Syllogismo: ergo etiam illustratio superna potest esse causa physica actus salutaris. R. N. a. Cum P. Henno, & communi Philosophorum; sufficit enim sola causalitas moralis præmissarum in ordine ad conclusionem; quæ sententia mihi longe verior videtur, quam opposita.

Objic. 5. Juxta nos Illustrationes divinæ neque essent causæ morales; non enim cognitio rei causat, & movet, sed tantum est applicatio motivi, vel objecti moventis: ergo juxta nos gratia tantum esset conditio, non vero causa moralis. R. N. a. Ejusmodi illuminationes, & inspirationes supernæ sunt quasi locutiones, consilia, aut mandata Dei, quibus nobis suadet, aut præcipit aliquid faciendum, aut omittendum: ergo si in naturalibus ista consilia, & non motiva consiliorum, ipsa præcepta, & non sola Authoritas præcipientis, sunt causæ vere morales, cur non etiam sint in supernaturalibus istæ illuminationes, & inspirationes saltem in concreto una cum objecto, & quatenus repræsentativæ objecti. Quamvis cognitio finis non sit causa finalis, tamen potest esse causa moralis, saltem in concreto cum objecto, quia sic movet ista cognitio finis; quia est.

Objic. 6. Liberum arbitrium non est solum insufficiens in genere morali, sed etiam in genere physico: ergo debet in utroque hoc genere adjuvari a gratia actuali. R. D. c. nisi hæc insufficientia satis tolleretur per concursum habituum supernaturalium, vel omnipotentiæ divinæ extrinsece speciali concursu applicatæ c. c. secus. n. c. Ex his

Habes: gratiam excitantem posse etiam esse adjuvantem, & cooperantem videlicet moraliter, non vero physice; quia hæc gratia, si sit efficax, vere moraliter influit in actum salutarem, & moraliter ejus positionem adjuvat. Præter gratiam moraliter adjuvantem etiam admitti debet aliqua alia physice cooperans, quæ a gratia excitante, & præveniente distinguitur: etenim talis gratia physice cooperans vel sunt habitus supernaturales per se infusi, vel omnipotentia divina specialiter extrinsece concurrens; atqui tam habitus illi, quam omnipotentia distinguuntur ab actibus illis vitalibus intellectus & voluntatis, in quibus gratia præveniens, & excitans ac moraliter adjuvans consistit: ergo. Videatur Antonius Mayr Tract. 6. n. 37. Herincx & Henno.

Arti-

Articulus II.

Recenſentur breviter errores Hæreticorum circa gratiam, per decurſum refellendi.

Jam in Prolegomenis, ubi actum eſt de Pelagio, Semi-Pelagianis, & Janſenio, plura ſunt de his erroribus tacta, ubi videri poſſunt. Ut nihilominus hic ſub aſpectum denuo ponantur, conſultum duxi. Igitur incipiendo a Pelagianis, eorum errores in quatuor ſtatus diſtingui petunt. Primus igitur eorum ſtatus fuit, in quo omiſſo nomine gratiæ aſſeruerunt, naturales vires liberi arbitrii ſufficere ad ſervanda mandata, vincendas omnes tentationes, præſtanda opera cunctarum virtutum, & obtinendam ſalutem æternam. Id quod ex D. Auguſtino diſcimus, qui ſerm. 11. de verbis Apoſtoli ſic loquentes Pelagianos inducit: *Ipſi fecimus nos, id eſt, ut juſti eſſemus, juſtos nos libera voluntate fecimus; quando conditi ſumus, liberum arbitrium accepimus, ut ergo juſti ſimus, libero id arbitrio agimus.*

Status alter eſt: in quo Pelagiani ad vitandam notam hæreſis, & decipiendos Catholicos, nomen gratiæ quidem uſurparunt, ſed per hanc ſolum intellexerunt liberum arbitrium, quod gratis illud nullis noſtris præcedentibus meritis accipiamus. Id iterum nos docet D. Auguſtinus Sermone 11. de verbis Apoſtoli: ubi, poſtquam præmiſit, Pelagianos per omiſſum nomen gratiæ apud pios & Catholicos offenſionem incurriſſe, ad tales argutias deveniſſe, dicit, ut ita diſcurrerent: *Non contra gratiam Dei* (ſic loquentem S. Doctor inducit Pelagianum, & ei reſpondet) *diſputo. Unde probas autem? eo ipſo, inquit, non contra gratiam Dei diſputo, quod liberum arbitrium defendo. Vide acumen, ſed vitreum, quaſi luceret vanitate, ſed frangitur veritate.*

In ſtatu tertio Pelagiani a Chriſtianis vere fidelibus reprehenſi, quod nullam præter liberum arbitrium agnoſcerent legem, adduxerunt legem & Doctrinam Chriſti, ac tandem remiſſionem peccatorum, quibus & adjecerunt exempla Chriſti. Ut conſtat ex Concil. Carthag. IV. & S. Aug. variis in locis. Imo & hanc legis, Doctrinæ, & exemplorum gratiam non dixerunt abſolute neceſſariam, ſed & ſine illa ſufficere liberum arbitrium. Ita D. Aug. lib. de gratia Chriſti, c. 41.

In quarto & ultimo ſtatu Pelagiani præter peccatorum remiſſionem, & externam gratiam legis & doctrinæ, ac exemplorum Chri-

fti, admiferunt gratiam internam illuftrationis: fic Auguftinus teftatur, dum lib. de gratia Chrifti, c. 7. hæc Pelagii verba adducit: *Adjuvat nos Deus per Doctrinam, & revelationem fuam, dum cordis noftri oculos aperit, dum nobis, ne præfentibus occupemur, futura demonftrat, dum Diaboli pandit infidias; dum nos multiformi dono gratiæ cœleftis illuminat.*

Verum hanc internam illuftrationem cum duplici errore fuftinuere Pelagiani. Primo enim dicebant eam non effe neceffariam nifi ad facilius agendum bonum, ut D. Auguftinus notat lib. de hærefi 80. & docet, Pelagianos nullam aliam gratiam neceffariam agnoviffe, nifi liberum arbitrium, quod Deus per folam & legem, & doctrinam five exterius, five interius illuftraret ad facilius poffe. 2do. Dicebant illuftrationis gratiam obtineri folis operibus mere naturalibus, unde negabant, eam effe gratuitam, ut teftis eft D. Auguftinus l. de gratia & libero arbitrio c. 14.

Igitur Pelagianorum errores circa gratiam, quibus conftanter & pertinaciter adhæfere, in eo confiftebant, quod negarent neceffitatem, & gratuitatem gratiæ internæ, maxime afficientis voluntatem, cujus ne quidem exiftentiam admiferunt, aut certe non nifi cum duplici illo errore mox recitato.

Infuper, licet Pelagius cum fuis fequacibus admiferit gratiam fanctificantem, dicit enim apud Auguftinum: *non ideo parvulos baptizari, ut remiffionem accipiant peccatorum* (peccatum enim originale negabat) *fed ut fanctificentur* (per gratiam habitualem) *in Chrifto;* attamen nunquam agnovit habitus per fe infufos Fidei, Spei, & Charitatis, qui darent fimpliciter poffe ad actus falutares: femper enim putavit liberum arbitrium cum lege & doctrina &c. five forinfecus, five interius propofita fufficere ad actus falutares omnes. Unde

206 Janfenius Iprenfis Epifcopus ut fuæ gratiæ neceffitanti præluderet falfo docuit lib. 5. de hærefi Pelagiana; Pelagianos admififfe gratiam internam etiam voluntatis, feu infpirationis, fed quæ relinqueret indifferentiam activam; quam ob rem infert, Catholicos & Auguftinum nunquam contendiffe cum Pelagianis de adjutorio gratiæ, quacum maneret indifferentia activa voluntatis, fed de auxilio neceffitante, & excludente indifferentiam activam, quam Ipfe Janfenius paffim vocat dogma Pelagianorum. Verum hoc falfum eft: nam S. Auguftinus, & Catholici non contendebant cum Pelagianis de gratia neceffitante, fed præcife de adjutorio immediato ex parte volun-

tatis,

tatis, eam præveniente, excitante, & corroborante, quod esset necessarium ad omnes actus salutares eliciendos, & mere gratuitum. Sic patet ex D. Aug. in variis locis, ut l. de natura & gratia, c. 65. & l. 2. de nuptiis & concupiscentia c. 3. & ex Concilio Milevitano, quod can. 4. Pelagianorum errorem circa gratiam damnat his verbis: *Quisquis dixerit, gratiam Dei per JEsum Christum Dominum nostrum, propter hoc nos tantum adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur, & aperitur intelligentia, mandatorum, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus; non autem per illam præstari, ut, quod faciendum cognovimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, Anathema sit.*

De Semi-Pelagianis hæc recapitulanda sunt. Cum S. Augusti- 207 nus Pelagianos ubique proscriptos insectaretur, aliqui scriptis Ejus commoti sunt, maxime Monachi Adrumetini in Africa, quasi liberum arbitrium per gratiam destrui doceret: sed libris editis de gratia, & libero arbitrio, & de correptione & gratia, & ad Valentinum in Monasterio Adrumetino Superiorem missis, illos facile placavit.

Multo difficilius compesci poterant Monachi Massilienses in Gallia, scandalum passi ex libro Augustini de correptione & gratia; Qui novum bellum instaurarunt eo periculosius, quo erant Viri magis pietate, & doctrina insignes teste S. Prospero Epist. ad S. Augustinum. Hi in punctis præcipuis Pelagio contradicebant: admittebant enim peccatum originale, & gratiæ necessitatem, saltem ad perficiendum, & consummandum opus salutare. Semi-Pelagianorum, vel Massiliensium errores ad quatuor præcipue capita reduci possunt. 1mo. Initium Fidei, & voluntatem aliquam salutis obtinendæ, bonumque desiderium, & bonam cogitationem a nobis esse autumabant, ac naturæ tribuebant, quia tamen ejusmodi actus nondum satis perfecti sunt, non inter opera justitiæ eos numerabant. Et hic fuit eorum error capitalis, ita S. Prosper in Epist. ad S. Augustinum, & S. Hilarius in Epist. ad Eundem. 2do. Inferebant discretionem Electorum, & meritum a propria voluntate initium habere. S. Prosper ibidem. 3tio. Perseverantiam finalem non esse singulare donum Dei, sed esse in potestate naturali cujuslibet perseverare in bono usque ad mortem. Ita S. Hilarius in Epist. ad S. Augustinum. 4to. Parvulos sine baptismo decedentes asserebant privari vita æterna, quia Deus eos, si in vita superstites manerent, prævidit futuros malos: unde propter conditionate prævisa demerita eos Deus voluit ad baptismi gra-

tiam non pervenire, & sic esse exclusos a beatitudine. Hoc tamen notes, velim, celeberrimam Societatem Jesu, dum scientiam mediam adstruit cor d tionatam, nihil habere commune cum memorato commento Semi-Pelagianorum.

Contra Semi-Pelagianos expresse scripserunt S. Augustinus lib. de dono perseverantiæ, & de prædestinatione Sanctorum. S. Prosper, S. Leo, & alii bene multi; ac tandem Sententiam contra Eos tulit Concilium Arausicanum II. Anno 529. Celebratum sub Felice IV. & a Bonifacio II. confirmatum, editis circa gratiam & liberum arbitrium 25. canonibus. Atque tunc primum Semi-Pelagiani velut hæretici habiti sunt. Verum ante illud tempus Ipsi tanquam Viri egregii, Pietatis, eruditionis, & ingenii laude celebres sunt habiti: ut testes sunt SS. Augustinus, & Prosper. Prior lib. de dono perseverantiæ c. ult. & lib. de prædestinat. SS. c. 1. *Eos Fratres, ac Dilectores suos, & Pelagianæ hæreseos impugnatores vocat.* S. Prosper epist. ad S. Augustinum, & lib. contra Collatorem, *Eos dicit Catholicos, Sanctos, spectatæ Auctoritatis Viros.* Præterea Cassianus Faustus, & Vincentius ac Gennadius Massilienses Presbyteri, sicut & Sulpitius Severus, teste Sianda juxta concordem Scriptorum sententiam ab errore suo resipuisse asseruntur. Peculiariter Cassianus, qui collationes Patrum vulgavit, inde a Prospero Collator dictus, qui Semi-Pelagianorum errores Collationi 13. diserte immiscet, obiit cum magna Sanctitatis opinione; & a S. Gregorio l. 6. epist. 12. Sanctus appellatur, & Urbanus V. Cassiani caput argentea Theca inclusum, hac epigraphe ornari voluit: *Caput S. Cassiani.* Atque illius memoria colitur Massiliæ 23. Julii.

308 Hactenus recensiti sunt, qui errarunt circa gratiæ nomen, necessitatem, & gratuitatem; nunc & eos recensere oportet, qui male senserunt circa ipsius agendi modum. Vocantur hi *Prædestinatiani*, vel, ut alii loquuntur, *Prædestinati*, ab impia sua doctrina sic vocati.

Hi ex scriptis S. Augustini adversus Semi-Pelagianos male intellectis, dixerunt 1. Deum Prædestinare ad damnationem æternam, quæ est mors secunda, & ad peccatum, quæ est mors prima. *2do.* Liberum arbitrium hominis post Adæ peccatum esse extinctum. *3tio.* Deum non velle salvare, nisi Electos. *4to.* Christum tantum mortuum esse pro Electis. Hæresis hæc ad finem tendente Sæculo V. in Gallia nata, & propugnata est a Lucido quodam Presbytero, Maximo, & aliis non nullis: ita patet ex Epistola Fausti Reiensis, quæ habe-

habetur in Bibliotheca Patrum tom. 8. pag. 524. edit. Lugdunensis. Habetur etiam in libello emendationis ejusdem Lucidi ad Episcopos Gallicanos, quo prava sua dogmata, mox recensita, ejurat. Quæ & damnata sunt in duobus Conciliis Arelatensi circa annum 475. & Lugdunensi, circa eundem annum; vel, ut alii volunt, circa annum 490. celebratis. Diu sopitam Prædestinatorum hæresin Sæculo IX. in Gallia, Carolo Calvo regnante, iterum resuscitavit Goteschalcus, a Rhemensi Episcopo in Carcere Monasterii Altivillarensis inclusus, tandem in contumacia sua mortuus est, ut testatur Hincmanus lib. de non Trina Deitate.

De Wicleffi, Lutheri, & Calvini erroribus jam est satis actum 209
in Prolegomenis Theologiæ. ibi videatur.

De Jansenio Iprensi pariter jam multa sunt dicta in iisdem Prolegomenis Theologiæ. Nihilo tamen secius hic non erit incongruum, paucis sistema ejusdem gratiæ inimicum dare. Itaque Jansenius Iprensis iisdem prope nixus principiis ac Calvinus, tuetur gratiam per se efficacem, eamque necessitantem: etenim ejus efficaciam repetit a delectatione cœlesti indifferentiam voluntatis activam absorbente; nam secundum Illum, si delectatio illa sit superabundans, seu superior, vincit terrenam sibi oppositam, & necessario applicat voluntatem ad actum bonum; unde eam vocat victricem: secus vero si concupiscentiæ excedat delectatio: v. g. si adsunt quatuor gradus concupiscentiæ terrenæ, gratiæ vero solum duo, delectatio terrena vincit cœlestem, & necessario compellit atque determinat voluntatem ad peccatum. Verum non credit hanc necessitatem adversari libertati; quæ teste Jansenio in eo est posita, ut homo agat voluntarie, & spontanee; non autem electionem, & indifferentiam actus ad rationem libertatis exigit Novator: seu exigit duntaxat ad libertatem, immunitatem a coactione, sed non a necessitate: quo in sensu concordat cum opinione Calvini, qui ultro concedit lib. 2. Inst. c. 2. n. 2. hominem in illo sensu posse dici liberum; & lib. 2. de lib. arbit. pag. 153. edit. 3. Genevensis, ait, parum de nomine libertatis sollicitum esse, modo illud omne, quod opponitur tantum violento, liberum dicatur.

Hoc itaque sistema Jansenii quatuor complectitur puncta. 1. Gratiam efficacem consistere in delectatione victrici, & 2. Illam delectationem victricem necessario compellere voluntatem: 3tio. Eandem

se tenere ex parte actus primi, & necessario inferre actum secundum. 4to. Inesse voluntati creatæ sub dominio gratiæ potentiam absolutam, & antecedentem, resistendi gratiæ, sed non consequentem, & relativam habenti. Punctum istud quartum ulterius ponderari debet: Igitur potentia antecedens, & absoluta Janseniana est gratia secundum se spectata, quæ secundum Dei intentionem datur ad producendum actum sibi proportionatum, id est, si gratia est intensa ut quatuor, potest producere actum bonum ut quatuor, quem tamen per accidens non producit, si sit in concursu cum concupiscentia ut sex. Quade re secundum se est gratia efficax, & defacto, si concupiscentia minuatur usque ad tertium gradum inferiorem, illa gratia sine nova entitate superaddita ex mente Jansenii producet actum bonum, ut quatuor. Istam gratiam appellat parvam relationem ad circumstantias, sufficientissimam tamen secundum se, & in abstracto spectatam, sed non in concreto, quia secundum Novatorem impossibile est, hominem cum illa gratia vincere concupiscentiam in gradu superiorem, & intensiorem, & in hoc sensu præcepta aliqua dicit observatu impossibilia. Potentia vero consequens, & relativa in hoc sistemate promanat a gratia superante in gradu concupiscentiam; in qua hypothesi Novator dicit, impossibile esse concupiscentiam gratiæ resistere; & ideo hominem necessario ad bonum adigi. Ex hoc gratiæ victricis sistemate veluti primogenio fonte oriuntur quinque Propositiones Jansenii proscriptæ.

Articulus III.

De gratia sufficiente.

210 Agitur hic de gratia sufficiente, prout distinguitur ab efficaci; atque in hac acceptatione est: *Auxilium supernaturale præstans voluntati potentiam completam, & expeditam agendi bonum salutare, quod tamen auxilium effectu, ad quem datur, caret ex culpa voluntatis nolentis ei consentire.* Vel aliter: Gratia sufficiens in sensu Catholico est gratia excitans, dans completam bonum salutare agendi, vel malum vitandi potentiam, quæ caret effectu, ad quem datur, quia voluntas non vult ei consentire.

Gratia alia est *proxime sufficiens*, quæ dat proxime agere id, ad quod datur: alia est *remote sufficiens*, quæ quidem immediate non dat proxime

me agere, dat tamen vires,& auxilium obtinendi illud, quod dat posse proxime agere. Talis gratia remota sufficiens plerumque est gratia orandi, qua oratione dein obtinetur auxilium proxime sufficiens ad illud posse, pro quo oratur. e. g. tentaris graviter impura cogitatione, & interne excitaris divina gratia, ut ores Deum, ut vincere te faciat istam cogitationem: hæc excitatio supernaturalis ad orationem est remote sufficiens; est autem illa proxime sufficiens, quam obtines per orationem, & quæ dat posse vincere ipsam tentationem.

Dari hujusmodi gratiam sufficientem negarunt Lutherus de servo arbitrio, & Calvinus l. 2. Inst. c. 3. ubi Theologos Parisienses sibi adversantes appellat Sarbonicos Sophistas, Pelagianos, & phreneticos. Iis se adjungit Jansenius, ut constat ex dictis, cum suis Discipulis; quamvis enim gratiæ sufficientis nomen cum Catholicis retineant, rem tamen hoc nomine significatam rejiciunt, scilicet gratiam, quæ veras, completas, & expeditas vires ad præceptum hic & nunc, seu in his circumstantiis implendum, & ad resistendum tentationi in iis etiam circumstantiis, in quibus ad malum vehementer impellit, tribueret. Gratia enim sufficiens est illis tantum illa *parva* relative, quæ licet secundum se, & in abstracto, dicatur sufficientissima, revera tamen, & in concreto non est auxilium sufficiens; quia secundum Novatorem impossibile est, hominem cum illa sola gratia vincere posse concupiscentiam in gradu superiorem. Imo totus effectus ex mente Jansenii talis gratiæ parvæ tantum, potest esse velleitas, non vero verum opus bonum.

Hic Articulus ob dignitatem materiæ in plures §§os. secabitur; unde fit

§. I.

Assero. In statu naturæ lapsæ, & per Christum reparatæ, datur gratia vere sufficiens. 211

Prob. 1. Ex S. Scriptura. Prov. 1. *Vocavi, & renuistis - - - Ego quoque in interitu vestro ridebo.* Isai. 5. *Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? an, quod exspectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Math. 23. *Jerusalem, Jerusalem! quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Act. 2. *Vos semper Spiritui Sancto restitistis.* Apoc. 3. *Ecce sto ad ostium & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, introibo ad illum.*

Quæ omnia innuunt, dari ante lapsum auxilia sufficientia ad non peccandum.

Prob. 2. Ex Conciliis. Arausicanum II. can. 25. inquit: *Hoc secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere*; ergo baptizati habent gratiam sufficientem.

Concilium Senonense Parisiis celebratum, anno 1528. part. 1. in decretis fidei, cap. 15. sic loquitur: *Neque liberum arbitrium asserentes, divinam excludimus propterea gratiam, quod illi* (Lutherani) *falsò toties imponere non verentur. Sed juxta S. Scripturam eo extendimus, ut voluntas humana misericordiæ prævenientis auxilio suffulta, & interiori quodam & occulto secretioris inspirationis afflatu contacta se se convertat in Deum, Deo appropinquet, & ad veram illam gratiam se præparet, qua tandem accepta fit ad vitam æternam. Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset . . . . neque denique tale sit hujusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit. Quoties enim Dominus voluit congregare filios Jerusalem, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluerunt? Frustra certe Stephanus Judæos duræ cervicis, & incircumcisi cordis argueret, qui semper Spiritui Sancto resisterent. Frustra Paulus Thessalonicenses admoneret, Spiritum ne extinguerent, si divinis inspirationibus homines inevitabiliter raperentur.* Ita Concilii verba aperte adstruunt gratiam mere sufficientem.

Accedit Concilium Trid. Seff. 6. c. 11. ibi: *Nemo temeraria illa & a PP. sub Anathemate prohibita voce uti* (debet) *Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet; sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis; & adjuvat, ut possis.* Ergo Justi habent gratiam, qua omnia possint servare præcepta; cum autem non omnia servent, talis gratia sæpe est mere sufficiens.

Prob. 3. Christus Dominus pro omnibus mortuus est, ut est definitum contra Jansenium: & juxta Apostolum 1. Timoth. 2. Deus voluntate seria, & sincera *vult omnes homines salvos fieri.* Sed si non daret omnibus auxilia ad salutem sufficientia, non vellet eos serio salvos fieri. Adde Trident. Seff. 6. c. 11. ubi asserit: *Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi prius deseratur*; sed Deus desereret Justos,

stos, nisi sufficientiam illis daret ad perseverandum in gratia, atque adeo ad non peccandum.

Prob. 4. Summi Pontifices Innocentius X. & Alexander VII. in suis Constitutionibus ubique receptis, hanc Jansenii propositionem damnarunt ut hæreticam: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur:* atqui non esset hæretica, nisi contradictoria, nimirum hæc: *gratiæ interiori in statu naturæ lapsæ aliquando resistitur*; esset de fide. At vero gratia interior, cui resistitur, est gratia sufficiens; id quod amplius delucidari potest illo insigni loco luc. 10. & omnes probationes confirmari; ubi: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida! quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere sedentes pœniterent.* Hic sermo est de gratia, per quam converti debuissent Bethsaiditæ, & Tyrii re vera conversi fuissent; quæ gratia non potest esse alia, quam interior.

Inferes singulariter, de fide esse, dari gratiam sufficientem Justis, dum instat præceptum, vel urget gravis tentatio. Prob. 1*mo.* 1. Cor. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.* 2*do.* Id patet ex Concilio Trid. in probatione 3tia. adducto. 3*tio.* Ex illa propositione Janseniana, per Innocentium X. & Alexandrum VII. damnata, ut hæretica & blasphema: *aliqua Dei præcepta hominibus Justis volentibus, & conantibus, secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deesse quoque illis gratiam, per quam possibilia fiant.*

Solvuntur Objectiones.

Objic. 1. Gratia sufficiens non invenitur in S. Scriptura: ergo non datur. R. D. a. non invenitur secundum nomen c. a. secundum rem significatam per nomen n. a. & c. Eam secundum rem significatam, per S. Scripturam, in hac reperiri nostræ probationes ostendunt. 212

Objic. 2. Varios Textus S. Scripturæ, & PP. qui indicant gratiam Dei semper habere effectum, & sic esse efficacem. R. Hos textus vel non loqui de gratia interna, sed rebus aliis soli Deo liberis, vel a sola Dei voluntate pendentibus. 2. Vel loqui de gratia efficaci, quæ cum effectu conjungitur. 3. Gratia interna non caret omni effectu, nec redit vacua: si non obtinet in homine ei resistente effectum a Misericordia Divina intentum, redundat in effectum Justitiæ vindicativæ. Deus enim virtualiter duplicem habet intentionem, nem-

pe,

pe, ut bonum fiat, & ut homo, qui non vult bonum agere, pœnam fubeat. Quare cum alterutrum femper fiat, Verbum Dei feu exterius, feu interius, ad Ipfum non redit vacuum.

Objic. 3. Gratia fufficiens eft adjutorium poffibilitatis, non voluntatis & actionis, fed tale adjutorium eft Pelagianorum: ergo. R. D. M. Id eft gratia fufficiens eft adjutorium dans voluntati completum poffe, feu completam potentiam agendi, fed non faciens ob refiftentiam creaturæ, ut creatura actu agat c. M. id eft, eft adjutorium non actu excitans, & corroborans voluntatem ad agendum bonum n. M. Pelagii adjutorium non datur ad fimpliciter, fed tantum ad facilius poffe, & confiftit tantum in lege, doctrina, & exemplis Chrifti, & ad fummum in illuftratione mentis. At gratia fufficiens Catholicorum confiftit non folum in fpeciali illuftratione intellectus, fed etiam, & maxime in pia motione voluntatis, & dat poffe fimpliciter velle, & agere bonum falutare. Dum autem Pelagius dicit, poffe agere effe a Deo, per poffe agere intelligit liberum arbitrium fibi relictum, quod docebat effe a Deo creante, vel extrinfecus per legem &c. adjuvante.

Objic. 4. Gratia fufficiens eft inutilis, imo & perniciofa: ergo non datur. R. N. a. Licet ex culpa voluntatis reddatur fubjecto inutilis, eft tamen per fe utilis etiam in iis circumftantiis, quibus ei refiftitur: nam in iis dat voluntati completam potentiam eadem utendi, fi quis uti velit. Sic & pecunia non eft inutilis per fe ei, qui ea uti poteft, & non utitur. Hinc notanda eft Propofitio ab Alexandro VIII. confixa, fic fonans: *Gratia fufficiens ftatui noftro non tam utilis eft, quam perniciofa eft, fic, ut proin merito poffimus petere, a gratia fufficienti libera me Domine.* Certe Sacramenta non funt ex eo perniciofa, quod multi iis abutantur in fuam perniciem. Præterea gratia fufficiens nunquam effectu caret ex defectu alicujus virtutis requifitæ ad agendum, fed ex culpa fola voluntatis nolentis confentire. Quando dicitur gratia mere fufficiens, denotatur etiam refiftentia voluntatis, quæ impedit effectum gratiæ.

Objic. 5. Deus nulli debet gratiam: ergo eam etiam Juftis denegare poteft. R. N. c. Etiamfi Deus nulli debeat gratiam, tamen fibi debet, ut gratias ad fervanda præcepta a fe impofita neceffarias præbeat: quia fibi debet, ut fapienter agat, non exigendo impoffibilia a fua Creatura. Adde, gratiam dici, & effe gratuitam, quia non debe-

debetur naturæ, & datur ſemper ex gratuita voluntate Dei, qui gratuito eam promiſit.

Objic. 6. S. Auguſtinus l. de dono perſeverantiæ c. 22. ait: *Juſtis reprobis ſubtrahi obediendi vires:* ergo. R. D. a Subtrahi vires efficaces, vel proxime ſufficientes, in pœnam neglectæ Orationis, & admiſſæ propriæ negligentiæ c. a. etiam remote ſufficientes n. a.

§. II.

An Deus fidelibus peccatoribus det gratiam ſufficientem.

Aſſero 1. Fidelibus peccatoribus non obduratis datur pro loco 213
& tempore gratia ſufficiens ad converſionem. Ita Catholici. Prob. Ezechielis c. 33. *Vivo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur impius a via ſua, & vivat.* Et 2. Petri c. 3. habetur: *patienter agit* (Deus) *propter vos, nolens aliquem perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Qui textus ad minimum ſpectant peccatores non obduratos; atqui Deus non poteſt ſincere & ſerio velle, ut peccatores non pereant, ſed convertantur, niſi det eis pro loco & tempore gratiam ſufficientem ad converſionem; alioquin vellet ſerio rem impoſſibilem, quod Sapientiæ, & Bonitati Dei repugnat.

Prob. 2. S. Auguſtinus in Pſal. 102. in hæc verba: *miſerator, & miſericors Dominus, longanimis, & multæ miſericordiæ*, ita loquitur: *quid tam longanimum, quid tam multum in miſericordia? peccatur, & vivitur, accedunt peccata, augetur vita, blaſphematur quotidie, & facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos. Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad pœnitentiam, - - - vocat undique per intimam cogitationem - vocat per miſericordiam conſolationis. Sed obſerva, ne longitudine miſericordiæ Dei male utendo, tu tibi theſaurizes iram in Die iræ, nonne experieris Juſtum, quem contempſiſti Benignum?* Ergo ex parte Dei dantur ſufficientia media peccatori ad ſalutem.

Aſſero 2. Peccatoribus etiam excæcatis, & obduratis datur gra- 214
tia ſufficiens ad converſionem. Eſt communior, & ſenſui Catholicorum conformior, contra aliquos Doctores. Prob. 1. Omnes obdurati, & excæcati ſunt adhuc in ſtatu viæ, & poſſunt adhuc ad terminum, & cœleſtem patriam tendere, ad quod requiritur auxilium gratiæ. Iterum, nemo in hac vita debet de ſalute ſua deſperare, alias ageret contra præceptum ſpei obligans omnes Viatores: ergo

omnes Viatores, per consequens etiam obdurati, & excæcati debent adhuc habere auxilia sufficientia ad salutem consequendam.

Confirmatur ex Auctoritate & praxi Ecclesiæ, quæ omnibus omnino adultis, nullo excepto, præcipit, ut semel quot annis Sacramentum pœnitentiæ suscipiant, cum vera contritione, imo & Evcharistiam, quæ statum gratiæ exigit: ergo supponit omnes & singulos etiam obduratos posse se convertere ad Deum; adeoque accipere gratiam sufficientem, sine qua impossibilis est conversio.

Prob. 2. Ex S. Scriptura. Sapientiæ 12. dicitur: *Si inimicos servorum tuorum, & debitos morti cum tanta cruciasti attentione, dans tempus & locum, per quæ possent mutari a malitia, cum quanta diligentia curasti filios tuos?* ubi dicitur Deus scelestissimis, & obduratis hominibus Cananæis dedisse locum, per quem potuissent converti, per consequens & gratiam sufficientem ad conversionem, sine qua converti non poterant. Rom. 2. *An divitias bonitatis Ejus* (Dei) *& patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, Thesaurizas tibi iram in Die iræ, & revelationis justi judicii Dei.* Hæc verba significant Deum maxime commendare suam benignitatem, patientiam, & longanimitatem erga peccatores obduratos, eos identidem excitando ad pœnitentiam per gratiam interiorem, cui resistendo augent mensuram pœnarum in Diem judicii.

Actorum 7. Stephanus Spiritu S. afflatus in Judæos excæcatos, & obduratos sic invehitur: *dura cervice, & incircumcisis cordibus, & auribus vos semper Spiritui S. resistitis*; sed non potuerunt illi Spiritui S. resistere, si non fuerunt per Spiritum S. & gratiam Ejus afflati, & excitati ad pœnitentiam: ergo.

Ad rem nostram etiam egregie loquitur D. Aug. in Psal. 6. ubi: *Ea est cæcitas mentis, in eam quisquis datus fuerit, ab interiore Dei luce secluditur, sed NB. nondum penitus cum in hac vita est. Sunt enim tenebræ exteriores, quæ magis ad Diem judicii pertinere intelliguntur, ut penitus extra Deum sit, quisquis dum tempus est, corrigi noluerit.* S. Augustino accinit S. Prosper in respons. 15. ad Objectiones Vincentianas: ubi inquit: *Nemini Deus correptionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat.*

215 Objic. Varios Textus S. Scripturæ, sed nihil evincunt. Sic 1. dum ad Heb. 6. dicitur: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati - - & pro-*

prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam ; to *impossibile* insinuat maximam difficultatem, vel impossibilitatem moralem, non physicam. 2. Dum Joan. 3. dicitur: *est peccatum ad mortem, non pro illo, dico, ut roget quis ;* sermo est juxta V. Bedam, non esse orandum pro mortuo in impœnitentia finali, vel eam orationem, quæ pro non obdurato est efficax, & Spem salutis obtinet, non statim esse efficacem, & operari effectum pro obdurato. 3. Dum Math. 12. dicitur: *Qui dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Et hic Textus tantum indicat difficilem remissionem, vel juxta alios, hoc peccatum blasphemiæ adeo displicet Deo, ut non solum in futuro sæculo, sed & in hoc (ubi plerumque peccata non puniuntur) nisi tempestiva pœnitentia agatur, sit puniendum. 4. Ad illud Amos 1. *Super tribus sceleribus Damasco, & super quatuor non convertam*, dicendum est: ibi non agi de gratia conversionis neganda Damasco, sed de punitione Syriorum per calamitates temporales, quas Deus infligere decreverat impleto certo numero peccatorum; si tamen verba illa in sensu Mystico accipere placet, ad summum dicunt, quod post certum peccatorum numerum nulla peccatoribus detur gratia congrua & efficax, vel proxime sufficiens, licet adhuc concedatur saltem remote sufficiens. 5. Dum Joan. 12. dicitur: *propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: excæcavit oculos eorum.* Id intelligitur non de impossibilitate antecedente, sed de consequente liberam voluntatis determinationem, consequenter voluntaria, ut docet S. August. Tract. 53. in Joan. ibi: *Quare non poterant* (credere?) *si a me quæratur, cito respondeo, quia noluerunt.* Interdum Scriptura, & PP. dicunt, homines non posse facere, quod impediti magnis difficultatibus facere nolunt, licet adhuc simpliciter possent. Sic Joan. 5. Christus dicit: *quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis.* 6. Dum S. Augustinus in Epist. ad Rom. loquens de Pharaone sic ait: *Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperaverit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat, sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur priori infidelitate.* Sic explicatur hic difficilis textus: *Inobedientia* Pharaonis erat impossibilis etiam physice, vel omnino metaphysice in sensu composito obstinationis, qua nolebat Deo credere: atque adeo inobedientia illa erat imputabilis tantum in causa præterita, sed præsente, cum libere nollet credere, & sic obedire. 7. Quando S. Aug. l. de nat. & gratia c. 22. dicit: *Nec cogitat prævaricator legis, quam digne lux deserat veritatis, qua desertus*

utique fit cæcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, & vexatus non resurgat; sic interpretandus est: Prævaricator desertus gratia proxime sufficiente conversionis, plus peccat necessitate quadam morali, non physica, consequente negligentiam in petenda gratia conversionis.

Ad reliquas objectiones diluendas Nota 1. Indurati, & excæcati, quamdiu in hoc statu manent, carent gratia congrua, & efficaci, vel proxime sufficiente, non autem remote sufficiente. 2. Deus hominem non excæcat positive, immittendo positivum errorem, neque indurat positive, impellendo ad obdurationem, sed tantum negative, & permissive, scilicet negando gratiam congruam, vel proxime sufficientem, saltem ad tempus, vel occasionaliter faciendo, aut permittendo aliquid, quod præter intentionem Dei est peccatoribus occasio admittendi falsas persuasiones, & pravos affectus. Sic Deus per Moysen fecit miracula ex intentione convertendi Pharaonem, sed propter culpam Pharaonis permisit ea carere effectu.

§. III.

An etiam infidelibus omnibus adultis etiam iis, qui nihil audierunt de rebus fidei, detur pro tempore & loco gratia sufficiens ad salutem?

116 Assero, & R. affirmative. Prob. 1. Voluntas Dei salvandi omnes, & singulos homines non est otiosa complacentia, sed decretum, dandi omnibus auxilia sufficientia si nullus ex parte causarum secundarum adsit defectus, & naturale impedimentum, quo minus infidelibus adultis actu conferantur auxilia saltem remota, puta, Sancta cogitatio, pia voluntatis motio, quæ est prima gratia, & fides initiata: quæ Deus immediate per se operatur, independenter a concursu causarum seundarum, ac salvo naturali ordine Universi: atque adeo si Deus non conferat ista, non videtur sincere, & serio velle hominum salutem; quia penes Ipsum solum stat ista conferre vel non conferre. Hoc aperte deducitur ex textu S. 1. Timoth. 2. ubi: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, - - - pro omnibus - - hoc enim bonum & acceptum est coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; Unus enim Deus,*

Deus, & unus Mediator Dei & hominum Homo Chriſtus JEſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus. Itaque ex Apoſtolo Deus vult omnes homines ſalvos fieri, quia Deus eſt omnium, & Chriſtus pro omnibus mortuus eſt; ſed Deus eſt Deus abſolute omnium etiam infidelium, & Chriſtus mortuus eſt pro omnibus omnino hominibus, etiam infidelibus.

Prob. 2. Sap. 11. dicitur: *miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam; diligis enim omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti - - - parcis enim omnibus, quoniam tua ſunt Domine, qui amas animas.* Certe ſi Deus miſeretur omnium, ſi parcit omnibus, quia ſunt ejus Creaturæ, etiam amat infideles, utpote & ſuas creaturas, quibus proin etiam bene vult, dando ipſis auxilia ſaltem ſufficientia ad ſalutem.

Præclare ad Propoſitum noſtrum loquitur S. Chryſoſtomus Hom. 7. in Joan. *Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quonam pacto tot homines ſine lumine permanent, neque enim omnes Chriſtum agnoſcunt? illuminat profecto quantum in Ipſo eſt, ſi qui autem ſponte ſuæ mentis oculis conniventibus ad hujus lucis radios aciem dirigere noluerint, non ex luminis natura in tenebris perſtiterunt, ſed malitia ſua, qui ſponte tanto ſe dono indignos reddiderunt. Nam gratia in omnes diffuſa eſt - - - qui autem ejus munere frui negligunt, hanc ſuam cæcitatem ſibiipſis imputent.* Hanc veritatem etiam alii PP. pluribus locis docent. S. Proſper, vel alius antiquus, & vere Catholicus Auctor librorum de vocatione Gentium, l. 2. c. 17. *Nunc in extremis mundi partibus ſunt antiquæ Nationes, quibus nondum gratia Salvatoris illuxit* (ſcilicet proxime ſufficiens, & fides - -) *quibus tamen illa menſura generalis Auxilii, quæ deſuper omnibus ſemper hominibus eſt præbita, non negatur.* Idem dicit ibi c. 26. & 31. ubi peculiariter aſſerit; *gratiam Dei omnibus hominibus affuiſſe, non ſolum in noviſſimis diebus, ſed etiam in cunctis retro ſæculis.*

Prob. ulterius ex Propoſitionibus damnatis: ſic ab Alexandro VIII. hæc eſt proſcripta: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt a JESU Chriſto influxum: adeoque hinc recte inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem, ſine omni gratia ſufficienti.* Cui accedunt & hæ Quesnellianæ propoſitiones a Clemente XI. Confixæ. 26. *Nullæ dantur gratiæ, niſi per fidem.* 27. *Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum.* 29. *Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia.*

217 Ad solvendas Objectiones, & materiam istam plenius percipiendam, hæc notes: 1. Infideles ex meritis Christi accipiunt aliquod auxilium supernaturale, quocum possunt servare legem naturalem, & sic non peccare graviter. Si autem legem naturalem observarent, quantum possunt, nec graviter peccarent, non ponerent impedimentum vocationi ad fidem, & taliter eam tempore opportuno acciperent propter merita Christi. Unde optime discurrit D. Thom. q. 14. de Veritate. art. 11. ad 1. ubi ait: *Hoc ad Divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad Salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur, Si enim aliquis taliter nutritus* (in sylvis) *ductum naturalis rationis sequeretur, in appetitu boni, & fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quæ ad credendum sunt necessaria, vel aliquem Fidei Prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium.* Unde infideles omnes ex meritis Christi acceperunt auxilia gratiæ, quibuscum possunt non ponere impedimentum vocationi ad fidem, quod si non ponant servando legem naturalem, quantum possunt, sane vocarentur, & instruerentur vel per homines Deo ita disponente, sine miraculo, vel ministerio Angelorum, vel per illustrationem internam a Deo immediate immissam. Quod non esset miraculum, ut notat Suarius, sed effectus providentiæ supernaturalis: Deus enim paratus est ad vocandos, & illustrandos omnes lumine fidei.

2do. Etsi Christus pro omnium salute sit mortuus, proindeque omnibus media ad salutem sufficientia meruerit, & obtinuerit, non tamen omnes recipiunt mortis Ejus beneficium completum in hac vita, nempe justificationem, sed ii solum, quibus meritum Passionis Ejus perfecte communicatur, seu applicatur per debitam Sacramenti susceptionem, vel per fidem, spem, & Charitatem, continentem votum Sacramenti. Ex his Colligis, distinguendum esse Textum Trident. Sess. 6. c. 3. *Etsi Ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis Ejus beneficium recipiunt* (scilicet perfecte, & complete) *sed ii duntaxat, quibus meritum passionis Ejus communicatur* (nempe perfecte, & complete) & sic de aliis.

3tio. Dum Concilium Trid. ait, esse fidem in Christum humanæ salutis initium, & radicem omnis justificationis: non vult, fidem esse primam omnino gratiam, sed esse primam dispositionem proximam ad justificationem, & ad cæteras impellere, & requiri. 4to

Licet

Licet Deus non det omnibus fidelibus gratias proxime sufficientes, vel omnino congruas, & efficaces, dat tamen remote sufficientes. *5to.* Error Semi - Pelagianorum erat, quod vellent, fidem generaliter omnibus offerri ex solis viribus naturæ assequendam. Deinde initium fidei proficiscitur a pia voluntate credendi.

6to. Infideles non habent gratias proxime sufficientes ad observandum primum & maximum mandatum de Charitate. Quamdiu igitur sunt in statu Infidelitatis, habent quidem gratias sufficientes ad cognoscendum Deum per Creaturas, ad Illum adorandum, & rogandum media salutis, & ad servanda alia præcepta legis naturalis; at non habent in illo statu gratias proxime sufficientes ad amandum Deum super omnia propter se, quia Deus decrevit, neminem excitare, & adjuvare ad Actum Charitatis perfectæ, nisi post elicitam explicitam fidem Mysteriorum saltem de necessitate medii credendorum. Ad hæc habent gratias remote sufficientes, quatenus habent gratias sufficientes ad alia præcepta in hoc statu servanda, quæ si servarent, misericorditer vocarentur, & excitarentur ad actus fidei, & Charitatis eliciendos.

7mo. Infideles non possunt quidem salvari remanentes in statu infidelitatis, sed possunt juxta jam dicta ex illo statu emergere. *8vo.* Hoc auxilium gratiæ remote sufficiens consistit in supernaturali illustratione mentis, & motione voluntatis, quibus Infideles illustrantur, excitantur, & adjuvantur ad servandam legem naturalem: Hæc illustratio proponit præter honestatem virtutis, turpitudinem vitii, Deum rerum omnium Conditorem, Optimum, Sapientissimum &c. quæ omnia quidem cognoscuntur per effectus creatos, sed mediante illustratione supernaturali.

Dices: Ex hactenus dictis videtur inferri, infidelitatem negativam, qua laborant, qui nihil de Christo audierunt, esse voluntariam saltem indirecte, nempe in voluntaria violatione legis naturalis: ergo esse peccatum Infidelibus imputabile. R. N. illat. ut aliquid sit voluntarium, quamvis duntaxat indirecte, non sufficit, ut sequatur ex illo, sed præterea requiritur, ut cognoscatur, vel cognosci possit, sequi ex illo: nam quod non est cognitum, non potest esse voluntarium. At vero Infideles, qui nihil unquam de rebus fidei audierunt, non cognoscunt, neque cognoscere possunt carentiam

fidei

fidei Christianæ sequi ex violatione legis naturalis, sed invincibiliter ignorant se suis peccatis infidelitati causam ponere; ergo.

9no. Certum est quidem, Parvulis, qui sine Baptismo decedunt, nullam gratiam actu conferri, quia non sunt capaces alterius gratiæ, quam Baptismi, qui ipsis non confertur; attamen est illis præparatus, alioquin Deus non vellet sincere eos salvos facere. Dein Parvulorum Parentibus, vel iis, ad quos eorum cura pertinet, dat media sufficientia saltem remote ad Baptismum his Parvulis procurandum. Universim potest ad aliquas instantias de Parvulis dici, media aliqua ad applicandum singulis Parvulis Baptismum esse præparata ex meritis Christi, sed sæpius non fuisse re ipsa collata ex defectu causarum secundarum, quarum ordinem Deus invertere non tenetur, neque sine miraculo potest. Siquidem Deus non tenetur miraculum facere, etiam ex hypothesi voluntatis sinceræ, sed inefficacis & conditionatæ, ut Baptismus eis conferatur: nempe voluntas Divina generatim salvandi omnes omnino homines in executione pendet a generalibus Providentiæ legibus.

Dices. 1. S. Augustinus Serm. 26. alias 21. de verbis Apostoli ait: *Communis est omnibus natura*, *non gratia*; atqui gratia sufficiens si omnibus daretur hominibus, communis foret: ergo. R. D. M. Non gratia sanctificans, qua sola homo fit Justus, & bonus, ut ait ibi S. Doctor, c. M. gratia sufficiens, n. M.

Dices 2. Juxta S. Augustinum gratia status innocentiæ, & status gratiæ naturæ lapsæ differunt, quod in priori statu gratiæ esset auxilium *sine quo*, seu sufficiens, in posteriori vero sit auxilium *quo*, seu efficax: ergo in hoc statu non datur gratia sufficiens. R. N. con. licet homo differat a Brutis animantibus per rationalitatem, non sequitur, ut nihil habeat commune cum illis: est nempe & ipse Animal: a pari, quamvis auxilium quo, seu efficax sit proprium naturæ lapsæ in mente S. Augustini, tamen colligi non potest S. Doctorem nullam agnovisse gratiam actualem communem huic statui, & statui innocentiæ, nimirum sufficientem, quam sæpius in suis scriptis tuetur.

10mo. Hic notanda veniunt ex P. Viva in cursu Theologico de gratia, ista: 1. In peccatoribus quoque adest auxilium sufficiens ad non peccandum. 2. Singulis momentis inest unicuique auxilium sufficiens ad implenda præcepta negativa, v. g. ad non blasphemandum, utpote quæ obligant semper, & pro semper. 3. Ad servanda

da præcepta affirmativa, v. g. eliciendi actum amoris Dei, quæ obligant semper, sed non pro semper, datur auxilium sufficiens, quando urget obligatio ea implendi. 4. Credibiliter Deus non confert adultis auxilia supernaturalia singulis momentis, sed tum, quando urget obligatio operandi salutariter, tum, quando juxta cursum causarum secundarum adsunt opportunitates, a Deo misericorditer destinatæ, puta dum occurrit casus repentinus, mors Amici, terræ motus, exemplum bonum aliorum, exhortatio &c. dicitur enim Ps. 144. *das escam illorum in tempore opportuno.* & Psal. 9. *Adjutor in opportunitatibus.* 5. Nullus peccator excipi potest ab accipiendis a Deo auxiliis sufficientibus ex defectu opportunitatum, cum istæ sint innumeræ, ut constat experientia; potest tamen excipi aliquod tempus, quo non conferuntur hujusmodi auxilia, ut etiam experientia docet; caret enim iis peccator, v. g. dum dormit; unde dixit Augustinus: *quis tam beatus, ut semper ascendat?* quare si contingit peccatorem mori, dum dormit, non exinde illi fuit negatum auxilium eo modo, quo solet Justis conferri, id est juxta consuetas opportunitates: dum mors accidit tali tempore secundum cursum causarum secundarum, quas Deus non tenetur impedire, id est, per accidens, quod peccator dormiens moriatur, vel occidatur, antequam opportunitas occurrat, qua auxilium habeat ad resipiscendum.

Addit ulterius Viva, dici posse, quod Deus singulis momentis det omnibus peccatoribus auxilia ad resurgendum, quatenus semper paratus est ea dare, nisi ex concursu causarum secundarum impedirentur: non enim dicitur denegare auxilia per hoc, quod non tollat impedimenta causarum secundarum, quibus impeditur, quo minus hic & nunc consurgat illustratio superna; sicut & Deus non dicitur nolle bonas operationes per hoc, quod non impediat malas. In isto igitur sensu explicatur illud, quod definit Concilium Senonense contra Lutherum decreto 15. apud Platelium p. 3. n. 217. dicens: *Divina gratia semper est in promptu, nec momentum quidem præterit, in quo non stet ad ostium, & pulset, cui si quis aperuerit januam, intrabit ad illum.* Quæ si notentur, quæcunque in hac materia sunt difficilia, facile resolventur, & ideo ex Viva retuli.

Articulus IV.

De gratia efficaci.

218 Prohibuere quidem Summi Pontifices Paulus V. & Urbanus VIII. impressionem librorum, & Tractatuum, qui ex professo; vel ex incidente tractant de gratia efficaci, ejusque concordia cum libertate; tamen per hoc minime est inhibitum, quin in Scholis aliquid moderate, & absque censuris injuriosis aliarum sententiarum tradatur; tum, quia Pontifices id statuerunt ex eo unico fine, ut scandala, & dissensiones vitentur inter DD. & Th. Th. quæ ex immodicis censuris oppositarum sententiarum erant ortæ, & adhuc oriri possent: a quibus ergo, si abstinetur, non videtur esse inhibitum cæteroquin hanc materiam pertractare; tum, quia Religiosissimi, & Doctissimi Viri (ut apud P. Panger testatur Rmus. Philippus a SS. Trinitate Carmelitarum Discalceatorum Generalis, & S. Officii Consultor) existimant illam prohibitionem expirasse, & ipsam etiam impressionem hujus materiæ esse permissam a Summa Sede, dummodo a prædictis censuris abstrahatur. *Tum*, quia plane hæc materia est scitu necessaria, & indecorum foret, si Theologus in ea omnino jejunaret.

Addit P. Viva in Cursu Theolog. p. 3. disp. 3. de efficacia gratiæ q. 1. n. 3. a laudatis, vel aliis Pontificibus, non vetari, quo minus directe, etiam in typis agatur de Scientia Media, Prædestinatione, Providentia, Prædeterminatione physica, decreto prædeterminante, & concomitante, ac similibus, dummodo directe non agatur de gratia efficaci, ejusque cum libero arbitrio concordia, etiamsi aliqua de his quoque ad eruditionem & declarationem inferantur. His præmissis sit

§. I.

Notanda, & Sententiæ oppositæ.

219 Nota 1. Ex dictis gratiam dividi in mere sufficientem, & efficacem. *Sufficiens* est, cum qua possumus quidem agere, sed non agemus. *Efficax* est, cum qua infallibiliter agemus, seu quæ infallibiliter post se trahet illam operationem bonam, ad quam datur.

Nota

Nota 2. Ipsam gratiam efficacem nunc explicatam, posse adhuc dupliciter spectari, scilicet in actu secundo, & in actu primo. *In actu secundo* est gratia illa efficax, quatenus actu efficit actum, & operationem bonam, & hanc actualiter post se trahit. *In actu primo* spectatur, quatenus in se est infallibiliter effectiva operationis; seu quatenus habet a Deo virtutem infallibiliter operandi talem actum, vel quatenus potest facere sua virtute, ut ipsi voluntas infallibiliter consentiat. Et de efficacia gratiæ in actu primo præcipue agitatur dubium.

Jam certum est gratiæ efficaciam non consistere in delectatione victrici necessitatem inferente voluntati, ut docent Catholici omnes contra Lutherum, Calvinum, Jansenium. Sic Innocentius X. confixit hanc propositionem 3. Jansenii ut hæreticam: *ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate sed sufficit libertas a coactione.* 2. Contra Lutherum definivit Tridentinum Sess. 6. c. 5. *Liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum cooperari assentiendo Deo excitanti.* Et contra Calvinum pariter definivit: *posse dissentire, si velit, & posse inspirationem abjicere.* Si gratia efficax voluntatem necessitaret, non esset illud Act. 7. verum: *vos semper Spiritui S. resistitis.*

Confirmatur ex D. Augustino totum systema Jansenisticum convellente; sic enim dicit l. 8. Confess. c. 8. *Non faciebam, quod incomparabili affectu mihi magis placebat.* Ex quo habetur contra Jansenium, quod voluntas non necessario sequatur majorem delectationem, sed stante hac detur indifferentia se flectendi, ad quam delectationem etiam minorem libuerit, eamque sua electione Superiorem, ac prædominantem efficiendi. Præterea loquitur ibi S. Augustinus cit. textu de delectatione indeliberata, quæ vel a gratia, vel concupiscentia movente provenit; certum enim est, voluntatem semper sequi majorem delectationem deliberatam. Idem S. Doctor sermone 159. alias 17. de verbis Apostoli c. 2. ait: *Inter omnia, quæ delectant, plus te delectet ipsa Justitia, non ut alia non delectent, sed plus ipsa delectet - - - Justitia sic delectet, ut vincat etiam licitas delectationes, & ei delectationi, qua licite delectaris præpone Justitiam.* Ubi S. Augustinus aperte supponit esse penes arbitrium voluntatis, ut in hoc vel illo objecto magis vel minus voluntarie delectetur: sed hoc verum non esset, si a majore delectatione indeliberata invincibiliter raperetur: ergo hanc invin-

cibilem determinationem non admisit S. Augustinus. c. 4. & 5. id. ipsum clare supponit; ubi exhibita intestina pugna utriusque in homine justo sic pergit: *decertant in te duæ delectationes, modo interrogo te quid præponas? - - - præponito delectationi carnis delectationem mentis*: ergo supponit esse in arbitrio hominis quamcunque delectationem pro sua libertate præferre.

Huc faciunt quoque, quæ dixi in Tractatu de Actibus humanis; nempe objectum minus bonum, & minus vivide propositum ab intellectu posse pro libitu præ majore, magisque vivide proposito eligi.

Restat igitur lis inter DD. Catholicos, qua ratione cum libertate arbitrii cohærere possit efficacia divinæ gratiæ, & divinæ voluntatis, quæ debet esset infrustrabilis, adeo, ut de illa verificetur, quod dicitur ad Rom. 9. *Voluntati ejus quis resistet?* & Esther 13. *Non est, qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israel.*

Sunt, qui cum T. T. dicunt, gratiam efficacem essentialiter differre a sufficienti, eamque ex essentia & entitate sua intrinseca dicunt esse efficacem, ac infallibiliter determinantem ad actum bonum, qua intrinseca efficacia caret gratia mere sufficiens. Unde gratiam efficacem constituunt in qualitate illa physice præmovente, ac prædeterminante, de qua in Philosophia dictum est. Gratiam vero sufficientem negant consistere in prædeterminatione, aut præmotione physica. Jam vero hæc sententia Thomistica

Impugnatur 1*mo*. Prædeterminatio physica lædit libertatem: atqui gratia efficax non lædit libertatem: ergo gratia efficax non est prædeterminatio physica. M. probata est in Philosophia, quam vide; & patet, quia prædeterminatio est suppositio antecedens, ac inimpedibilis a nostra voluntate; & simul est necessario gratia cum actu nostræ voluntatis, eumque necessario post se trahit; sed talis suppositio antecedens, a nostra voluntate inimpedibilis, ac necessario connexa cum actu tollit libertatem, & indifferentiam ad talem actum: ut in Tractatu de Deo Uno ostensum est: ergo.

Impugnatur 2*do*. Præmotio physica juxta AArios est indispensabiliter necessaria ad actum quemvis Creaturæ: ergo si quoque gratia efficax consistit in præmotione, tunc & illa est indispensabiliter necessaria ad actum bonum: ergo sine gratia efficaci non potest poni

actus

actus bonus: ergo ille, qui non habet gratiam efficacem, non habet vires sufficientes, proinde nec gratiam sufficientem ad ponendum actum bonum: quia non habet illam gratiam, quæ indispensabiliter est necessaria, & sine qua non potest fieri actus bonus.

Confirmatur, & explicatur exemplis: Causæ inferiores non habent sufficientiam ad motus suos peragendos sublatis cœlestibus influentiis, nec oculus satis est ad videndum objectum ablato lumine &c. quia scilicet ad suos effectus causæ inferiores indigent influxu cœlesti, & oculus concursu luminis ad visionem: ergo etiam cum juxta TT.as voluntas creata indigeat præmotione ad ponendum actum bonum, si hac caret, non habet sufficientiam ad actum bonum.

Impugnatur 3*tio*. Ex probatis jam constat, quod gratia actualis solum sit causa moralis respectu actus boni; sed non apparet, quomodo causa moralis physice prædeterminet: ergo.

Impugnatur 4*to*. Concil. Trid. Sess. 6. can. 5. ita fulminat: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, neque posse dissentire, si velit, Anathema sit*; atqui si liberum arbitrium motum, & excitatum potest dissentire, tunc gratia movens non prædeterminat, nec necessario, & indispensabiliter post se trahit actum, nec est ab intrinseco efficax, nec ex intrinseca entitate infallibiliter cum actu conjungitur: ergo.

Neque hic recurras ad sensum compositum, & divisum. Etenim Tridentinum ait: in sensu composito gratiæ posse liberum arbitrium ei dissentire. Loquitur enim de arbitrio actualiter moto, & excitato per gratiam, consequenter in sensu composito, quo habet gratiam efficacem actu moventem ad bonum.

Neque dicas: præmotionem se tenere tantum ex parte actus secundi, & relinquere intactum actum primum proximum indifferentem ad assensum, & dissensum. Nam contra est 1. Quia præmotio est saltem aliquod prærequisitum, & habet se sicut applicatio agentis ad passum; atqui etiam prærequisita se tenent ex parte actus primi proximi, & sine illis potentia non potest exire in actum: ergo.

Contra est 2. Transmitto Recentioribus Thomistis, quod præmotio se teneat ex parte actus secundi, ne fiat lis de nomine, & sic insto: Qui non habet in potestate sua actum secundum, ille non habet sufficientem libertatem ad illum, vel non habet sufficientes vires

ad illum libere ponendum ; sic qui non habet in manu & potestate sua sessionem , ut eam pro libitu ponat, vel omittat, non habet sufficientiam ad talem sessionem libere ponendam, sed quando sedet, necessario sedet; atqui esto prædeterminatio se teneat ex parte actus secundi, tamen voluntas non habet in potestate sua actum secundum: nam non habet in potestate sua prædeterminationem indispensabiliter requisitam ad actum voluntatis, & consensum, ut ipsi fatentur AA.rii, proinde neque actum voluntatis suæ & consensum, qui talem prædeterminationem indispensabiliter sequitur, & ab ea necessario dependet: ergo.

Atque in hoc puncto magna est differentia inter concursum simultaneum, & decretum nostrum concomitans, ac prædeterminationem Thomisticam; hæc enim, esto se habeat ex parte actus secundi, tamen secundum principia Sententiæ Thomisticæ non est in nostra potestate, ut eam habeamus, sed ea dependet unice a Deo tanquam primo libero. Contra vero concursus simultaneus, & decretum nostrum condeterminans est in nostra potestate, & pro libitu illud habere, & impedire possumus, vel saltem potuissemus.

Objic. 1. Gratia efficax debet esse certissima, & vires tribuere efficacissimas; debet esse talis, ut ei non resistatur: ergo debet esse ab intrinseco efficax, & debet prædeterminare. R. D. a. debet esse certissima, salva nostra libertate c. a. secus n. a. atqui si esset ab intrinseco efficax, & ab intrinseco infallibiliter connecteretur cum solo consensu, ita, ut non esset conjungibilis cum dissensu, vel cum omissione consensus, tunc læderet libertatem nostram, quia tolleret indifferentiam ad agendum, & non agendum.

Objic. 2. Si prædeterminatio physica lædit libertatem, tunc ea est contra fidem; sequela est falsa: ergo. R. D. M. si prædeterminatio certo lædit libertatem, tunc est contra fidem c. M. si tantum probabilius, vel probabiliter lædit libertatem, & adstruentes eam probabiliter adhuc conantur salvare libertatem, n. M.

Objic. 3. Pater æternus absolute prædefinivit, ut Christus pro humano genere moreretur, & hæc prædefinitio fuit suppositio antecedens a Christo inimpedibilis, qua tamen non obstante Christus fuit libere mortuus; ergo etiamsi prædeterminatio dicat suppositionem antecedentem a nostra voluntate inimpedibilem, tamen non tollit libertatem indifferentiæ. R. N. quod ista prædefinitio fuerit antecedens,

cedens, sed fuit concomitans, quia se Christus simul cum Patre ab æterno condeterminavit medio decreto concomitanti ad subeundam mortem. Vel si fuit prædefinitio antecedens, & talis, quæ tollat libertatem proximam etiam physicam in Christi humanitate, quam tamen multi Scotistæ negant, tunc ex dispositione divina in Christo ad meritum satisfaciebat libertas remota, & essentialis; quæ tamen non sufficit in nobis, qui non habemus talem dispositionem; sed ut mereamur, debemus habere libertatem proximam, & accidentalem, seu indifferentiæ, ut de fide est.

Objic. 4. Confirmatus in gratia libere implet præcepta, quamvis stante confirmatione non possit non implere, & sic peccare: ergo idem dicendum de illo, qui efficaciter est præmotus ad actum bonum. R. N. 2. memb. a. stante confirmatione in gratia posset homo adhuc peccare, quamvis nunquam sit peccaturus; etenim confirmatio in gratia consistit in hoc, quod homini ex speciali benevolentia divina talia conferantur auxilia efficacia, & talis protectio, quibus mediantibus talis homo infallibiliter est evitaturus omnia peccata mortalia, salva tamen libertate, & permanente potentia peccandi, quæ tamen nunquam exibit in actum peccaminosum. Quomodo autem hoc fieri possit, patebit ex §. sequenti, & explicatione nostra gratiæ efficacis.

Objic. 5. Passio vehementissima tollit indifferentiam voluntatis; sed gratia efficax habet se ut talis passio, imo in ordine ad voluntatem plus facit: ergo gratia efficax etiam tollit indifferentiam voluntatis. R. D. M. si passio tanta sit, ut auferat usum rationis c. M. secus n. M. gratia autem quantacunque sit, usum rationis non aufert. Et esto gratia maxime voluntatem inclinet, & flectat, libertatem tamen, & potentiam resistendi ei non adimit. Reliquas objectiones vide solutas in Philosophia in quæstione de præmotione physica.

Alii statuunt efficaciam gratiæ in prædeterminatione morali, 226
seu in gratia non quidem intrinsece efficaci, sed tamen tali, quæ simul sumpta cum circumstantiis c. g. bonæ indolis illius, cui confertur, temporis in quo confertur &c. constituit tale complexum, ex quo moraliter certo fit secuturus consensus, ita quidem, ut moraliter sit impossibile in talibus circumstantiis & cum tali gratia non secuturum consensum, & actum bonum, ad quem inclinat illa gratia. Quare juxta hos Authores homo habens talem gratiam, non habet amplius libertatem moralem ad actum bonum, sed tantum physicam.

Hanc

Hanc prædeterminationem moralem defendunt Illustrissimus Aravio Episcopus Segobiensis, Episcopus Mascarenas Lusitanus & alii, eamque breviter refutavi in libro 1. Sent. de Scientia Dei, ac ulterius

Impugnatur 1. Infrustrabilitas divinæ voluntatis largientis gratiam efficacem, & ipsius gratiæ efficacis debet esse metaphysica, & non solum moralis; seu gratia efficax debet metaphysice connecti cum operatione bona; atqui talis prædeterminatio moralis tantum moraliter, & non metaphysice connecteretur cum operatione bona: ergo. M. videtur liquere; quia talem infrustrabilitatem exigit infinita perfectio voluntatis divinæ largientis talem gratiam ex effective efficaci intentione, ut cum operatione infallibiliter connectatur.

Impugnatur 2. Ab experientia habemus, non raro nos bene operari absque morali impossibilitate ad malum oppositum. Imo interdum quando heroicum actum, v. g. dilectionis elicimus, experimur nos magis inclinari in oppositum v. g. ad odium inimici, quod absque difficultate tunc concipere possemus: ergo cnnsentimus gratiæ in talibus casibus absque necessitate morali ad oppositum: etenim necessitas moralis, quam adstruunt AArii. tollit possibilitatem, & facilitatem ad oppositum.

Obiic. 1. S. August. ad Simplicianum q. 2. dicit: *Deus sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat:* ergo D. August. constituit gratiam efficacem in prædeterminatione ad indolem Illius, cui confertur. R. D. a. quod scit ei congruere dependenter a decreto conditionato concomitanti, quod importat infrustrabilitatem metaphysicam, & salvat etiam libertatem moralem in homine c. a. independenter a tali decreto, n. a.

Obiic. 2. Quamvis damnati possent physice elicere opus bonum, tamen nunquam elicient, & habent impossibilitatem moralem rigorosam ad opus bonum: ergo idem dicendum de sic moraliter prædeterminatis. R. D. c. si etiam salvarentur salvanda, scilicet infrustrabilitas divinæ voluntatis & gratiæ, & libertas moralis, quam ordinarie saltem habemus ad bonum etiam stante gratia efficaci, c. c. secus, n. c.

221 Theologi celeberrimi S. J. dicunt, gratiam efficacem in actu primo consistere in auxilio supernaturali, de se quidem indifferente, dato tamen dependenter a Scientia media. Adeoque juxta Ipsos

gratia

gratia efficax importat 1. Auxilium ſupernaturale intrinſece indifferens ad operationem bonam, & ejus omiſſionem; 2*do*. Importat Scientiam mediam, qua Deus prævidit, Petrum eſſe conſenſurum, ſi haberet hoc auxilium. Gratia enim efficax duo dicit; *primo*: virtutem effectivam conſenſus, & Actus boni, & hanc habet auxilium gratiæ ex intrinſeca ſua entitate. 2do. dicit etiam metaphyſice infallibilem connexionem auxilii cum Actu bono; hanc vero non poteſt habere ex ſua intrinſeca entitate, alias enim foret prædeterminatio phyſica, & gratia ab intrinſeco efficax lædens indifferentiam & libertatem voluntatis: ergo debet hanc infallibilem connexionem habere ab extrinſeco, ſcilicet a Scientia media; impoſſibile enim eſt, eſſe in Deo Scientiam mediam de conſenſu conditionate futuro ſub auxilio A, & dari defacto auxilium A, quin detur conſenſus: ſicut impoſſibile eſt dari Scientiam viſionis, aut revelationem de peccato D. Petri pro tali tempore, & dari tale tempus quin detur peccatum Petri; cum impoſſibile ſit ſcientiam divinam ſive mediam, ſive viſionis falſificari.

Verum hoc Syſtema ex eo non placet, quia fundatur in Scientia media, quam Scotiſtæ plerique negant. Quare

§. II.

Statuitur noſtra Sententia.

Affero 1. Gratia efficax conſiſtit in auxilio congruo, ſeu in iis 222
circumſtantiis dato, in quibus infallibiliter operabitur effectum ſuum, ſeu operationem bonam. Ita communis Scotiſtarum Decretum non-determinans defendentium. Prob. 1. Authoritate D. Auguſtini, Qui lib. 1. ad Simplicianum q. 2. dicit: *Illi electi, qui congruenter vocati: Illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non ſecuti, quamvis vocati.* Et paulo poſt: *etiamſi multos vocet, eorum tamen miſeretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum eſt, ut ſequantur.* Et iterum paulo poſt ſubdit: *Solius Dei miſerentis eſt, qui hoc modo vocat, quomodo aptum eſt, & quo ſcit aptum eſſe ei, cujus miſeretur, ut vocantem non reſpuat.* Ac libro de gratia & lib. Arbitrio c. 5. ait: *quod Paulus tunc de cœlo vocaretur, & tam magna, & efficaciſſima vocatione connecteretur, gratia Dei erat ſola, quia ſolius Dei miſerentis eſt, hoc modo vocare, quomodo aptum eſt.* Quæ omnia inſinuant gratiam efficacem conſiſtere in auxilio congruo.

Prob. 2. Per auxilium congruum omnia salvari possunt, quæ circa gratiam efficacem salvanda sunt: ergo gratia efficax est in tali auxilio congruo statuenda. a. patebit ex statim dicendis.

223 Assero 2. Auxilium congruum juxta nos consistit in auxilio supernaturali, ex se indifferente, dato tamen in iis circumstantiis, in quibus vi decreti conditionati concomitantis homo infallibiliter erit consensurus. Ita sentire debent Scotistæ condeterminantes. Hinc in nostra sententia gratia in actu primo efficax importat ista tria. 1mo. Auxilium supernaturale ex sua entitate indifferens, & conjungibile cum operatione bona, & consensu, vel cum ejus omissione, aut dissensu. 2do. Decretum condeterminans conditionatum, quo se Deus & homo jam ab æterno condeterminant ad consensum pro tali tempore sub conditione, si tunc homo haberet hoc auxilium supernaturale. Aliqui etiam addunt Scientiam conditionatam, qua Deus videt mediante hoc decreto concomitanti conditionato hominem pro tali tempore esse consensurum, si tunc haberet hoc auxilium; quæ Scientia probabilius datur pro priori signo ante Decretum absolutum, quo statuitur collatio talis auxilii. 3tio. Importat etiam Decretum absolutum purificans conditionem, vi cujus statuitur gratia conferenda tali tempore, quo vi condeterminationis & Decreti concomitantis conditionati infallibiliter dependenter a tali auxilio erit futura operatio bona Creaturæ. Hinc Deus dando gratiam efficacem quasi sic tendit: *Decerno cum Petro pœnitentiam ab Ipso tali tempore agendam, si tunc darem Auxilium supernaturale A; sed dabo tunc ex mea Misericordia & liberalitate auxilium A: ergo decerno cum Petro pænitentiam ab Ipso tali tempore agendam.* Ubi in Majori est Decretum conditionatum concomitans, in quo determinatur infallibiliter futura pœnitentia Petri, si conditio sit purificanda. In minori vero ponitur Decretum prædefiniens, non vero concomitans: quia a sola misericordi voluntate divina, non vero a nostra dependet dare, & decernere gratiam pro his circumstantiis, pro quibus homo est cooperaturus, vel hanc gratiam, cui est cooperaturus, & non aliam, cui homo non esset cooperaturus. Stante enim Decreto conditionato, vi cujus homo in talibus circumstantiis esset cooperaturus, fuisset Deo integrum, & liberum, hanc gratiam in aliis circumstantiis conferre, in quibus Petrus non erat consensurus, vel potuisset etiam auxilium B. tribuere, cui homo vi alterius decreti conditionati concomitantis non erat consensurus. Nulla enim lege Deus adstringitur, ut gratiam in

illis circumstantiis concedat, in quibus homo est consensurus, vel illam gratiam, cui homo est consensurus.

Jam in Conclusione ponitur Decretum concomitans absolutum, & sequitur iste consensus, tam a nostra voluntate, quam a Deo simul se condeterminante, & concurrente ad illum consensum efficiendum. Verum istud decretum concomitans absolutum, & consensus creaturæ, qui vi ejus ponitur, non amplius spectat ad gratiam efficacem in actu primo, sed dicit ipsum actum secundum, ut patet consideranti. H. S.

Prob. Conclusio. Hoc Systema salvat omnia, quæ circa Mysterium gratiæ efficacis sunt salvanda: *1mo.* enim salvat in auxilio supernaturali virtutem effectivam infallibiliter connexam cum consensu. Virtus effectiva enim inest ipsi auxilio gratiæ. Metaphysice infallibilis connexio habetur partim a Decreto condeterminanti conditionato, quo erat decretus, & condeterminatus consensus sub tali auxilio, tali tempore habendus, partim ab ipso Decreto prædefiniente, purificante conditionem; siquidem metaphysice implicat non existere præsentiam Petri pro illo tempore, pro quo sub conditione a Deo decreta est, posito, quod conditio sit purificata; quia alias frustraretur Decretum divinum conditionatum, quæ frustratio metaphysice impossibilis est. 2. Optime etiam salvatur hominis libertas, cum tale auxilium non necessitet antecedenter, tum; quia ex sua entitate intrinseca est indifferens ad consensum, & dissensum; tum, quia tantum efficit illud, ad quod Creatura se prius jam cum Deo conditionate determinavit. 3. Salvatur, quod gratia efficax sit singulare beneficium Dei miserentis, & quod efficacia gratiæ proveniat ultimato a Deo, & non ab homine: quia Deus est, qui ex mera liberalitate Auxilium A, cui homo est consensurus vi Decreti condeterminantis conditionati concedit præ aliis auxiliis, quibus homo non fuisset consensurus &c. id, quod monet & inculcat D. Aug. allegatus n. præc. dicens: *Solius Dei miserentis est, qui hoc modo vocat, quomodo aptum est. &c.* Inde etiam est, quod recipiens gratiam efficacem in ratione doni semper plus requirat præ eo, qui recipit gratiam mere sufficientem, licet forte non plus recipiat in ratione qualitatis physicæ, quia utique majus beneficium est conferre alicui ex mera liberalitate & affectu miserendi gratiam in eo rerum ordine, in quo ipsi est infallibiliter profutura, quam in aliis circumstantiis, in quibus recipiens illa certo erit abusurus.

410. Salvatur etiam admirabile Mysterium, quod importat collatio Auxilii efficacis, consistens in hoc, quod Deus ex mera liberalitate, & justo Judicio uni det gratiam congruam & efficacem, præsertim finalem, alteri vero non det. de hoc enim Mysterio *noli interrogare, si non vis errare*, ait S. Augustinus tr. 28. in Joan. Qui de Spiritu & littera c. 34. ulterius dicit: *Jam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet: cur illi ita suadeatur, ut persuadeatur, illi autem non ita, duo sola occurrunt interim, quæ respondere mihi placent. O! Altitudo divitiarum: & nunquid iniquitas apud Deum? Cui responsio ista displicet, quærat doctiores, sed caveat, ne inveniat præsumptores.* Ex his

224 Deduces 1. Gratiam sufficientem, si spectetur ejus virtus intrinseca, esse etiam efficacem in actu primo, quatenus To *efficax* in actu primo importat virtutem proximam ad efficiendum actum illum, ad quem talis gratia ordinatur, maxime, si gratia sit proxime sufficiens; non vero gratia sufficiens eatenus est efficax & in eo sensu, quo efficacia importat infallibilem connexionem gratiæ cum consensu.

Deduces 2. Efficaciam sumptam pro infallibili connexione gratiæ cum consensu & operatione bona non esse intrinsecam entitati gratiæ, sed ei ab extrinseco advenire propter decretum condeterminans conditionatum, & prædefiniens conferens illam gratiam. Hinc

Deduces 3. Gratiam efficacem, & sufficientem non differre essentialiter, & entitative, & sæpe illam gratiam, quæ huic homini taliter disposito collata mere est sufficiens, posse esse efficacem, si alteri homini conferatur, vel si huic detur in aliis circumstantiis; quia huic gratiæ, cui Petrus non consensit, potest consentire Paulus, vel cui Petrus hac hora passione concitatus noluit acquiescere, potest consentire, si hanc gratiam reciperet alio tempore, quo passio cessat. Proinde hoc auxilium nunc potest esse congruum, nunc non esse congruum.

225 Objic. 1. Ex nostra sententia sequeretur, quod peccatores recipientes gratiam mere sufficientem possint contra Deum conqueri, quod ipsis non detur gratia congrua; sequela est falsa: ergo. R. N. M. Ex una parte, quod gratia in his circumstantiis collata non connectatur cum operatione bona, non provenit ex entitate gratiæ, quæ in actu primo, *quantum est ex se* fortes, ac efficaces vires tribuit. Et gratia sufficiens etiam a Deo datur ob ipsam operationem, quam vult ab homine poni. Hinc omnis defectus refunditur in liberum ho-

hominis arbitrium, quod noluit consentire, & cooperari gratiæ, dum tamen potuit. Ex altera parte Deus nulla lege obligatur, ut semper in iis circumstantiis elargiatur gratias suas, in quibus prævidet, hominem cooperaturum. Hominis potius obligatio est, ut omni tempore allaboret cooperari omni auxilio gratiæ, & nullam otiose transire permittat, ne forte, dum unum tantum talentum in Sudario reponit, & illo negotiari omittit, id est, dum vel uni gratiæ non cooperatur, hæc ipsi auferatur, ac alii concedatur, qui illi consensurus prævidetur dependenter a Decreto conditionato.

Objic. 2. Ex nostra sententia sequeretur, quod gratia fieret efficax per nostrum consensum, sed hoc est falsum; alias enim gratia efficax non esset speciale Donum Dei: ergo. R. D. M. quod fiat efficax per consensum nostrum tanquam requisitum partiale c. M. tanquam requisitum unicum, & principale n. M. Consensus noster, & condeterminatio nostra equidem etiam est inter requisita, vel saltem connotata gratiæ efficacis, hanc tamen non constituit principaliter, sed potius gratia per hoc principaliter fit efficax, quod Deus eam conferat in illis circumstantiis, in quibus homo est consensurus, & quod conferat illam gratiam, cui homo tunc est consensurus. Quod autem aliqualiter efficacia gratiæ pendeat a nostra voluntate, patet, *tum*: quia alias non posset salvari nostra libertas; *tum*, quia Ipse Paulus clamat, ne in vacuum gratiam Dei recipiamus: ergo ex nostra voluntate stat, facere, ut gratia non sit vacua; vel vacua non est, ut sit infallibiliter connexa, vel non connexa cum nostra operatione bona.

Objic. 3. Saltem nostra condeterminatio conditionata præcederet actualem collationem auxilii, & sic salutis initium foret a nobis, & non a Deo; quod Pelagianum est: ergo. R. D. a. Nostra determinatio conditionata præcederet actualem collationem auxilii tanquam meritum, vel dispositio, aut motivum conferendi absolute tale auxilium, n. a. præcise tanquam aliquod requisitum ad infallibiliter connectendum auxilium cum nostra operatione, c. a. Semi-pelagiani somniabant consensum Creaturæ conditionate prævisum esse quoddam veluti meritum naturale ad obtinendam a Deo gratiam pro statu absoluto. Unde dicebant, gratiam esse naturæ pedissequam. Quod tamen longe a nostra Sententia abest, quæ dicit, Decretum conditionatum condeterminans, & consequenter nostram quoque

determinationem virtualiter in tali Decreto inclusam dare gratiæ efficaci, partialiter saltem, infallibilitatem, non meritum, nec esse motivum, vel dispositionem, quæ habilitaret hominem ad talem gratiam: Jam etiam stante hoc Decreto conditionato, & consensu nostro conditionato Deus ex mera misericordia tale auxilium concedat, vel ex justo Judicio deneget.

Objic. 4. In Concilio Arausicano c. 5. damnatur, qui humilitati, aut obedientiæ humanæ subdit gratiæ adjutorium; sed nos hic subderemus, si diceremus, id non ex se, sed ex cooperatione humanæ voluntatis esse efficax: ergo. R. D. M. damnatur, qui subdit humanæ obedientiæ gratiæ Adjutorium eo sensu, ut prius incipiat Homo suis viribus naturalibus opus bonum, & prius ponat aliquid, quod habet rationem meriti, vel motivi conferendi gratiam, vel saltem dispositionis naturalis habilitantis ad gratiam, c. M. qui subdit eo sensu, quo Deus motibus & moribus Hominum dependenter a gratia futuris, & conditionate decretis utitur, ut suum auxilium habeat infallibilem connexionem cum operatione, & consensu Hominis n. M. In hoc sensu etiam explicari debet illud Arausicani, negantis, Deum exspectare nostras voluntates, ut a peccato purgemur. Ex quo etiam patet, quod Homo non possit gloriari adversus Deum, neque seipsum discernere; quia semper est specialis favor Dei ex mera liberalitate & miseratione divina, si Homo habeat gratiam efficacem infallibiliter cum operatione bona connexam; adeoque talis gloria spectat ad Deum, qui Hominem bene operantem discernit media gratia congrua, a non operante bene.

Articulus V.

De gratuitate gratiæ; seu, an possit se aliquis ad gratiam disponere per opera naturalia?

§. I.

Notanda & Conclusiones.

226 Jam superius dictum est, quod gratia sit donum aliquod supernaturale, excludens omne meritum, scilicet naturale ex parte subjecti, omnemque exigentiam tam physicam, quam moralem operationum

mere naturalium. Dixi: *Operationum mere naturalium;* nam operationibus mere naturalibus non potest esse debita gratia. Aliud est de operationibus supernaturalibus ex gratia procedentibus; quarum intuitu si datur ulterior gratia, actualis, vel augmentum gratiæ sanctificantis, tunc datur *gratia pro gratia*; quod rationi gratiæ non repugnat. Unde Quæstio hic agitatur, an non aliquo pacto opera naturalia possint disponere ad gratiam supernaturalem? Cui dubio ansam præbuit Axioma inter Th. Th. receptissimum: *facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam.* Controvertitur igitur, an Deus illi, qui ex solis viribus Naturæ sine concurrente supernaturali gratia observaret legem Naturæ, Deus concedat infallibiliter gratiam supernaturalem, qua ad fidem, & justificationem pervenire possit, atque adeo inquiritur, an Deus gratias suas alligarit bonis operibus naturalibus, sic, ut si ea fiant, Deus daturus sit gratiæ supernaturalis auxilia.

Certum videtur, quod Deus non conferat gratias supernaturales ob opera mere naturalia, tanquam merita de congruo. Quia ex Tridentino, & Arausicano II. nullum opus mere naturale, seu quod non procedit ex gratia, potest esse meritorium, sive de congruo, sive de condigno. Deinde gratia est omnino gratuita: ergo excludit omne meritum naturale de congruo: cum etiam de ratione meriti de congruo sit quoddam debitum & exigentia.

Qua de causa sola disputatio est, an opera mere naturalia possint esse aliqua dispositio, sive positiva, sive negativa ad gratiam supernaturalem. Est autem quoddam discrimen inter dispositionem, & Meritum; sic bona indoles naturalis est dispositio ad gerendum Magistratum in Republica, non tamen est Meritum, quia Meritum est aliquod obsequium præstitum illi, apud quem meretur; atqui bona indoles non est obsequium præstitum Reipublicæ: ergo.

Assero 1. Nequit Homo per opera mere naturalia se positive 227
disponere ad gratiam ea ratione, qua opera naturalia haberent cum gratia connexionem fundatam in aliqua congruitate distincta a Merito, & exigentia naturali. Viva, Mezger, Henno, Herincx, & alii communiter.

Prob. 1. Si per opera mere naturalia nos possemus disponere ad gratiam, tunc salutis nostræ initium non esset a divino auxilio, sed a nobis; atqui sequela videtur esse falsa: ergo. M. patet: quia pri-

mam

mam dispositionem nos ex nobis, & non ex supernaturali auxilio poneremus. m. prob. 1. Ex Trid. Sess. 6. de justificatione c. 5. asserente: *Ipsius Justificationis exordium in Adultis a Dei per JEsum Christum gratia sumendum esse.* prob. 2. Ex damnatione sequentium Propositionum facta in Concilio Arausicano II. Ejusmodi Propositiones sunt sequentes: 1ma. *Ad invocationem humanam gratia potest conferri; non autem ipsa gratia facit, ut invocetur a nobis;* quæ Can. 3. damnata est ut contraria Isaiæ & Apostolo. 2da. *Voluntatem nostram sine Spiritus S. infusione conceptam Deus exspectat, ut a peccato purgemur.* quæ Can. 4. confixa est. 3tia. *Sine auxilio gratiæ credentibus, volentibus, conantibus &c. adjungitur gratia.* Hæc profligata est Can. 6. 4ta. *Potest quis per naturæ vigorem bonum aliquod cogitare, & eligere, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ.* Quæ rejecta est Can. 7. Et tandem Can. ult. seu 25. damnata est ista: *In opere bono nos incipimus, & postea per Dei gratiam adjuvamur:* ubi etiam ait Concilium: *quod Ipse Deus in nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem sui prius inspiret.* Ex quibus propositionibus damnatis plane sequitur aperte, nos non posse per opera mere naturalia incipere, & aliquid agere, quod ad salutem pertineret, aut disponeret.

Concilium quidem Arausicanum II. non fuit generale, est tamen Authoritatis infallibilis in suis Canonibus, utpote qui ex diversis locis S. Augustini & Prosperi fortissimorum gratiæ Defensorum fere ad verbum desumpti, atque ab Ipsa Sede Apostolica ad illud Concilium, ut subscriberentur, transmissi, & demum a S. Bonifacio II. Romano Pontifice confirmati sunt ad preces S. Cæsarii Arelatensis, qui laudato Concilio præsederat.

Prob. 2. Joan. 15. dicit Christus: *Sine me* (id est, sine gratia) *nihil potestis facere;* nimirum in ordine ad salutem; sed si Homo solis viribus naturæ posset assequi gratiam, & ad eam se disponere, posset aliquid facere in ordine ad salutem sine gratia: ergo. Quæ argumentatio confirmatur ex D. Aug. qui in cit. textum Joannis 15. ita loquitur: *Non ait, sine me nihil potestis perficere, sed facere; nam si perficere dixisset, possent illi dicere, non ad incipiendum bonum, quod a nobis est, sed ad perficiendum adjutorium esse necessarium.*

Confirm. 1. 2. cor. 3. ℣. 5. dicitur: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est,* in illis, quæ

con-

conferunt ad salutem; atqui oppositum fieret, si nostris tantum viribus possemus nos ad gratiam disponere.

Confirm. 2. Nemo potest se ab alio in negotio salutis discernere, ut docet Apostolus 1. Cor. 4. ℣. 7. dicens: *Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* atqui qui propriis viribus infallibiliter obtineret gratiam, quæ salutem operaretur, discerneret se in negotio salutis ab alio, qui defectu operationis naturalis, illam non assequeretur: ergo. Laudatum quoque Concilium Arausicanum, & D. Aug. L. de Prædestinat. SS. c. 4. & 5. ex mox cit. textu S. Pauli probant rationem non esse sumendam ex parte ipsius Hominis, & dispositione naturali liberi arbitrii.

Resp. AArii 1mo. a Concilio Arausicano, Tridentino & PP. tantum damnari errorem Semi-Pelagianorum asserentium, Hominem per opera ex solis viribus naturæ facta mereri gratiam, saltem de congruo, quod Catholici non dicunt, dum admittunt opera naturalia disponere ad gratiam.

Contra est 1. Cassianus cum suis Massiliensibus, seu Semi-Pelagianis, quorum Dux erat, nunquam dixit, opera naturalia mereri gratiam de congruo, sed solum cum illis dixit, quod opera naturalia tanquam initium aliquod imperfectum præcedant gratiam; ut ostendit Amicus, & patet ex Collat. 13. Cassiani, in quo totus Semi-pelagianismus continetur, in qua nihil de Merito legitur, & tamen a Divis Augustino, & Prospero, & Arausicano fuit damnata Ipsius sententia; eoquod doceret bonam aliquam voluntatem in salutis negotio ex nobis præcedere, cui pedissequa sit gratia: ergo hæc responsio nulla est. 2. Imo ex hoc ipso, quod bona opera naturalia præcedant gratiam, SS. PP. intulere, quod ista opera sint merita aliqua, per quæ quis meretur gratiam subsequentem; sic D. Aug. l. 2. ad Bonifacium c. 8. ait: *Si sine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipsum cœptum erit meritum, cui tanquam ex merito veniat adjutorium, ac sic gratia Dei non gratis donabitur.* D. Prosper l. adversus Collatorem c. 6. *Velis, nolis convinceris dicere gratiam Dei secundum merita nostra dari, cum aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur, affirmas.* Et plane idipsum videtur adstruere D. Paulus ad Rom. 4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Et ad Rom. 11. *Si autem gratiam, jam non ex operibus,* alio-

alioquin gratia jam non est gratia, quia scilicet non gratis, sed ex merito, & debito datur. Hæ instantiæ magis confirmabuntur dicendis pro conclusione secunda.

Resp. 2do. Esse disparitatem inter Semi-Pelagianismum, & hanc sententiam, quia juxta Semi-Pelagianos sine prævia dispositione mere naturali nunquam a Deo conceditur gratia. Juxta Catholicos vero, qui contrariæ sunt sententiæ, etiam illi, qui non ponunt talem dispositionem naturalem præcedentem, adjuvantur auxiliis gratiæ pro tempore, & opportunitate; alias enim graves Peccatores fideles &c. non acciperent gratiam sufficientem, quod damnatum est in illa propositione Alexandri VIII. *Voluntas Paganorum, & Hæreticorum est nuda, & inermis sine gratia sufficiente.*

Contra est: Etiam Semi-Pelagiani admittebant gratiam dari aliquando prorsus immerentibus, & ante dispositionem naturalem præviam, & solum defendebant, aliquando Deum exspectare nostram operationem naturalem, antequam tribuat gratiam. Quod patet ex Cassiano Collat. 13. atque ex S. Prospero, qui Eum c. 5. sic impugnat: *Secundum quippe tuam mensuram, qua Sanctorum, & Fidelium Voluntatum asseris non in omnibus hominibus ex Deo esse principium; quasi multum gratiæ tribuas, si hoc eam in quorumdam mentibus operari acquiescas:* ergo ex hoc Capite Illorum DD. Catholicorum assertio non videtur disceptare a sententia Cassiani, & Massiliensium.

Contra est 2do. Concilia, PP. & Scriptura videntur universaliter negare, quod unquam in quocunque etiam non semper contingente casu nostra salus habeat initium a nobis: ergo.

228 Assero 2. Neque opera pure naturalia possunt esse dispositio negativa ad gratiam, quatenus Homo sequendo ductum rationis naturalis sine adjutorio Dei non peccaret, ac non peccando non poneret obicem gratiæ. Ita communior contra Suarez, Valentiam, Lorcam & alios, qui judicant, quod taliter negative se disponentibus, & bene per solas vires naturales operantibus Deus sit infallibiliter daturus gratiam; quia talibus operibus tanquam meris conditionibus, & terminis, non vero causis moralibus, aut Meritis alligavit gratiam, quamvis eam etiam frequenter conferat obicem ponentibus, & non operantibus bene. Contra quos

Prob.

Prob. 1. Si opera naturalia disponerent negative ad gratiam, eo ipso haberent rationem Meriti congrui, & causæ moralis; atqui opera naturalia non possunt habere rationem Meriti congrui, neque gratiam causare moraliter: ergo. m. conceditur ab AAriis. M. prob. 1. memb. M. quia talis gratia confertur intuitu operis naturaliter boni, & quidem ideo, quia, ut loquuntur AArii, congruum, & rationabile est gratiam potius conferre illi, qui per vires naturales bene, quam illi, qui male operatur: ergo talia opera naturalia haberent rationem Meriti congrui. Prob. etiam 2. memb. M. Quamvis Ille, qui removet impedimentum effectus, non sit causa physica talis effectus, tamen est causa moralis ejusdem. Sic, qui removet asserem, qui impediebat casum lapidis, ex cujus casu prævidet occisionem proximi, vera est causa moralis hujus homicidii, & qui aperit januas Carceris, & frangit vincula Captivi est causa moralis libertatis ejusdem: ergo etiam, qui removet obicem gratiæ, ad cujus remotionem infallibiliter gratia conferatur, vera est causa moralis hujus gratiæ.

Prob. Concl. 2. Adversarii reipsa debent admittere dispositionem aliquam positivam, quamvis eam vocent negativam: ergo contra eos militant omnia, quæ contra Adversarios primæ Conclusionis sunt dicta. a. p. Juxta Adversarios ideo taliter se disponenti debet conferri gratia, quia per vires naturales faceret, quantum est ex se; atqui per solam carentiam peccati non faceret, quantum est ex se, & quantum posset: ergo. m. p. Ad hoc, ut faciat aliquis quantum est ex se, deberet accedere ad Deum, quantum per vires naturales posset, Ipsum positive colendo, invocando, & se convertendo ad Deum, tanquam finem ultimum, quod importat etiam honestatem positivam actuum talium naturalium, & non meram evitationem peccatorum: ergo.

Confirm. 1. Deus opera bona, per quæ se Homo disponit ad gratiam, non exegit tanquam conditionem omnino impertinentem, sed tanquam conditionem aliqua ratione conducentem, alias enim ista opera naturalia, & conatus naturaliter boni erga Deum respectu gratiæ perinde se haberent, ac si Deus pro conditione exegisset opera omnino indifferentia, aut peccata venialia, quæ etiam impertinenter se habent ad gratiam; atqui si opera naturalia non se habent impertinenter ad gratiam consequendam, tunc non sunt dispositiones negativæ nullam importantes condecentiam ad gratiam: ergo.

Confirm. 2. Ex Adversariorum Sententia sequeretur, quod, si quis per magnam vitæ partem esset fatuus, & deinde ad mentem sanam rediret, deberet statim gratiam accipere, quia esset negative dispositus, cum non habeat obicem, seu peccatum mortale; vel si hoc non sequitur, tunc debet admitti, quod non quævis carentia a peccato, etiam longo tempore continuata, fit dispositio ad gratiam, sed requirantur insuper actus quidam pii, quibus Homo tendat positive in Deum. Adde, nec eum, qui longo tempore ex motivo mere indifferenti, aut venialiter malo evitaret peccatum, satis fore dispositum ad gratiam, etiamsi careat peccato mortali: ergo iterum sequitur, plus, quam meram remotionem peccati mortalis requiri ad consequendam gratiam. Denique, si in hac lege Deus non respiceret ad valorem bonorum operum, non esset ratio, cur Deus non æque vellet conferre gratiam solem aspicienti, quam facienti, quod est in se &c.

Prob. Concl. 3*tio.* Ex Adversariorum Sententia adhuc sequitur, quod salutis nostræ initium sit ex nobis; quia nostra operatio & dispositio adhuc fuisset prior gratia. 2. Sequitur, quod unus se discernat ab alio, quia Petrus potest dicere, ideo se præ Paulo habere gratiam, quia fecit, quod est in se naturæ viribus, non vero Paulus. 3. Sic etiam potuissent respondere Massilienses, scilicet, opera bona naturalia esse tantum dispositiones negative tales, & taliter potuissent eludere vim argumenti S. Augustini, & S. Prosperi, & Concilii Arausicani. 4. Si detur tale Decretum, vi cujus nostræ dispositioni naturali esset alligata gratia, tunc illius mentionem faceret S. Scriptura, PP. aut Concilia; ast nullibi ejus fit mentio, imo potius contrarium docetur: ergo.

§. II.

Solvuntur objectiones, & explicatur illud Axioma: facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam.

229 Objic. 1. Opera Cornelii Centurionis, de quo in Actibus Apostolorum, erant naturalia, utpote Hominis gentilis; & tamen ob ea misit Deus Petrum, ut doceret, & Baptizaret eum: ergo etiam opera mere naturalia disponunt ad salutem. R. N. 1. memb. a. Nam ista

opera

opera Cornelii ex gratia Dei procedebant, ut teſtatur D. Aug. l. de prædeſtin. Sanctorum dicens: *Quia, quidquid antequam in Chriſtum crederet, & cum in Chriſtum crediḋiſſet, bene eſt operatus Cornelius, Deo donandum eſt, ne forte quis extollatur.* Imo Cornelius, antequam in Chriſtum credidit, jam habuit fidem ſupernaturalem de Deo Remuneratore, quamvis non habuerit fidem explicitam de Chriſto, & de lege Evangelica Ipſi necdum prædicata; Ita enim teſtatur Arauſicanum Can. 25. dicens: *Illius Latronis, quem Deus ad Paradyſi Patriam revocavit, & Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini miſſus eſt, & Zachæi, qui Ipſum Dominum ſuſcipere meruit, admirabilis fides, non fuit de natura ſed divinæ largitatis donum.*

Objic. 2. *Hominis eſt præparare, & Domini gubernare linguam.* prov. 16. ergo opera naturalia præparant ad adjutorium gratiæ. Reſpondeo D. a. Hominis eſt præparare ex ſolis viribus naturalibus n. a. Hominis adjuti, & excitati per gratiam divinam eſt præparare c. a. hæc iſpa præparatio debet procedere ex viribus gratiæ nos excitantis, & adjuvantis; & ſic omnes textus, qui videntur nobis eſſe oppoſiti, explicari debent. Unde ait D. Auguſtinus: *Dominus admonet, ut præparemus voluntatem, & tamen ut hoc faciat Homo, adjuvat Deus.*

Objic. 3. Fruſtra eſſent adhortationes, & Orationes, ſi non ſolum perfectio, ſed & initium Salutis a ſolo Deo penderet: ergo. R. N. a. Nam cum etiam ſtante gratia nos excitante, & præveniente poſſimus bene vel male agere, hinc recte admonemur noſtri Officii, ne gratiam in vacuum abire ſinamus. Deinde, quando externe admonemur, tunc talem adhortationem vel præcedit, vel ſaltem concomitatur gratia interna, ſine qua nulla adhortatio externa eſſet ſufficiens ad Actum ſalutarem. Et quamvis nemo poſſit orare, prout oportet, ſine gratia præveniente, & auxiliante, ut habet Arauſicanum Can. 3. Tamen ipſa oratio ſic mediante ſupernaturali Auxilio facta, diſponere poteſt ad ulteriorem gratiam, & ſic non eſt inutilis.

Objic. 4. Non eſt *acceptor perſonarum Deus.* Act. 10. ſed eſſet acceptor Perſonarum, ſi uni præ altero gratiam conferret, non exſpectata prius bona operatione: ergo. R. N. m. Acceptatio Perſonarum opponitur juſtitiæ diſtributivæ, quando ſcilicet Bona communia debite diſtribuuntur in bonum communitatis; aſt Deus non diſtribuit bona communia, ſed propria, absque ullo debito, cui

maluerit. Unde dicitur Math. 20. *An non licet mihi facere, quod volo?* Aliud esset, si nos haberemus aliquod jus ad gratias, & illæ nobis essent debitæ; tunc illas pro libitu & inæqualiter dispensando, Deus posset dici Acceptor Personarum.

Objic. 5. Potest aliquis alteri impetrare gratiam: ergo etiam sibi. R. D. a. Aliquis adjutus gratia potest suis actibus supernaturaliter bonis, alteri impetrare gratiam c. a. secus n. a.

Objic. 6 Quamvis Deus ob petitiones nostras naturales, & opera nostra naturalia conferret gratiam, tamen gratia adhuc esset purum donum; sicut eleemosyna est opus puræ misericordiæ, licet conferatur pauperi ob ejus supplicationem: ergo. R. N. parit. Eleemosyna non datur ob preces pauperis ut obsequiosas Diviti, sed ob miseriam pauperis per preces manifestatam, secus enim non esset pura eleemosyna: contra vero, si Deus daret gratiam intuitu Orationis, aut operationis naturalis, tunc non respiceret illud ut mere manifestativum indigentiæ, cum aliunde hanc rescіat, sed ut obsequium sibi præstitum ex motivo Religionis, aut alterius virtutis; proinde gratia non esset purum Donum, sed debitum.

Objic. 7. Angelis perfectioribus quoad Essentiam, & Naturam dedit Deus dona gratiæ uberiora, ut in Tractatu de Angelis dictum est; & tamen ex hoc non sequitur, quod dona gratiæ amittant rationem gratiæ: ergo pariter, etsi de facto Deus alligarit gratiam bonis operibus naturalibus, tamen non sequitur, gratiam amittere rationem gratiæ. R. N. c. & parit. Disparitatem dat D. Thomas p. 1. q. 62. art. 6. dicens: *Actus naturales Creaturæ sunt ab ipsa, sed Natura immediate est a Deo: unde magis videtur, quod Gratia detur secundum gradum naturæ, quam ex Operibus.* Id est: Natura Angelorum est opus Dei, bona opera naturalia sunt operationes creaturæ; atqui non est contra rationem gratiæ, quod Deus eam juxta proportionem operis sui dispenset liberaliter; bene esset contra rationem gratiæ, si eam largiretur pro operibus alienis Creaturarum; quia sic non liberaliter dispensaret, sed ex merito Creaturarum, & debito.

Objic. 8. Prima gratia supernaturalis est vocatio ad fidem; & tamen multi Barbari non videntur unquam fuisse vocati ad fidem; quia nihil unquam audierunt de fide: ergo si tales fecissent viribus naturæ, quod est in se, Deus dedisset gratiam fidei. A. prob. *fides est humanæ salutis initium, & radix omnis justificationis*, Trid: Sess. 6. c. 8.

R. D.

R. D. 2. Prima gratia supernaturalis est vocatio ad fidem, vel proxima, vel remota, id est remote disponens ad gratiam fidei c. a. semper est vocatio proxima n. a. Fides supernaturalis est eatenus salutis initium, quia omnis alius Actus a fide distinctus conducens ad salutem, vel jam præsupponit fidem, vel ad eam consequendam disponit; unde fidem stricte dictam præcedit illustratio & inspiratio dirigens Actus illos, qui tanquam dispositiones, vel inchoationes quædam conducunt ad ipsam fidem; atque hi actus dispositivi a D. Augustino l. 1. ad Simplicianum q. 2. *vocantur inchoationes quædam fidei conceptionibus similes, possuntque appellari fides latius dicta*,

Quæres: quemnam sensum faciat Axioma illud theologicum; 330 *facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam?* Ante responsionem nota, hoc Axioma esse communissime receptum a Catholicis DD. quidquid contra illud dicat Calvinus, qui vult esse falsum. H. N.

Resp. Sensus Axiomatis est: *facienti, quod est in se, non viribus naturæ, sed gratiæ, prævenientis liberum Aribitrium, Deus non denegabit ulteriores gratias, quibus ad justificationem & salutem proxime disponatur.* Ratio hujus est: quia ex una parte hoc Axioma est verum, utpote ab omnibus Theologis receptissimum: & ex altera parte non potest intelligi de faciente quod est in se per vires naturæ, ut probatum est: ergo debet intelligi de faciente, quod est in se per vires gratiæ.

Prob: ulterius ex SS. PP. S. August. l. 2. contra duas Epistol. Pelagianorum c. ult. *Nemo potest bonum inchoare sine Domino.* S. Fulgentius Epist. ad Theodoretum: *Ipsa namque gratia incipit infundi, ut incipiat posci; ipsa quoque amplius infunditur, cum poscentibus datur.* S. Bernardus de gratia & lib. Arbit. *Omnes nostri conatus ad bonum cassi sunt, si a gratia non adjuventur, & nulli, si non excitentur.* Trid Sess. 6. c. 5. dicit: *Cum dicitur, convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis nostræ admonemur; cum respondemus, converte nos Domine ad Te, & convertemur, Dei nos gratia præveniri confitemur.*

Quare, etsi Homo in Sylvis esset enutritus, tamen huic gratia interna illuminans, & inspirans non abesset, etenim Christus per suas gratias *illuminat omnem Hominem venientem in hunc mundum.* Igitur cum talis Homo ad usum rationis pervenit, datur Illi lumen supernaturale internum, quo indicatur dari regulam quamdam nostræ rationis, & operationis directricem, quam sequi oportet, & vi hujus luminis superni agnoscit aliqua esse illicita, alia esse facienda; datur

etiam

etiam inspiratio quædam voluntatis, impellens ad sequendam hanc regulam, neque deerunt aliquæ illustrationes, & impulsus superni, qui docent aliquod Numem esse supremum, colendum & adorandum; si ergo hos ductus supernaturales non sinit esse vacuos, tunc se reddit aptiorem ad ulteriora lumina, & gratias, & tandem ad ipsam fidem. Nam Deus prævidens, hunc Hominem cooperaturum hisce gratiis, & cum illis præstiturum ea, quæ ad invocandum, colendumque, ac non offendendum Deum spectant, potuisset causas naturales ita disponere, ut illi citra miraculum adesset concionator. Adde, quod Deus aliquando per seipsum, vel per Angelos, Homines instruxerit; sic S. Dionysius c. 9. de cælesti Hierarchia plurimos refert ex gentilibus, qui Angelorum Ministerio fidei Mysteria discentes, salutem sunt consecuti: etiam Cornelius Centurio Angeli jussu D. Petrum accersivit, ab eo instructionem fidei capturus; & Philippus Angeli jussu ad Evnuchum Reginæ Candacis erudiendum, & Baptizandum directus est.

Neque te turbet, quod obligatio legis naturalis, & Deus ut Author Mundi possit naturaliter cognosci; nam dum creaturæ, & ratio naturalis nobis ingerunt hanc cognitionem, simul adest gratia divina, quæ continuo stat ad ostium, & pro opportunitate pulsat.

Etiam ex nostro P. Herincx 2. disp. 6. de Merito bonorum operum q. 5. n. 86. advertas; ista opera, quæ fidem perfectam præcedunt, dummodo ex gratia supernaturali fiant, esse de congruo meritoria fidei perfectæ, vel ulteriorum Auxiliorum, quibus ad fidem perfectam & justificationem perducamur. Quod & ibi probat.

Notes insuper, facienti, quod est in se viribus gratiæ, saltem dari auxilia sufficientia, quibus proxime ad fidem, & salutem disponatur, ac ad eam proxime pervenire possit; quamvis hæc auxilia non raro forte effective sint inefficacia, seu non habeant suum effectum ex culpa Hominis, qui eis non cooperatur.

Dices: Theologi communissime distinguunt inter infideles positive tales, seu eos, qui vocationem ad fidem culpabiliter neglexerunt, & inter negative infideles, qui vocati non fuerunt ad fidem, aut inculpabiliter non adverterunt ad vocationem fidei; atqui in nostra sententia hæc distinctio non amplius haberet locum, quia omnes infideles suæ culpæ adscribere deberent, quod vocationi ad fidem non responderint: ergo.

Resp.

Resp. 1. Indirecte; hoc argumentum etiam premit Adversarios; nam & juxta Ipsos culpabilis ille foret, qui non faceret, quantum est in se. R. 2. N. m. nam si absque culpa, nimirum tali, quæ pugnaret contra fidem, & faceret aliquem positive infidelem, potest aliquis infidelis juxta AA. rios non facere quantum est in se viribus naturæ, poterit etiam infidelis viribus gratiæ instructus non facere quantum est in se absque tali culpa, quæ contra fidem esset; & ratio hujus est: quia illustratio superna prima tantum remote disponit ad fidem, & ostendit Deum tantum ut Conditorem, & Gubernatorem Mundi, ut regulam morum, & Authorem legis naturalis, non vero ut legis gratiæ; neque statim proponit ad cultum Dei esse necessariam fidem. Deinde, sicut juxta AArios lumen naturale non statim proponit obligationem suscipiendi fidem, sic neque illustratio superna eam immediate, & clare proponit; vel saltem potest Homo infidelis inculpabiliter non advertere ad talem obligationem propositam; Proinde in talibus casibus facile potest dari infidelis negative talis, non peccans formaliter per neglectum fidei, & veræ Religionis; quamvis interea peccet contra legem naturalem, clare, & proxime propositam, tam per lumen naturale, quam illustrationem supernaturalem.

Ad finem hujus quæstionis vindicandus est Scotus, quem aliqui DD. volunt Semi-Pelagianis annumerare, eo quod docuerit, posse hominem ex solis viribus naturalibus, & sine adjutorio Auxilii supernaturalis se disponere ad gratiam recipiendam, ac credere, sperare, pœnitere prout oportet. Qui tamen plurimum falluntur, ut optime ostendit P. Herincx p. 2. disp. 6. de Merito n. 84. cum aliis, ut liquidum est ex sequentibus textibus. 1. d. 17. q. 3. n. 29. ait: *Actum ex puris naturalibus esse meritorium, appropinquat errori Pelagii.* Illud 1. d. 44. q. Un. n. 4. tradit, *ad pœnitendum debere Hominem gratia divina præveniri.* in 4. d. 20. q. Un. n. 3. asserit: *esse opus Dei, non Hominis fructuosam pœnitentiam inspirare.* Plura alia similia testimonia vide apud Herincx cit. & apud Cavellum in Scholio, *in* 4. *d.* 14. *q.* 2. *n.* 14.

Neque oppositum ex eo evinces, quod Scotus aliquoties dixerit; Hominem ex suis naturalibus cum omni influentia causæ primæ posse se disponere ad gratiam. Nam 1. hoc loquendi modo sunt usi plures ex antiquis, ut Antisidiorensis, Allensis, Albertus, D. Thomas, Richardus, Occam, Gabriel; quos omnes Semi-Pela-

gianos fuisse non est credibile. 2. Per hanc Phrasin intelligunt isti DD. solum, posse se Hominem disponere ad justificationem & fidem sine gratia habituali præhabita cum solo auxilio actuali gratiæ, quod ad ordinariam, & communem providentiam supernaturalem reducunt.

Dissertatio II.

DE GRATIA HABITUALI, SEU SANCTIFICANTE.

231 Varia Nomina gratiæ Sanctificanti tribuuntur a Theologis. Et vocatur 1. gratia *habitualis*, quia inhæret animæ non transeunter ut actus, sed perseveranter per modum habitus. Dicitur *Sanctificans*; quia animæ affert sanctitatem formalem. Dicitur: *gratum faciens*, quia Hominem facit formaliter Deo acceptum, & amicum. Dicitur *justificans*, quia transfert hominem ab Injustitia & peccato ad statum justitiæ & adoptionis filiorum Dei. Potest autem definiri, quod sit qualitas, seu donum supernaturale intrinsece animæ inhærens, eamque formaliter justam, Deoque gratam faciens, & cum illa concurrens ad opera meritoria. Errores Hæreticorum circa gratiam justificantem jam rejecti sunt in Prolegomenis, & præcedentibus; nunc ergo solas quæstiones inter Catholicos controversas ad Trutinam Theologicam revocabimus. Unde sit

Articulus I.

An gratia habitualis sit idem habitus cum charitate?

232 Assero, & Resp. affirmative. S. Bonaventura, Scotus 2. d. 27. q. un. n. 3. cum suis; Durando, Gabriele, Majore, Vega, Bellarmino, Estio, Coninck & pluribus aliis tum antiquis, tum RR. contra Scholam Angelicam, ac multos RRes.

Prob. 1. Habitus per se infusi, & entia supernaturalia non sunt multiplicanda sine necessitate, seu sine sufficienti Authoritate, vel ratione; atqui nulla sufficiens Authoritas, vel ratio afferri potest pro distinctione, & multiplicatione habituum gratiæ sanctificantis, & charitatis: ergo. M. est apud omnes Th. Th. recepta. m. constabit ex sequentibus probationibus, & ex solutione objectionum.

Prob.

Prob. 2. Proprietates & effectus, qui tribuuntur gratiæ Habituali, etiam tribuuntur Charitati Habituali: ergo Habitus gratiæ sanctificantis, & Charitatis non distinguuntur. conseq. patet: sicut enim ex diversitate proprietatum deducimus distinctionem formarum, & entitatum; ita ex identitate proprietatum rite colligimus identitatem formarum. prob. igitur a. proprietas & effectus maxime proprius gratiæ sanctificanti est sanctificare formaliter, & reddere animam immunem a peccati macula; atqui etiam Charitas sanctificat formaliter. ad Ephesios 1. *Elegit nos in ipso, ut essemus Sancti, & immaculati in conspectu Ipsius in Charitate.* Alter effectus & proprietas gratiæ est, facere filios Dei adoptivos: atqui hoc etiam præstat Charitas habitualis. 1. Joan. 3. *Videte, qualem Charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & simus;* atque in his duobus textibus Scriptura loquitur de Charitate habituali, non vero actuali, quod notandum, ut præcludatur effugium Adversariorum.

Confirm. 1. PP. nullibi faciunt expressam distinctionem inter gratiam Sanctificantem, & Charitatem habitualem, sed passim Sanctificationem, & justificationem attribuunt uni Charitati. Ut D. Aug. l. de Nat. & gratia c. 42. ait: *Charitas est verissima, plenissimaque justitia.* & c. 38. *Charitas Dei, qua una vere justus est, quicunque justus est.* & c. 70. eodem lib. *Charitas inchoata justitia est; Charitas magna justitia est, Charitas perfecta, perfecta justitia est.* Idem S. Doctor l. 15. de Trinit. c. 7. & c. 17. & 18. ait; *nullum donum Dei esse excellentius Charitate.* Idipsum dicunt S. Leo Papa Serm. de S. Laurent. Hieronymus, Ambrosius, & alii, atqui si Charitas non esset simul gratia habitualis, tunc daretur donum excellentius Charitate, scilicet gratia sanctificans. Eodem loco dicit laudatus Author, quod sola Charitas dividat inter filios Dei, & perditionis, additque: *dantur & alia per spiritum munera, sed sine Charitate nihil prosunt;* quæ iterum identitatem inter gratiam habitualem & Charitatem significant: ergo.

Confirm. 2. Ex Trid. Sess. 6. c. 7. Ubi, postquam statuit unicam formalem causam nostræ justificationis esse *Justitiam Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit &c.* subjungit ulterius, declarando, in quo justitia hæc formalis consistat; *quamquam enim nemo possit esse justus, nisi cui Merita Passionis D. N. J. C. communicantur; id tamen in Hominis impii justificatione fit, dum ejusdem Sanctissimæ Passionis merito per Spiritum Sanctum Charitas Dei diffunditur in Cordibus eorum, qui justificantur,*

ficantur, atque ipsis inhæret. Qui textus eo magis pro nobis facit, quia Theologi communiter ex verbis diffusionis colligere solent, gratiam esse qualitatem inhærentem, quem in finem etiam usurpant pro natura gratiæ explicanda illum textum D. Pauli ad Rom. 5. ℣. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.*

Eodem capite laudatum Tridentinum subdit: *in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum, cui inseritur, fidem, Spem, & Charitatem*; atqui si gratia habitualis esset distincta a Charitate, debuisset dicere, quod etiam gratiam infusam accipiat in justificatione. Atque Sessione eadem c. 10. dicit iterum trident. *Justitiæ incrementum petit Ecclesia cum orat: Da nobis Domine Fidei, Spei, & Charitatis augmentum*; ubi iterum non meminit gratiæ tanquam distincti Habitus a Charitate.

Neque obstat Canon 11. Tridentini Sess. allegata: *Si quis dixerit Homines justificari vel sola imputatione Justitiæ Christi, vel sola remissione peccatorum exclusa gratia & Charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffunditur, atque illis inhæret, anathema sit.* Nam hic ipse canon loquitur de gratia, & charitate tanquam una re; quia de *gratia & charitate* dicit: quæ diffunditur, & non, quæ diffunduntur. Paucis; tam Tridentinum, quam aliæ authoritates, quæ aliquam distinctionem insinuare videntur inter Charitatem & gratiam, tantum indicant diversitatem munerum, & connotatorum, ac effectuum extrinsecorum, etenim eadem entitas, & idem Habitus, quatenus est Charitas, facit nos aptos ad eliciendos actus amoris Dei, & proximi supernaturales, & salutares; quatenus vero est gratia, exornat physica sua pulchritudine animam, & vi Decreti divini, cui substat, facit nos gratos amicos, filios adoptivos Dei, sanctificat nos, expellit peccatum, tribuit jus ad hæreditatem cœlestem; vel brevius: Qua charitas est principium, quo nos Deum diligimus; qua gratia est forma, ob quam sumus Deo dilecti, tanquam amici, & hæredes vitæ æternæ. Præterea aliquæ authoritates (non tamen prædicta Tridentini) quæ faciunt distinctionem inter charitatem, & gratiam, non raro loquuntur de Charitate actuali, quæ tantum est dispositio prævia, vel actus meritorius gratiæ, & inde distinguitur realiter a gratia. Verum nos solum loquimur de Charitate habituali.

Prob. 3. Gratia sanctificans est vita spiritualis animæ nostræ; atqui hæc vita consistit in Charitate: ergo Charitas est gratia sanctificans.

cans. m. prob. ex Trid. Seff. 6. de juftificat. c. 7. Ubi fatis infinuat, per Charitatem nos fieri viva membra Chrifti, nihil addendo de gratia. Ex quibus plane omnibus fequitur, nullam effe neceffitatem multiplicandi hos habitus, præfertim, cum facile unus poffit præftare effectus tam Charitatis, quam gratiæ. Quæ enim in hoc implicantia?

Objic. 1. *Clement. un. de Summa Trinit.* dicitur: Effe probabilius, 233
Parvulis infundi gratiam informantem, & virtutes: ergo probabilius gratia diftinguitur a virtutibus Theologicis; proinde etiam a Charitate, nam & hæc virtus eft Theologica. R. N. c. per virtutes illas a gratia diftinctas Concilium Viennenfe, ex quo illa Clement. defumpta eft, intelligit fidem, & Spem, & forte virtutes morales per fe infufas, pofito, quod hæ ultimæ dentur, non vero Charitatem. Ita quoque explica Tridentinum dicens: *juftificationem fieri per infufionem gratiæ, & donorum:* nam per dona diftincta a gratia intelliguntur folum Habitus fidei, & Spei, & forte etiam virtutes morales, fi, ut dixi, hæ per fe infundantur: quod tamen nos Scotiftæ negamus.

Objic. 2. D. Auguft. l. de gratia Chrifti c. 30. dicit: *per gratiam, qua juftificamur, diffunditur Charitas Dei in cordibus noftris*: ergo gratia tanquam radix diffundit charitatem, & fic diftinguitur a Charitate. R. N. confeq. per hunc modum loquendi S. Auguftinus vult, unacum gratia infundi ipfam Charitatem, tanquam rem a gratia indiftinctam. Sic etiam in fenfu fano poffumus dicere, quod Homo cum anima, vel per animam recipiat intellectum, & voluntatem, quamvis intellectus & voluntas non diftinguantur ab anima.

Objic. 3. Natura femper tanquam realiter diftincta profupponitur potentiis operativis; atqui in ordine fupernaturali gratia fe habet per modum Naturæ, & Charitas cum fide, Spe &c. fe habet per modum potentiarum operativarum: ergo gratia tanquam realiter diftincta præfupponitur charitati &c. Ante refponfionem nota, hoc argumentum effe vere unicum principium, fed meo judicio petitum, & nondum omnibus probatum, cui TT. fabricam fuæ fententiæ imponunt; exiftimant enim, Naturam & Effentiam rei diftingui realiter a fuis potentiis operativis; quod principium in Philofophia impugnatur, dum contra Thomiftas efficaciffime probatur, fubftantias effe immediate operativas. H. N.

Reſp. 1. N. M. In naturalibus quoque ſubſtantiæ & Naturæ rerum ſunt immediate operativæ, nec ab anima potentiæ operativæ intellectus & voluntas realiter diſtinguuntur, ut docent Scotiſtæ cum RR. contra Thomiſtas. R. 2. Quamvis in ordine naturali transmitteretur Naturam & ſubſtantiam præſupponi potentiis operativis, tamen id non eſſe verum in ordine ſupernaturali; cujus ratio 1. quia eſſe ſupernaturale Homini eſt accidentale; juxta TTas, vero eſſe accidentale, ſeu accidentia ſunt per ſe immediate operativa. 2. In naturalibus ſublata Eſſentia vel Natura tolluntur omnes potentiæ operativæ talis Eſſentiæ & Naturæ: ergo ſi Deus in ſupernaturalibus ſimilem proportionem ſervaret, tunc ſublata gratia ſanctificante, quæ in ſupernaturalibus eſt quaſi Natura & ſubſtantia (ut AArii dicunt) deberet etiam auferre omnes potentias operativas ſupernaturales, conſequenter etiam ſubjectum fidei, & Spei; quod tamen eſt contra fidem.

Dices: In ordine naturali confertur alicui prius Natura & principium eſſendi, exigens potentiam, & principium operativum, quam conferatur ipſa potentia operativa; ſic prius datur ignis exigens calorem, antequam detur calor, vel potentia calefaciendi: ergo idem eſt in ſupernaturalibus. Reſp. 1. N. a. nam & aquæ, dum calefit, confertur calor, & potentia calefaciendi, quin ei conferatur Natura & ſubſtantia exigens potentiam calefactivam, ſed ipſe calor inhærens aquæ eſt talis potentia operativa. Reſp. 2. N. paritatem, ob jam dicta.

Objic. 4. Charitas eſt virtus; ſed, ut ait Philoſophus 7. Phyſ. text. 17. *Virtus eſt quædam diſpoſitio perfecti ad optimum: dico autem perfectum, quod eſt diſpoſitum ſecundum Naturam:* ergo Charitas præſupponit naturam: ergo præſupponit gratiam, quæ eſt natura Charitatis. R. D. m. eſt diſpoſitio perfecti, ſeu Naturæ in eodem genere, in quo eſt ipſa virtus, n. m. in alio genere c. m. etiam virtus ſupernaturalis diſponit naturam proprie acceptam, dum eam elevat ad ordinem ſupernaturalem, ac aptam reddit ad operationes ſupernaturales, & favores ſupernos, ac alias ſibi indebitos percipiendos.

Objic. 5. Gratia recipitur immediate in anima, Charitas in voluntate: ergo diſtinguuntur realiter. R. N. a. nam juxta Scotum gratia ſanctificans recipitur immediate in voluntate, & mediante hac ſanctificat totam animam.

Arti-

Articulus II.

An gratia ſanctificans ex Natura ſua phyſica expellat peccatum, vel ex favore, & ordinatione Dei extrinſeca ſuperaddita entitati gratiæ ſanctificantis?

Aſſero 1. Gratia ſanctificans pure ſecundum entitatem & qualitatem 234
phyſicam ſpectata ex natura ſua non expellit peccatum; ſed cum illo eſt compoſſibile; hinc expulſio peccati eſt effectus moralis, quem entitas phyſica gratiæ ſanctificantis habet ſibi annexum ex gratioſa Dei ordinatione. Scotus 2. d. 23. p. unica. §. *ad quæſtionem* ℣. *ſed ſi quæratur*, n. 7. contra TT.as & RR.es quorum aliqui phyſicam, alii vero omnino metaphyſicam incompoſſibilitatem gratiæ phyſice ſpectatæ cum peccato mortali admittunt.

Prob. 1. Gratia phyſice ſpectata nullam dicit oppoſitionem cum peccato mortali ſive actuali, ſive habituali: ergo ſic ſpectata non expellit ex natura ſua peccatum mortale, ſeu actuale, ſeu habituale. conſeq. patet, nam ſi duæ formæ ſe mutuo ex natura ſua expellunt ex eodem ſubjecto, tunc hoc evenit ratione oppoſitionis, quam tales formæ inter ſe habent. a. prob. 1. Non habent oppoſitionem contradictionis, quæ tantum datur inter affirmationem & negationem, ac propoſitiones & prædicata contradictoria; neque habent oppoſitionem privativam; quia gratia ſanctificans, ut dictum eſt, non opponitur privative peccato; & peccatum ſeu actuale, ſeu habituale non eſt privatio gratiæ ſanctificantis.

Neque habent oppoſitionem contrariam: nam oppoſitio contraria habetur inter duas formas poſitivas, quæ ſub eodem genere maxime diſtant; atqui in propoſito non haberentur tales duæ formæ poſitivæ; etenim gratia quidem eſt entitas poſitiva, aſt peccatum actuale conſiſtit in privativo; & deinde peccatum actuale, & habituale ſub alio genere continentur, quam gratia phyſice ſpectata: ſiquidem gratia foret juxta AAtios Entitas phyſica & in genere, & in ordine phyſico, ac realis, peccatum vero etiam habituale foret tantum Ens morale, & in genere ac ordine morali.

Prob. 2. Actus deſperationis magis opponitur habitui Spei, quam peccatum v. g. fornicationis habitui Charitatis, ſeu gratiæ ſanctificantis; & tamen actus deſperationis non deſtruit phyſice, ſed tantum

tum moraliter & demeritorie habitum infufum Spei : ergo peccatum v. g. fornicationis, vel quodcunque aliud non deftruit phyfice habitum infufum Charitatis. A. quoad 1. memb. patet, quia fornicatio immediate non opponitur Charitati & gratiæ, fed caftitati; bene vero Spei immediate opponitur defperatio. a. quoad 2. memb. docetur a Scoto, & probatur ; fi actus defperationis phyfice deftrueret habitum Spei infufum, tunc unicus actus defperationis non femper totum habitum tolleret; nam illi habitus, qui phyfice deftruuntur, ordinarie fucceffive, ac per plures repetitos actus oppofitos tolluntur: fic per unum actum intemperantiæ non ftatim tollitur totus habitus temperantiæ, neque per unum actum temperantiæ mox deperditur totus habitus intemperantiæ.

Confirm. 1. Defacto unicum peccatum mortale deftruit totum habitum gratiæ; atqui fi phyfice deftrueret, tunc hæc deftructio deberet ordinarie fieri per plura repetita peccata. 2. Defacto minimum peccatum mortale expellit totam gratiam intenfiffimam, & viciffim gratia fanctificans minima expellit peccata mortalia etiam graviffima, & plurima, imo infinita, fi in ánima exifterent; ergo fignum eft, quod gratia & peccatum mortale non ex natura fua phyfica fic fe expellant. conf. patet: nam calor minimus non expellit ex aqua totum frigus intenfiffimum, & viciffim frigus ut duo non expellit ex igne quinque vel fex gradus caloris &c.

Prob. 3. Expulfio peccati eft quædam remiffio offenfæ Divinæ; atqui remiffio offenfæ non fit, nifi per actum voluntatis illius, qui offenfus eft, quo remittit Jus ad odio habendum, & puniendum offendentem: ergo expulfio peccati non fit, nifi per actum voluntatis divinæ; confequenter ad entitatem gratiæ debet accedere ordinatio voluntatis divinæ: ergo entitas gratiæ non ex natura fua phyfica, fed ex ordinatione Dei, & moraliter expellit peccatum. M. eft certa. m. conftat ab inductione in humanis, & videtur ex terminis liquere.

Neque dicas: gratiam phyfice fpectatam faltem obligare, movere, vel neceffitare ad remittendum peccatum. Contra eft 1. Hoc omnino gratis dicitur; & tam parum entitas phyfica præcife talis gratiæ fine ordinatione divina movet, ac obligat Deum ad expellendum peccatum, quam parum fubftratum phyficum facramentorum v. g. ablutio materialis in Baptifmo absque inftitutione Divina capax eft

moven-

movendi Deum ad conferendam gratiam sacramentalem. Contra est 2. Videtur indecorum Deo, Eum absque actu voluntatis suæ libere concurrente, a nuda physica entitate Creaturæ necessitari ad remittendam offensam Ipsi illatam.

Prob. 4. Ideo gratia juxta AArios ex natura sua physica expelleret peccatum mortale, quia physice causaret effectum peccato oppositum; videlicet gratia physice spectata constitueret Hominem amicum, ac Filium adoptivum Dei, tribueret jus ad Hæreditatem cœlestem, peccatum vero ex opposito excluderet Hominem amicitia, ac Filiatione Dei, privaret jure Regni cœlestis &c. sed hæc ratio nulla est: ergo. m. prob. Esse Amicum, filium adoptivum, obtinere jus ad hæreditatem cœlestem aliunde indebitam, sunt meri effectus morales, dependentes ab actu voluntatis acceptantis in amicum, Filium adoptivum, concedentis tale jus ad hæreditatem aliunde indebitam, ut iterum in humanis patet: ergo tales effectus non physice, sed moraliter exoriuntur a qualitate gratiæ.

Confirm. Quantumcunque aliquis Homo donis naturalibus sit exornatus, pulcher, bona indole præditus, tamen per hoc non necessitat alium, ut ipsum acceptet in specialem amicum, in Filium adoptet, jus in sua alias indebita bona concedat: ergo quantumvis Homo per Entitatem physicam gratiæ sit exornatus, tamen hæc Entitas physica non necessitat Deum, ut talem Hominem in Filium, Amicum, Hæredem suorum bonorum acceptet.

Prob. 5. Dicendo, quod gratia sanctificans tantum habeat vim moralem justificandi, constituendi Amicum Dei, expellendi peccatum; nullum sit præjudicium gratiæ sanctificanti, ut putant AArii, qui ideo hanc virtutem ajunt esse physicam; ergo non habetur ratio negandi, quod solum moraliter hos effectus præstet: a. prob. Nullum sit præjudicium Sacramentis, dicendo, quod solum moraliter in genere causæ efficientis ex institutione Christi causent gratiam: ergo etiam nullum præjudicium fit gratiæ sanctificanti, si dicitur, quod in genere causæ formalis, tantum moraliter ex ordinatione, & institutione Christi causet præfatos effectus. Ex his

Deduces 1. Esse Amicum Dei, Filium adoptivum, & habere jus ad Regnum Cœlorum, esse tantum effectus morales gratiæ sanctificantis, quos ex natura sua physica non causat. 235

Deduces 2. Gratiam sanctificantem esse quidem participationem Naturæ Divinæ, ut liquidum est ex 2. Petri. 1. ubi dicitur: *maxima, & pretiosa nobis promissa donavit*, ut per hæc efficiamini Divinæ consortes naturæ; non tamen hanc participationem esse physicam, sed moralem. Ut Blosius a Benjumeia de gratia n. 962. Panger & alii recte afferunt non solum contra TTas. sed etiam aliquos Scotistas. Ratio hujus est; gratia non potest esse physica ac formalis participatio Naturæ tantum ideo, quia habet aliquod prædicatum sibi & Deo commune, nam vel tale prædicatum non datur in gratia, vel si datur, tunc hoc dici potest de quolibet ente creato, Angelis, & Hominibus, imo & substrato physico peccati, quod in prædicato communi Entis conveniant cum Deo; proinde quodlibet Ens creatum esset æque, ac gratia, participatio Naturæ divinæ, quod tamen nemo facile dixerit. Neque potest gratia dici participatio Naturæ divinæ ob aliquod prædicatum participatum a gratia, quod soli Deo est proprium, ac Eum facit differre a Creatura quavis; nam tale prædicatum, eo quod soli Deo sit proprium, non potest etiam convenire alicui Creaturæ, qualis est gratia. Igitur hæc participatio est tantum moralis, quatenus per gratiam sanctificantem acquirimus jus ad Deum beatifice possidendum, & consequendam Naturam divinam objective per visionem & fruitionem beatam. Per hoc enim Anima nostra assimilatur aliqua ratione Divinæ Naturæ, quæ est radix visionis beatæ, & fruitionis, qua Deus in seipsum tendit, cum & gratia Sanctificans sit radix & semen beatificæ Possessionis, qua in Deum tendimus. 2. Gratia Sanctificans etiam dicitur participatio Naturæ Divinæ, quatenus est incompossibilis cum operibus inhonestis, & peccatis, quemadmodum Natura divina non est compossibilis cum peccato; atque hæc incompossibilitas moraliter ex ordinatione divina competit gratiæ: ergo. Atque in hoc sensu dicitur ex Deo natus, qui facit justitiam, seu non habet peccatum. 1. Joan. 2. & ex opposito peccatores dicuntur esse ex Patre Diabolo, & consequenter Diaboli naturam participare.

Colliges 3. Si spectetur gratia sanctificans mere physice, tunc nec metaphysice, nec physice esse incompossibilem cum peccato mortali. Ratio est: quia sic spectata nec privativam, seu contradictoriam, nec contrariam oppositionem habet cum peccato, neque taliter considerata justificat, aut constituit Amicum, & Filium adoptivum Dei, neque jus tribuit ad Cœlum &c. consequenter neque physice effectum impossibilem causat cum peccato. Aliter tamen dicendum, si gratia spectetur non

solum secundum esse physicum, sed etiam morale, tunc enim simul importat ordinationem passivam Dei, vi cujus formaliter constituit Amicum Dei, formaliter justificat, ac peccatum expellit, ut ex Tridentino clarum est.

Colliges 4. Gratiam Sanctificantem mere physice spectatam, hos effectus formales conferre animæ: 1. Ornat animam speciali modo. 2. facit animam potentem, ac aptam ad eliciendos actus supernaturales ac salutares, Amoris Dei, atque ob hunc duplicem effectum formalem physicum confert quoque majorem congruentiam, quam aliæ formæ supernaturales ad hoc, ut Deus diligat amicabiliter illum, qui habet hanc Entitatem physicam gratiæ, eumque in Filium adoptet, jus ad beatitudinem cœlestem concedat, mediante aliquo Decreto. Ratio Assertionis est: quia ex una parte omnis entitas physica, quæ unitur alicui subjecto, huic tribuit aliquem effectum formalem physicum; ex altera parte vis justificandi &c. non est effectus formalis physicus, neque alius præter duos prædictos assignari potest: ergo bene hi duo assignantur.

Dixi: quod conferat congruentiam majorem, non vero necessitatem, seu physicam, seu metaphysicam: nam stante entitate physica gratiæ Deus non necessitatur physice, aut metaphysice, ut ei annectat vim justificandi, sed tantum congruum est, ut illi hanc virtutem annectat.

Solvuntur Objectiones.

Objic. 1. Ex nostra Sententia sequeretur gratiam habitualem vel non 236
esse causam formalem, vel saltem non esse unicam causam nostræ justificationis, quod utrumque est in Concilio Tridentino reprobatum. conf. patet; quia non ipsa gratia habitualis, sed ordinatio & favor Dei extrinsecus justificaret, vel certe non sola Entitas gratiæ, sed simul ordinatio Dei vim justificandi tribuerent: ergo vel gratia Sanctificans omnino non justificaret, vel saltem non esset causa unica justificationis. R. N. a. quoad utrumque membrum. 1. Licet Sacramenta sint tantum causæ morales gratiæ, tamen sunt veræ causæ: ergo etiamsi Entitas gratiæ tantum sit causa moralis formalis justificationis, tamen vera est causa formalis illius. 2. Est etiam unica causa formalis justificationis nostræ; quia nulla alia

qualitas datur, quæ moralem vim juſtificandi habeat præter gratiam ſanctificantem. Neque ordinatio divina facit aliam cauſam, ſed unam cum entitate gratiæ integrat; ſicut & inſtitutio paſſiva, ac ordinatio divina non aliud Sacramentum baptiſmi conſtituit, ſed unum cum materia & forma integrat.

Objic. 2. In Tridentino damnati ſunt, qui dicebant, nos juſtificari per favorem Dei extrinſecum; atqui hoc etiam nos dicimus: ergo. Neque dicas; quod Concilium tantum damnarit aſſerentes: *gratiam, qua juſtificamur, eſſe tantum favorem Dei*, ut loquitur Seſſ. 6. Can. 11. nam contra eſt: Hæretici, qui ibi damnati ſunt, etiam admiſerunt gratiam phyſice inhærentem, ſed dicebant, illam ſolam phyſice ſpectatam non juſtificare absque ſpeciali Dei favore, & imputatione: ac propterea eorum Doctrina reprobata eſt: ergo etiam noſtra Sententia, quæ alia non eſt, quam illorum Hæreticorum, videtur eſſe damnata.

R. In Tridentino damnati ſunt *primo* Illi, qui penitus negarunt Entitatem gratiæ, ac tantum extrinſece per favorem extrinſecumDei nos juſtificari dixerunt. *2do.* Illi, qui cum Bucero videbantur admittere gratiam inhærentem, ideo Damnati ſunt, quia ultra gratiam requirebant imputationem Juſtitiæ Dei, quæ fit, & obtinetur per fidem illam, & fiduciam Hæreticorum, atque ideo merito damnati ſunt, cum iſta fides nullatenus ſit cauſa formaliter juſtificans, ut inferius dicetur. Jam nos non requirimus talem imputationem Juſtitiæ Dei, ſed longe aliam ordinationem divinam, ut conſtat ex dictis: ergo nos non tangit iſta damnatio.

Objic. 3. Poſita Entitate gratiæ non habetur juſtificatio, & poſita ordinatione & favore Dei habetur: ergo juſtificatio in ſola illa ordinatione conſiſtit. R. D. 2. memb. poſita ſola ordinatione Dei habetur n. a. poſita ordinatione & qualitate phyſica gratiæ ſimul, quæ unam totam formalem cauſam juſtificationis integrant c. a. Argumentum retorqueri poſſet in Sacramenta, quæ ſecluſa inſtitutione divina non cauſant gratiam. Nec ergo ſola phyſica Entitas gratiæ, nec ſola ordinatio divina, ſed Entitas phyſica ut ſubſtans ordinationi divinæ, ſeu ut ordinata, & inſtituta cauſat formaliter juſtificationem.

Objic. 4. Ex his ſequitur, quod Entitas gratiæ ſit tantum ſignum, ad cujus poſitionem Deus juſtificet; atqui hoc eſt contra Tridenti-

dentinum, quod ait, Entitatem gratiæ esse causam formalem justificationis: ergo. R. N. M. Entitas gratiæ ut substans ordinationi divinæ non tantum est signum justificationis, sed formaliter justificat; vel est formalis dignitas, quæ hominem reddit amicum, ac Filium Dei, justum, & immunem a peccato &c. Hæc tamen dignitas non convenit ei ex natura rei, sed ex institutione passiva divina, adeoque est tantum moralis, sicut & dignitas Regia non convenit Regi ex natura sua physica, sed tantum ex Electione, vel institutione aliorum &c.

Objic. 5. Si gratia tantum ex ordinatione Dei justificat, tunc nulla est ratio, cur Deus hanc formam physicam, & non aliam determinaverit ad effectus justificationis &c. in homine causandos; vel cur non causaverit sine ulla qualitate per merum favorem extrinsecum; sequela est absurda: ergo. R. D. M. nulla est ratio absolute necessitans Deum ad determinandam hanc qualitatem c. M. nulla est ratio congrua n. M. Quia entitas gratiæ est pulcherrima, ac supernaturalis, & simul est principium diligendi supernaturaliter Deum, sic congruum est, ut eam habens a Deo diligatur amore Amicitiæ, ac Paterno, sicque homo in Filium & amicum adoptetur per liberam, & gratuitam voluntatem & ordinationem.

Objic. 6. Peccatum ex sua natura reddit Hominem injustum: ergo etiam gratia reddit Hominem ex sua natura Justum. R. N. a. Peccatum non ex sua natura intrinseca, ac physica, sed ex moralitate sua, quam solum habet, ac habere potest dependenter ab ordinatione, seu lege divina, cujus transgressio essentialiter est: ergo etiam gratia habet vim justificandi tantum dependenter ab ordinatione Dei &c.

Objic. 7. Non implicat dari qualitatem, quæ physice expellat peccatum: ergo censendum est, eam dari. R. 1. N. a. non potest unum ens alterum physice expellere, nisi physice ei opponatur; atqui videtur implicare, quod ens physicum aliquod enti morali, quale necessario est peccatum, physice opponatur: ergo.

R. 2. tr. a. n. c. quia multa non implicant, quæ tamen in moderna providentia non fiunt; quod autem hæc expulsio peccati physice non fiat, colligitur ex nostris probationibus.

Objic. 8. In Scriptura gratia comparatur luci, & peccatum tenebris. 2. cor. 6. *Quæ Societas luci ad tenebras:* atqui lux ex natura sua expellit tenebras; ergo. R. D. M. gratia solum physice consi-

derata n. M. gratia secundum esse physicum & morale considerata c. M. Ex his

Deduces, si Deus de sua absoluta potentia in aliquo Peccatore gravi, remanente macula peccati poneret entitatem physicam gratiæ, tunc talis Homo esset simpliciter peccator, vel injustus &c. quia in eo gratia hæc ex speciali Dei ordinatione non haberet effectus suos morales.

Articulus III.

An etiam Actus contritionis perfectæ, vel amoris Dei formaliter justificet?

237 Assero, & respondeo negative. Communis contra Vasquez, Mæratium, Turrianum & alios. Prob. 1. Trid. sess. 6. de justificatione c. 7. dicit, unicam esse causam formalem nostræ justificationis; atqui si etiam formaliter justificaret actus contritionis, & amoris Dei, non esset unica, sed multiplex causa formalis nostræ justificationis: ergo.

Prob. 2. Actus contritionis, & Amoris Dei a S. Scriptura, PP. & Conciliis dicuntur dispositiones ad justificationem: ergo non sunt formalis justificatio.

Prob. 3. Ex una parte constat, in omni justificatione habitum gratiæ sanctificantis necessario infundi, ex altera parte hic unus habitus sufficit ad formaliter justificandum; ergo sine necessitate, & sufficiente ratione adstruitur alia forma justificans præter gratiam habitualem.

Prob. 4. Forma justificans est vita spiritualis animæ; sed vita consistit in aliquo permanenti, seu in aliquo habitu, adeoque actus Charitatis, & contritionis, qui sunt mere transeuntes, non justificant formaliter: ergo.

Objic. 1. S. Scriptura actui dilectionis, & contritionis tribuit vim justificandi: ergo. R. D. a. tanquam causæ dispositivæ c. a. tanquam causæ formali n. a.

Objic. 2. Actus contritionis sufficienter avertit Hominem a peccato, & convertit ad Deum: ergo formaliter justificat. R. N. c. ex hoc enim solum habetur, quod hi actus sufficienter disponant ad gratiam sanctificantem, & formam justificativam, quam Deus in præsenti

ſenti providentia ſtatim conferre decrevit, dum adeſt diſpoſitio poſita per prædictos actus.

Objic. 3. Actus Charitatis eſt perfectior habitu: ergo quia juxta nos formaliter juſtificat habitus charitatis, qui eſt ipſa gratia ſanctificans, etiam juſtificabit actus Charitatis. R. 1. Negari poteſt a. quia ſaltem habitus Charitatis eſt perfectior quolibet actu Charitatis ſeorſim, & in particulari accepto, cum arbor præſtet ſingulis fructibus ſeorſim: ergo & habitus, qui ſe habet arboris inſtar, utpote potentiam afferens, producendi plurimos actus. Sed

R. 2. melius: tr. a. n. c. Quamvis entitative actus perfectior ſit habitu etiam ſupernaturali, de quo tamen plures id negant; tamen habitus eſt permanentior. Voluit autem Deus formam aliquam permanentem ſtatuere pro juſtitia formali, tum, ut nos permanenter juſtificaret, tum, quia decet vitam ſupernaturalem, qualis eſt forma juſtificans, non eſſe mere tranſeuntem.

Aſſero 2. Abſolute loquendo actus charitatis, contritionis, viſionis beatificæ &c. potuiſſent formaliter juſtificare. Viva & alii. 238
Hoc dependet unice a voluntate Dei, quam formam velit aſſumere pro forma juſtificativa: ergo potuiſſet etiam aſſumere actum charitatis &c. potuiſſetque per ſimiles actus juſtificare tranſeunter, ſicut ipſi actus ſunt tranſeuntes; vel etiam permanenter, tales actus conſervando ſupernaturaliter: aut ſi voluiſſet conſervare actum, potuiſſet facere, ut Homo vi actus præteriti denominaretur, & eſſet moraliter Juſtus, quamvis tunc non haberet formam phyſicam permanentem, cui eſſet alligata juſtificatio.

Dices: ergo etiam in alia providentia nos formaliter juſtificare poſſet quicunque actus alterius virtutis, aut etiam indifferens, imo etiam qualitas caloris; quod videtur abſurdum. R. 1. tr. illat. ſi enim ablutio externa, & aliæ externæ, ac phyſicæ actiones in confectione Sacramentorum poſſunt eſſe cauſa gratiæ, cur non tales actus virtutum, vel aliæ qualitates naturales & phyſicæ poſſent a Deo aſſumi pro forma juſtificante?

R. 2. Eſſe etiam diſparitatem, quia utique actus dilectionis, quo tendimus in Deum, majorem quam alii actus, & entitates &c. proportionem habet ad hoc, ut aſſumatur pro forma, quæ nos Deo reddat diligibiles, & gratos, adeoque ab hoc actu non ſtatim ad alios facienda eſt argumentatio.

Plu-

Plura equidem dicenda restarent de justificatione, quia tamen ea in Tractatu de Virtute pœnitentiæ tractari solent, ideo hic omittuntur. Id unum nota, in justificatione Impii duas mutationes intervenire; una est a privatione gratiæ ad gratiam sanctificantem. Altera est a peccato mortali ad privationem & carentiam peccati. Unde dantur duo termini a quo, & duo termini ad quem.

Articulus IV.

De Pseudo - Reformatorum, vel protestantium circa justificationem systemate.

239 Priusquam huic controversiæ, quæ est maximi ponderis, finis imponatur, operæ pretium est adnectere Pseudo - Reformatorum dogmata circa justificationem, ut Doctrina Catholica dilucidius penetretur; contraria enim juxta se posita magis elucescunt.

Itaque Pseudo - Reformati *primo* statuunt justificantem gratiam esse formaliter ipsammet Christi justitiam, quæ prædestinatis imputatur, juxta illud 1. cor. ℣. 30. *Qui factus est nobis a Deo sapientia, justitia, & sanctificatio*, adeo, ut prædestinatus sit formaliter justus, & sanctus per Christi justitiam, & sanctitatem. *2do.* Dicunt justitiam Christi nobis applicari per fidem, non qua simpliciter credimus, sed firmiter confidimus in promissionibus divinis, ita, ut apud illos fides non sit aliud, quam certa fiducia, qua veluti manu apprehendimus justitiam Christi, tanquam vestem qua nos operimus, & tegimus juxta illud Rom. 13. ℣ 14. *Induimini Dominum JEsum Christum.* Hinc *3tio.* deducunt, neminem posse esse justum, nisi confidat, & certo credat, se esse prædestinatum, *4to.* Justitiam Christi sic apprehensam peccata tegere solum, non delere, sicut vestis vitia corporis tegit: *5to.* Peccata hoc modo tecta in justis, ipsis non imputari, licet sint gravissima, ut homicidia, Adulteria, Sacrilegia, quæ in ipsis sunt venialia, seu veniam consequuntur: leviora vero, ut mendacia officiosa in non prædestinatis esse mortalia. *6to.* Omnia bona opera etiam justorum per concupiscentiam esse infecta, atque adeo esse vera peccata mortalia, ad culpam mortalem imputabilia; quæ tamen non imputantur prædestinatis. *7mo.* Solam fidem, seu fiduciam in divinis promissionibus esse dispositionem ad gratiam justificantem, dicente Apostolo, Rom. 3. ℣. 28.

Arbitramur juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis. 8*vo.* Sacramenta eatenus tantum prodeſſe, quatenus fiduciam excitant, & promiſſiones Dei conſignant. 9*no.* Solam diffidentiam eſſe peccatum mortale, & per eam tantum amitti gratiam ſanctificantem, ſed hujusmodi diffidentiam non cadere in prædeſtinatos, ac proinde juſtitiam ſemel acceptam non poſſe amitti. 10*mo.* Cum Juſtitia Chriſti in omnibus ſit eadem, omnes prædeſtinatos eſſe æqualiter juſtos, nec in iis eſſe ullam diſtantiam meritorum. Hi Articuli ſunt apud Pſeudo-Reformatos Religionis fundamenta, reliqui ſunt leviores, propter quos non eſt ex eorum mente ſcindenda Unitas Eccleſiæ. Contra hos, & qualeſcunque, qui interdum paulo aliter, utpote minime inter ſe concordes, videntur loqui, ſequentes ponuntur aſſertiones.

Aſſero 1. Fides, quæ eſt principium juſtificationis, non conſiſtit 240
formaliter in fiducia. Catholici contra Sectarios.

Prob. 1. ex S. Scriptura. Luc. 18. Chriſtus Dominus condemnat eum, qui eo ſuperbiæ devenit, ut certo ſe credat juſtum, & hoc per Parabolam Phariſæi, & Publicani; prior enim in ſua juſtitia confidebat, poſterior vero nihil de ſe præſumens, ſe magnum confitetur peccatorem.

Prob. 2. Ex Symbolis: Hæc, ſcilicet Apoſtolorum, Nicænum, S. Athanaſii, quæ Summam credendorum continent, nulla facta mentione de fiducia, ſolum de credendis tractant: ergo fides, quæ eſt principium, & initium juſtificationis non conſiſtit formaliter in fiducia Sectariorum, ſed in lumine Spiritus S. quo illuſtratus peccator firmiter credit, quæ Deus revelavit; vel eſt fides hiſtorica, ut etiam ex variis textibus Sacræ Scripturæ liquet: ita 1. Jo. 5. *qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe.* Rom. 10. *Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus, quia ſi confitearis in ore tuo Dominum JEſum, & in corde credideris, quod Deus Illum ſuſcitavit a mortuis.* Ubi fides ſemper reſpicit Myſteria credenda; ſicut in illo ad Heb. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Non autem eſt fiducia illa Proteſtantium.

Prob. 3. Synodus Trid. Seſſ. 6. can. 12. errorem Proteſtantium ſic configit: *Si quis dixerit, fidem juſtificantem nihil aliud eſſe, quam fiduciam divinæ miſericordiæ peccata remittentis propter Chriſtum, anathema ſit.*

Accedunt SS. PP. qui fidem illam, & fiduciam certam de juſtificatione conſtanter rejiciunt. Sic S. Auguſtinus in Pſal. 50. expli-

cans illa verba: *ecce enim veritatem dilexisti*; loquitur de pœnitentia Ninivitarum, & ponderans illas particulas, *quis scit*, - - - ait: *incertum erat*, *cum dicitur*, *quis novit: de incerto pœnitentiam egerunt*, *certam misericordiam invenerunt*.

S. Leo Magnus Serm. 4. de Ep. ita habet: *Hoc enim est*, *quod justificat impium*, *hoc est*, *quod ex peccatoribus facit sanctos*, *si in uno eodemque Domino nostro JEsu Christo & vera Deitas*, *& vera credatur Humanitas*. Ergo non fiducia, sed fides respiciens veritatem Mysteriorum est justificationis principium.

S. Prosper l. de vita contemplativa c. 18. enarrat Summam fidei de S. Trinitate, & Incarnatione. & cap. 29. ait: hanc fidem justificare, *qui non crediderit*, ait, *non habendo fidem*, *nec justitiam cordis habere poterit*, *nec salutem*.

Fides igitur historica est fundamentum, & substantia rerum sperandarum: seu debet nobis ostendere, in quid per Spem, fiduciam, charitatem, & alias virtutes tendere debeamus; adeoque fides justificans est fiducia consequenter & effective, non vero inchoative.

241 Assero 2. Non sola fides justificat, sed ad justitiam perficiendam, & aliarum virtutum actus, seu opera requiruntur. Est contra Protestantes, qui quidem in hoc conveniunt, quod Fides sola justificet, differunt tamen in modo explicandi. Lutherus in caput 2. ad Galatas dicit Fidem esse formalem justitiam, & hic est hujus propositionis sensus: Homo justificatur per gratiam Dei non imputantis peccata, quam gratiam Fides credendo recipit; quemadmodum enim pauper manu eleemosynam recipit, qua dives fit, ita Peccator fide recipit justitiam Christi, quam sibi applicat, sicque justificatur. Alii Lutherani etiam actus aliarum virtutum ad justificationem exigunt, non quidem ut veras ejus causas, sed tanquam veræ fidei signa, ad quarum præsentiam justificat Deus impium per fidem, ut docent Wittenbergenses in Colloquio Altenburgensi, & Melanchton. Saxonici vero, seu rigidi Lutherani in eodem Colloquio sustinent ita solam fidem justificare, ut præsentiam aliarum virtutum penitus excludant. Hoc posito

Prob. Assertio. 1. S. Scriptura vim justificandi etiam aliis virtutibus, & non soli fidei tribuit: ergo non sola fides justificat, vel apprehendit justitiam, ut Protestantes loquuntur. A. prob. Rom. 10. *Quicunque invocaverit Nomen Domini salvus erit*. 1. Cor. 13. Si *ha-*

buero

buero omnem fidem, ita, ut montes transferam, Charitatem autem non habeam, nihil sum. Jac. 2. *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? nunquid poterit fides salvare eum?* Hanc autem Epistolam esse Authenticam, & Canonicam, tom. 1. p. 1. de Prolegomenis Theologiæ ostendi, ubi videatur. Gal. 5. ℣. 6. *In Christo JEsu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* De Timore Dei. prov. 14. ℣. 27. *Timor Domini expellit peccatum; nam qui sine timore est, non poterit justificari.* De Pœnitentia, seu contritione Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, vita vivet.* Luc. 13. ℣. 3. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.* Præterea requiritur observatio omnium mandatorum, juxta præceptum Christi Math. 28. *Docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis:* ergo plura alia præter fidem requiruntur ad justificationem; ergo non soli fidei ex Scriptura tribuitur vis justificandi.

S. Augustinus lib. 15. de SS. Trinit. c. 18. dicit: *fides sine Charitate potest quidem esse, sed non prodesse; etiam dæmones credunt & contremiscunt.* Item l. de fide & oper. c. 15. ait: *Si mandatis non observatis ad vitam veniri potest, per solam vitam, quæ sine operibus mortua est: illud deinde quomodo verum erit, quod eis, quos ad sinistram positurus est, dicet: ite in ignem æternum &c. nec increpat, quia in Eum non crediderunt, sed quia bona opera non fecerunt.* S Bernardus, quem etiam ad se trahere conantur Sectarii, Serm. 24. in Cantica scribit: *Non facit hominem rectum fides etiam recta, quæ non operatur ex dilectione, neque opera sine fide, neque fides sine operibus sufficit ad animi rectitudinem.*

Objic. 1. S. Scriptura tribuit variis in locis Fdei justitiam, & salutem, ut Joan. 3. ℣. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam;* & alibi: ergo fides sola salvat absque operibus onis aliis. R. 1. Retorq. arg. Scriptura in multis locis tribuit justit ... aliis piis operibus nulla fidei facta mentione, ut ex probatione 1. colligitur, & ex illo Lucæ 7. ℣. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* & 1. Jo. 3. ℣. 15. *Qui non diligit, manet in morte:* ergo alia pia opera sine fide justificant. Negabis mihi consequentiam hanc, & ego ex eodem capite nego tuam. 242

Resp. 2. D. a. tribuit justitiam & salutem Fidei vivæ, & practicæ, seu per dilectionem & alias virtutes operanti, & præcepta observanti c. a. Fidei mortuæ, vel mere speculativæ n. a. Vel aliter: Tribuit fidei negative, & præcisive, id est, præscindendo hic a bo-

nis operibus alibi requisitis c. a. exclusive, seu excludendo bona opera n. a. S. Scriptura non omnia dicit in uno loco; in hoc exigit fidem, in altero Spem, in tertio Charitatem, in quarto alia opera bona &c. v. g. Pœnitentiam.

Objic. 2. S. Scriptura positive excludit opera a justificatione, & hanc soli fidei adscribit: ergo. a. prob. ex illo Rom. 4. ✝. 5. *Ei, qui non operatur, credenti autem in Eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.* R. D. a. excludit opera naturæ, opera solius liberi arbitrii in solis naturalibus constituti, opera externa tantum sine interiore spiritu, & opera legis ceremonialis Judaicæ c. opera supernaturalia facta ex fide in Christum, & ex gratia Christi: sine quibus fides est mortua n. a. Textus D. Pauli cum aliis loquitur de credente fide viva, & operante per Charitatem, & gratiam Dei. Audiatur de hac re S. Augustinus, qui in lib. de fide & operibus c. 14. ita discurrit: *Quoniam hæc opinio* (de sufficientia solius fidei, utpote quæ est Hæresis jam in Simone Mago damnata) *tunc fuerat exorta, aliæ Apostolicæ Epistolæ Petri, Joannis, Jacobi, Judæ, contra eam maxime dirigunt intentionem, ut vehementer adstruant, fidem sine operibus nihil prodesse; sicut & ipse Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem, planeque evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt, & fides, inquit, quæ per dilectionem operatur. Unde illam fidem, quæ sufficere ad salutem quibusdam videtur, ita nihil prodesse affirmat, ut dicat, si habeam omnem fidem, ut montes transferam, Charitatem autem non habeam, nihil sum.* Insuper etiam eatenus justificamur *gratis*, quatenus justificamur sine merito de condigno, adeoque ex mera gratia, non enim meremur de condigno primum gradum gratiæ justificantis. Sic fere omnes textus explicari possunt; dum autem allegatur ille textus Luc. 8. ✝. 4. *Noli timere, crede tantum, & salva eris*: nihil ad rem dicitur; quia ibi de salute corporis, non animæ dicitur.

Objic. 3. Non nemo acatholicus Canonem *Charitas & aqua* 14. d. 2. ubi Augustinus ait: *Fidei soli venia peccatorum promittitur, & fide sola peccata relaxantur*: ergo. R. Sic objiciens fallaciter agit, dum dissimulat, qualem fidem S. Doctor intelligat, nempe *Christianorum, quæ operatur per dilectionem*; audi textum totum, ut ibi legitur: *In Christum credere, est amando in Ipsum tendere: hæc est fides, ut definit Apostolus, quæ per dilectionem operatur; huic duntaxat remissio delictorum promittitur.* Quæ plane Adversariorum errorem confutant.

Hic

Hic perstringi meretur non mediocris audacia Lutheri, qui in 243
suis Bibliis germanicis illud ad Rom. 3. ℣. 28. *Arbitramur Hominem justificari per fidem sine operibus legis*, ita vertit: allein durch den Glauben, id est, *per solam fidem.* Nec Prædicantes hanc fraudem satis excusant, dicentes, in re idem esse *fidem sine operibus legis*, & *fidem solam*, & Lutherum non verba, sed sensum considerasse. Nam 1. falsum est harum propositionum esse eundem sensum: *fides sine operibus legis justificat*, & *sola fides justificat*; etenim posterior excludit omnia omnino opera, prior vero tantum opera legis antiquæ. 2. Versoris, præsertim S. Scripturæ non est aliquid addere, vel demere, etiamsi putet spectare ad sensum.

Assero 3. formalis justificatio peccatoris non consistit in mera 244
remissione peccatorum extrinseca, aut in extrinseca imputatione justitiæ alienæ, nimirum Christi, sed in justitia positiva intrinseca, & cuivis propria, quæ in ipso justificationis actu infunditur a Deo. Ita Catholici contra Sectarios.

Prob. 1. Ex S. Scriptura. 1. Paralip. 2. dicitur: *Obsecro Domine, aufer iniquitatem Servi tui.* Ps. 30. *Asperges me hysopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor.* Isaiæ 44. *Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam, peccata tua.* Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Mich. 7. *Projiciet in profundum maris omnia peccata vestra.* Ex his sic licet argumentari: qui aufert iniquitates, qui eas delet ut nubem, qui mundat animam a culpa, sicut corpus ab inquinamentis abluitur; imo qui mundat super nivem dealbans animam peccatricem; denique qui Projicit in mare peccata, ille ea delet non per puram imputationem, sed vere, ita, ut nihil de priore culpa remaneat: atqui tali modo justificat peccatorem: ergo non per simplicem imputationem, sed vere, & intrinsece.

Accedunt textus ex novo testamento. 1. Cor. 6. *Et hæc quidem fuistis* (scilicet Peccatores) *sed abluti estis, sed justificati estis in Nomine Domini JEsu Christi.* Ad Titum 3. *Benignitas, & Humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus S., Quem effudit in nos abunde per JEsum Christum Salvatorem nostrum: ut justificati gratia Ipsius hæredes simus secundum Spem vitæ æternæ.* Coloss. 2. *Convivicavit vos Christo, donans omnia delicta.* Vivicatio

pertinet ad interiorem renovationem & vitam fupernaturalem per gratiam fanctificantem inhærentem, quam fequitur condonatio peccatorum: ergo.

Concilium Trident. Seff. 6. cap. 7. optime doctrinam fidei contra Proteftantes declarat: *Unica formalis caufa juftificationis eft Juftitia Dei, non qua Ipfe Juftus eft, fed qua nos juftos facit, qua videlicet ab eo donati, renovamur Spiritu mentis noftræ, & non modo reputamur, fed vere jufti nominamur, & fumus - - - Id in hac impii juftificatione fit, dum ejusdem SSmæ. Paffionis merito per Spiritum S. Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui juftificantur, atque ipfis inhæret.* - Idem afferit eadem Seffione can. 11. *Si quis dixerit homines juftificari vel fola imputatione Juftitiæ Chrifti, vel fola peccatorum remiffione exclufa gratia & Charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atque in illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua juftificantur, effe tantum favorem Dei, Anathema fit.*

S. Aug. lib. de Spirit. & lit. c. 9. ait: *ficut fides Chrifti dicta eft, non qua credit Chriftus, fic juftitia Dei, non qua juftus eft Deus.* & paulo ante: *Juftitia Dei, non qua Deus juftus eft, fed qua induit hominem, dum juftificat impium.*

245 Objic. 1. Apoftolus jam juftificatus, tamen ad Rom. 7. ℣. 20. fatetur, in fe habitare peccatum: ergo gratia fanctificans non delet, fed tantum tegit peccata. R. D. a. & ibi loquitur Apoftolus folum de peccato metaphorice fumpto, pro concupifcentia inclinante ad peccatum c. a. loquitur de peccato formaliter tali, n. a.

Objic. 2. Pfalm. 31. dicitur: *Beati, quorum remiffæ funt iniquitates, & quorum tecta funt peccata: beatus vir cui imputavit Dominus peccatum*: ergo peccata dicuntur remitti, quatenus teguntur, & non imputantur. R. D. a. & Propheta ibi loquitur de tectione tam interiore, quam exteriore, & vere coram Deo facta c. a. folum de exteriore n. a. Nam coram Deo tecta funt folum illa peccata, quæ non amplius exiftunt, & funt, & fic a Deo ut exiftentia non videntur; fi autem tantum pallio quodam cooperta forent, adhuc a Deo viderentur. S. Aug. Sermon. 2. in hunc Pfalmum, *Beati*, ait: *Non fic intelligatis, quod dixit, peccata cooperta funt, quafi ibi fint, & vivant. - - - Medicus tegit, ut juvet, emplaftro enim tegit.* Peccata coram Deo deleta, non amplius imputantur, & vere funt tecta.

Objic. 3. *Quicunque in Chrifto baptizati eftis, Chriftum induiftis.* Gal. 3. ℣. 25. ergo ficut veftis non delet, fed folum tegit corporis maculas,

culas, ita & justificatio solum peccata tegit, non delet. R. N. c. siquidem ex eodem Apostolo; Coloss. 3. ℣. 9. Qui induit Christum, exuit veterem hominem, ut nihil damnationis & peccati de his remaneat: *exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum.*

Objic. 4. 1. Cor. 1. ℣. 30. Christus dicitur nobis factus Sapientia a Deo, & Justitia, & sanctificatio: ergo prædestinatus per Justitiam Christi imputatam fit formaliter justus. R. 1. Retorq. arg. licet Christus sit nobis factus sapientia, tamen non evadimus formaliter sapientes per Sapientiam Christi, sed per propriam a Deo per Christum nobis communicatam. R. 2. D. a. Christus factus est nobis justitia, ut causa efficiens meritoria moralis Justitiæ in Cordibus nostris diffusæ c. a. ut causa formalis, per quam formaliter justi sumus n. a. quippe ex eodem Apostolo, Rom. 7. per obedientiam Christi plures facti sunt justi, quomodo per inobedientiam primi Hominis peccatores constituti sunt multi: sed inobedientia Adami non est forma, qua Posteri ejus sunt peccatores, sed peccatum originale unicuique proprium, ut definit Concil. Trid. Sess. 5. Can. 3. ergo neque per justitiam Christi sumus formaliter justi, sed per gratiam nobis inhærentem. Non abs re erit hic adducere argumentationem R. P. Pichler Controversistæ profecto insignis, ex cursu Theol. Polemicæ universæ part. 2. Controvers. art. 6. §. 1. ubi contra Protestantes ita infert: Si Lutherani &c. sint vere & proprie justi per justitiam Christi ipsis imputatam, uti contendunt, tunc Christus dici potuit, & fuit vere & proprie peccator, & quidem omnium maximus, quia sicut Justitia Christi nobis imputatur, ita & Christo fuit imputata injustitia nostra, & peccata omnium hominum: hæc sequela est blasphemia horrenda, quam tamen omnes admittere debent, qui consequenter docent, hominem proprie esse justum per justitiam Christi ipsi imputatam. Ne igitur sequelam blasphemam admittant (quam tamen Gerardus de justificatione §. 207. admittere non erubescit cum quibusdam aliis) quod Lutherani non sint proprie, & vere justi propter justitiam Christi imputatam, dicere debent, quod propter remanentia peccata sint magis peccatores, sicut Christus non potest dici peccator propter peccata nostra Ei imputata, sed potius justus. S. Augustinus pariter hanc objectionem jam solvit in nostris probationibus.

Assero

346 Assero 4. Absque speciali Dei revelatione nemo potest esse certus absolute certitudine fidei, se esse justificatum, & in gratia justificante permansurum, ita definit Concil. Trid. Sess. 6. can. 3. ait: *Si quis dixerit, omni Homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo, & absque ulla hæsitatione propriæ infirmitatis, & indispositionis, peccata sibi esse remissa, Anathema sit.* Can. 15. *Si quis dixerit hominem renatum, & justificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero prædestinatorum, Anathema sit.*

Can. 16. *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum absoluta, & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, Anathema sit.* Atque hoc meum assertum eadem Sess. 6. de justificatione c. 12. adstruit, ubi ita loquitur: *Nemo quoque, quamdiu im hac mortalitate vivitur de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeo præsumere debet, ut certo statuat se omnino esse in numero prædestinatorum; quasi verum esset, quod justificatus, aut amplius peccare non possit, aut, si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat. nam, nisi ex speciali revelatione, sciri non potest, quos Deus sibi elegerit.*

Roboratur Assertio ex S. Scriptura. Eccle. 9. *Nescit homo, utrum amore, vel odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta.* Et Ipse Apostolus de se ait: 1. cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Et Philippenses hisce gravissimis verbis monet: *cum metu, & tremore salutem vestram operamini.*

Objic. ad Rom. 8. ℣. 16. habetur: *Spiritus reddit testimonium Spiritui nostro, quod sumus filii Dei:* ergo. R. N. c. licet testimonium internum Spiritus S. sit certum in se, non tamen est certum quoad nos; quia Satanas potest se transfigurare in Angelum lucis, possumus impelli a natura, & sensualitate, & credere, esse ex instinctu divino. Dein plerique textus, qui a Sectariis afferri possunt, plerumque loquuntur de certitudine qualicunque morali negativa, vi cujus non habet quis certum fundamentum credendi contrarium, licet non sit absque omni formidine de opposito; vel de certitudine solum conjecturali, vel supponunt specialem revelationem, aut omnes conditiones esse ab homine impletas; de quo tamen sine speciali revelatione iterum non possumus esse de fide certi.

Ex opposito D. Habert judicat, moraliter certum videri, aliquem non accepisse gratiam Sacramentalem in confessione; vel illam non conservaturum, qui non est renovatus Spiritu, qui non delectatur justitia, nec con-

concupiscit adversus carnem, & adhuc terrena sapit, & spiritualia fastidit, nam Rom. 8. ℣. 15. *Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt: qui vero secundum Spiritum sunt, quæ sunt Spiritus sentiunt.*

Dissertatio III.

DE NECESSITATE GRATIÆ DOGMATICÆ.

Articulus I.

An Homo possit sine gratia cognoscere aliquod verum seu naturale, seu supernaturale?

Assero 1. Homo lapsus viribus suis naturalibus, ac cum generali, 247
& ordinario concursu Dei pertinente ad donum creationis, sine auxilio gratiæ potest cognoscere multas veritates Speculativas naturales, & inter has, Deum esse unum, ac multas veritates practicas artificiales, spectantes ad naturæ necessitatem. Communis.

Prob. per peccatum non est extinctum lumen rationis: atqui lumen rationis solum est sufficiens absque gratia cum concursu ordinario Dei ad multas tales veritates cognoscendas: ergo. m. videtur patere, quia tales veritates, utpote naturales, sunt aliunde proportionatæ lumini naturali rationis; neque specialis difficultas, naturaliter insuperabilis, in multarum similium veritatum cognitione se offert. Quod autem Dei existentia, & unitas possit naturaliter ex creaturis cognosci, jam probatum est in Tractatu de Deo Uno.

Assero 2. Non potest tamen Homo lapsus suis viribus naturalibus 248
sine omni gratia speciali, distincta a Dono creationis veritates speculativas, & practicas naturales omnes cognoscere. Prob. Istæ veritates sunt innumeræ, ac plurimæ ex ipsis valde difficiles, & longe a sensibus remotæ, ac inevidentes, vitaque valde brevis non sufficit pro inquisitione exactiori singulorum; unde & ipsa experientia docet, nos in pluribus etiam obviis rebus naturalibus halucinari, ut recte Hypocrates in primo Aphorismo dixerit: *Ars longa, vita brevis, occasio præceps, experimentum fallax, Judicium difficile.*

Petes, an ista gratia, vel auxilium, aut directio specialis, quæ ad omnes veritates naturales, vel saltem ad aliquas difficiles, & naturaliter insuperabiles requiritur, sit gratia supernaturalis, spectans ad providentiam supernaturalem? Herincx respondet negative. Esto enim sit beneficium superadditum dono creationis, non tamen pertinet ad salutem, nec conceditur ex speciali fine Providentiæ supernaturalis. Si tamen ex meritis Christi ad talem finem supernaturalem, & in ordine ad salutem ejusmodi donum, vel auxilium speciale daretur, ut aliquando, & juxta multos semper fit, tunc utique foret gratia supernaturalis saltem quoad modum, & esset gratia Christi.

Advertit etiam Viva, quandocunque Homo actu cognoscit aliquam veritatem naturalem, naturaliter alias cognoscibilem, id non fieri sine auxilio indebito Dei providentis, ut Auctoris naturalis; proinde tunc necessario concurrit aliqua gratia Philosophica distincta a dono creationis: Rationem dat, quia salvo jure creationis potuit Deus ab æterno ita ordinare causas secundas, ut hic & nunc Petrus vel incideret in amentiam, vel aliunde impediretur per causas naturales excitatio specierum requisita ad hanc cognitionem: ergo quod hic & nunc Petrus cognoscat hoc naturale verum, est speciale donum Dei distinctum a dono & jure Creationis.

Naturaliter quidem, & vi juris creationis toti multitudini hominum est debitum, ut in ea sint plurimi bono ingenio, & temperamento, ac recto usu rationis præditi; ast, quod Petrus præ Paulo sit potius talibus donis instructus, nec in eorum usu per causas naturales impediatur, non est Petro debitum; atque adeo est specialis favor, aliunde indebitus. Quare pro talibus donis merito, ac utiliter Deum rogamus, & pro illis acceptis gratias agimus.

349 Assero 3. Potest homo solis viribus naturalibus, ac sine auxilio speciali, & gratia etiam philosophica superaddita cognoscere generalia principia morum, & aliquas veritates morales ex illis deducere, non potest tamen sine gratia omnes veritates morales intelligere. Ita iterum communis. Prima pars prob. quia etiam lumen naturale dictat, Deum esse colendum, parentes honorandos &c. ex quibus etiam in particulari possunt aliquæ aliæ conclusiones practicæ deduci: altera pars probatur sicut Assertio præcedens.

350 Assero 4. Absque gratia dogmatica per Christum nequit homo lapsus cogitare aliquid, quod ad vitam æternam conducat. Est de fide con-

contra Pelagianos, & semipelagianos. P. 1. 2. ad Corinth. 3. dicitur: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquod a nobis.* Et 1. ad Corinth. 11. *Nemo potest dicere Dominus JEsus, nisi in Spiritu sancto.* S. Augustinus Epist. 105. *Nemo est pie sciens, aut scienter pius, nisi acceperit Spiritum Sapientiæ.* Idem definit Arausicanum, can. 7. dicens: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, &c. affirmat absque illuminatione, & inspiratione Spiritus sancti, hæretico fallitur spiritu.*

P. 2. Ratione. Vita æterna est toti naturæ indebita: ergo & media ad illam conducentia, seu actus salutares sive intellectus, sive voluntatis, excedunt vires totius naturæ, consequenter necessario exigunt gratiam dogmaticam Christi.

Articulus II.

An Homo possit sine gratia velle, vel facere bonum morale?

Assero: Neque gratia theologica, neque philosophica opus est, ut 251
possint homines in natura lapsa aliquod opus honestum ponere, & tentationes aliquas superare. Communis.

P. 1. D. Paulus ad Rom. 2. dicit: *Gentes, quæ legem non habent naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt;* atqui quod fit naturaliter, fit ex exigentia naturæ, atque adeo citra speciale donum, aut gratiam seu theologicam, seu philosophicam: ergo.

Dices 1. Aliqui PP. Latini per illud *naturaliter* non excludunt gratiam a gentilibus, sed tantum legem scriptam: seu asserunt, Paulum solum dixisse, quod gentiles non habeant legem scriptam Mosaicam, sed solum naturalem. *Contra* est: Saltem PP. Cræci, ut testantur Herincx & Henno, intelligunt hunc textum in nostro sensu: nec aliud significant ipsa verba textus Apostoli, si in proprio sensu accipiantur, in quo omnino accipi debent, si sine absurdo, sicuti hic fit, ita accipi possunt.

Dices 2. S. Prosper, & Fulgentius dicunt, textum Apostoli esse intelligendum de gentibus jam conversis, & illos, qui interpretantur de gentibus adhuc incredulis, & gratia destitutis, arguunt erroris Pelagiani. *Contra* est 1. Prædicti SS. PP. loquuntur de interpretatione illa Pelagii, secundum quam gentes possent viribus naturæ adimplere *totam legem* natu-

naturæ, ita ut essent de iis, de quibus Apostolus ibi dixerat: *Factores legis justificabuntur:* atqui sic nos non intelligimus; dicimus enim tantum, quod *aliqua*, non vero *omnia* opera honesta sine gratia, ac naturaliter possint poni, ut docebit Articulus sequens. *Contra* est 2. Sedes Apostolica damnavit hanc propositionem Baii: *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom. 2. gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt: intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus:* ergo.

P. 2. ex propositionibus Bajanis damnatis, quarum aliqua sic habet: *Liberum arbitrium sine gratia, & adjutorio Dei non nisi ad peccandum valet:* ergo opposita debet esse vera, quod valeat ad aliquid aliud, quam peccandum, videlicet ad aliqua opera naturalia moraliter bona.

Nec dicas: Hanc propositionem damnari, quia liberum arbitrium sine gratia saltem opera indifferentia facere potest; nam *contra* est 1. si aliquis potest facere actum moralem indifferentem sine gratia, cur non etiam moraliter bonum, tendendo in objectum honestum? 2. Certum videtur, SS. Pontifices in damnatione hujus propositionis non attendisse ad opera in individuo indifferentia, qualia plurimi non admittunt, nec admittebat ipse Bajus, qui proinde ideo solum præfatam Thesin docuit, quia censebat liberum arbitrium sine gratia ex se non valere ad aliquid moraliter bonum agendum.

Accedunt aliæ propositiones Bajanæ confixæ, ut 65. *Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus, & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit, & docet.* Iterum ista: *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ viribus ortum ducit, agnoscit.*

P. 3. ratione: Liberum arbitrium post lapsum non est extinctum: ergo illud potest agere, & solis suis viribus naturalibus tendere in aliquod objectum naturale bonum, seu in honestatem naturalem, maxime, quia naturalis honestas est objectum proportionatum libero arbitrio, etiam secundum vires naturales spectato.

Confirm. Natura lapsa easdem vires naturales habet, quas habuisset pura; atqui natura pura solis viribus naturalibus potuisset agere aliqua opera naturalia moraliter bona: ergo & natura lapsa id potest.

Dixi, quod in natura lapsa *possint* aliqua opera moralia solis viribus naturæ fieri abque gratia theologica, & philosophica: si enim actu

fiant,

fiant, requiritur saltem gratia philosophica *congrua*, distincta a dono creationis, ut in simili dictum est articulo præcedente; quia etiam Deus potuisset impedire causas naturales modo quoque naturali, ne exire possent in talem actum, vel hominem permittere incidere in tales circumstantias, in quibus non fuisset bene operaturus: quod autem hoc non permiserit &c., est speciale donum, a dono creationis distinctum. Vide dicta n. 247.

Objic: 1. Arausicanum can. 22. dicit: *Nemo habet de suo nisi peccatum, & mendacium*: ergo ex nostris viribus naturalibus non possumus actionem moraliter bonam facere. R. N. c. Sensus allati canonis non est, quod nihil possit homo ex sua naturali virtute, quam peccare: sed, quod solum peccatum, formaliter, & moraliter spectatum ita sit proprium homini, ut nullo pacto possit Deo tribui. 252

Objic. 2. Scriptura, Concilia, & PP. docent, nos nihil boni posse sine Deo facere: ergo. R. D. a. nihil boni meritorii, & ad salutem conducentis c. a. nihil boni præcise honesti, supernaturaliter tamen non meritorii n. a. &c. Ex his

Colliges 1. quod aliqua opera moraliter bona, non vero omnia, sine gratiæ adjutorio possint fieri; si enim omnia possent fieri, tunc longo etiam tempore, & tota vita posset lex naturalis observari, gravissimæque tentationes superari sine auxilio gratiæ, quod tamen in sequentibus negabitur.

Colliges 2. Non omnia opera sive Fidelis in peccato mortali constituti, & gratia sanctificante destituti, sive infidelis esse peccata. Ratio hujus præter jam dicta datur 1mo. quia Tridentinum sess. 6. can. 7. ait: *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, vera esse peccata, anathema sit.* 2do. quia damnata est hæc propositio Baji: *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.* 3tio. Actus v. g. eleemosinæ ex motivo honestatis misericordiæ sive ab infideli, sive a fideli sine gratia factus, est actus de se honestus, & nulla circumstantia vitiatus: ergo non est peccatum.

Articulus III.

Quomodo gratia fit neceffaria ad fervanda præcepta, &c. vincendas tentationes.

253 Affero 1. Natura lapfa fine gratia dogmatica habet *per fe* potentiam phyficam ad obfervandam legem *pure* naturalem, & confequenter ad eliciendum actum amoris Dei fuper omnia. Communis.

P. 1. Natura lapfa habet per fe obligationem naturalem obfervandi legem naturæ, & amandi Deum, ut manifeftum eft; alioquin poffet homo in ftatu naturæ lapfæ legem naturalem fine culpa transgredi: ergo etiam per fe habet potentiam phyficam obfervandi legem illam; alioquin obligaretur ad impoffibile.

P. 2. peculiariter de amore Dei *naturali*. Poteft naturaliter cognofci Deus tamquam fummum bonum, & obligatio amandi Deum fuper omnia; fed hanc cognitionem naturaliter poteft fequi amor Dei fuper omnia; nam cognitionem boni fequi poteft amor ipfi proportionatus: ergo.

Confirm. ex propofitione 34. Baji confixa, quæ fic habet: *Diftinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut author naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut Beatificator, vana eft, & commentitia, & ad illudendum facris Literis excogitata.*

254 Objic. 1. S. Scriptura, & PP. amorem Dei adfcribunt gratiæ: ergo fine gratia non poteft dari. R. D. a. amorem Dei falutarem, meritorium, ac fupernaturalem, qui fit, *prout oportet*, ut loquitur Tridentinum c. a. amorem Dei fuper omnia non falutarem n. a. Sic etiam amor Dei fuper omnia falutaris & fupernaturalis, non vero naturalis, affert remiffionem peccatorum: poteftque dici, quod fimiles authoritates folum velint, de facto non dari amorem Dei fuper omnia mere naturalem, eo quod de facto, quando elicitur actus amoris Dei, Deus femper conferat etiam gratiam fupernaturalem, excitantem ad talem actum, & fic ifte actus femper ex gratia procedat. Conclufio vero non loquitur, quid de facto fiat, fed quid *de fe* natura lapfa *poffet* facere potentia phyfica.

Ojic. 2. Amor Dei fuper omnia importat totius legis obfervantiam, & victoriam cujusvis tentationis gravis; atqui tota lex non poteft

test servari, nec tentatio gravis superari sine gratia, ut dicetur: ergo nec Deus super omnia amari. R. D. M. importat ista affective, & quoad præparationem ac dispositionem animi c. M. effective, & in re ipsa n. M. multo facilius in affectu proponitur, quam in effectu ponitur observantia legis. Potest etiam ejusmodi amor esse effective efficax in ordine ad observandam legem totam naturalem brevi tempore, de quo postea.

Objic. 3. Amor Dei super omnia excludit omne peccatum grave; atqui hæc exclusio non potest fieri sine gratia: ergo. R. D. M. excludit omne peccatum actuale, seu tunc, dum quis actum amoris super omnia erga Deum elicit, non potest simul actu mortaliter peccare, vel affectum ad aliquod peccatum mortale habere c. M. excludit etiam peccatum habituale subd. si sit actus amoris supernaturalis c. M. naturalis n. M. Justificatio solum est promissa actui amoris Dei super omnia supernaturali: actus vero amoris Dei mere naturalis tantum serviret ad implendum præceptum.

Objic. 4. Amicitia cum Deo non potest haberi nisi per gratiam; atqui amor Dei super omnia est amor amicitiæ: ergo non potest haberi nisi per gratiam. R. 1. N. suppositum, quod idem sit amor amicitiæ, & amicitia. R. 2. N. m. si sit sermo de amore Dei super omnia naturali, saltem in statu naturæ lapsæ; nam inter alia requisita ad amorem amicitiæ requiritur, ut sit reciprocus, atqui in statu naturæ lapsæ amori isti naturali non responderet ex parte Dei alius reciprocus amor: imo stante amore naturali posset homo manere in peccato gravi habituali, & esse objectum odii divini.

Objic. 5. Sine cogitatione congrua non potest fieri ullus actus bonus, consequenter neque actus amoris Dei super omnia: atqui cogitatio congrua est gratia: ergo. R. D. M. sine cogitatione congrua vel naturali, vel supernaturali c. M. semper supernaturali n. M. Cogitatio congrua, quæ requiritur ad positionem actualem naturalis amoris Dei super omnia, juxta superius dicta esset gratia mere philosophica & naturalis: nos vero negamus solum, gratiam theologicam requiri.

Dixi in assertione: ad observandam legem *pure* naturalem, seu quæ obligat ad actus pure naturales; si enim legem naturalem accipis in sensu latiore, prout supposita elevatione naturæ ad finem superna-

pernaturalem, ea se quoque extendit ad quærendum finem supernaturalem per actus supernaturales fidei, spei, & charitatis, tunc certum est, quod neque physicam potentiam homo habeat sine gratia theologica ad legem naturæ observandam; quia sine gratia theologica nemo potest istos actus supernaturales elicere.

255 Assero 2. Homo in statu naturæ lapsæ non potest potentia morali diu observare totam legem, etiam pure naturalem, sine gratia dogmatica. Est plerorumque Theologorum, adeo, ut non nulli oppositam sententiam gravibus censuris notent.

P. 1. Ad Rom. 7. dicitur: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati. - - - Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per JEsum.* Ubi D. Anselmus in hunc locum: *Hæc est vox militis pugnantis, & gementis in labore certaminis, cui gementi, & auxilium liberatoris imploranti respondetur: gratia Dei te liberabit a corpore mortis hujus.* Hoc modo interpretantur laudatum textum etiam SS. PP. Augustinus, Ambrosius, Chrysostomus, & alii apud Henno, juxta quos Paulus quasi dixit, a lege membrorum, seu a concupiscentia inclinante ad mala contra legem naturæ, residentem in mente, se liberari non posse, scilicet moraliter, nisi per gratiam Christi.

P. 2. ratione: In natura lapsa reperiuntur plurima, quæ moralem impotentiam servandi diu totam legem naturæ constituunt, ut rebellis concupiscentia, tentationes valde molestæ & multiplicatæ, inconstantia imaginationis, vertibilitas nostræ voluntatis, quæ nequit longo tempore uniformiter operari, intemperies nostrorum humorum, orta a vitiis Progenitorum, plurima mala exempla, bona sensibilia, necessitates corporis, variæ curæ, consilia mala, educatio pessima, institutio perversa &c. & alia ejusmodi, quorum plura simul concurrentia reddunt moraliter impossibilem observantiam legis naturalis pro tempore longiore. Requiritur ergo gratia, & quidem pro hoc statu elevationis theologica. Ratio est: quia pro hoc statu observatio legis naturalis ordinatur, & conducit ad vitam æternam, & finem supernaturalem: atqui si non fieret per auxilia supernaturalia, non conduceret ad vitam æternam, ut superius dictum est, agendo de illo axiomate: *Facienti, quod est in se &c.* ergo.

256 Objicies. Ex hac assertione sequitur, quod natura lapsa sit debilior ad observandam legem naturalem, quam natura pura; atqui sequela

quela est contra nos: ergo. M. p. Natura pura habuisset ex viribus naturalibus potentiam moralem servandi diu, & semper totam legem naturæ: atqui hanc non haberet natura lapsa: ergo esset debilior. M. p. Si natura pura non habuisset illam potentiam moralem, fuisset moraliter necessitata ad perdendum suum ultimum finem, & incurrendas pœnas æternas inferni; sed hoc non potest admitti: ergo. m. p. non videtur conveniens divinæ bonitati producere creaturam moraliter necessitatam ad incurrendos cruciatus æternos, nec convenit sapientiæ divinæ producere creaturam tam male constitutam, ut sit moraliter inepta ad consequendum suum ultimum finem, & peccatum mortale vitandum: aliud est, quod ejusmodi necessitas oriatur ex ipso peccato naturæ lapsæ. Hæc sane objectio in causa fuit, ut insignes DD. contrariam sententiam amplecterentur.

R. N. M. ad prob. d. M. Natura pura habuisset hanc potentiam absolute n. M. conditionate, & quidem sub conditione involvente gratiam Dei naturalem c. M. & d. m. natura lapsa non haberet hanc potentiam absolute c. m. conditionate, sub conditione involvente gratiam Dei, & quidem de facto supernaturalem, ob elevationem naturæ lapsæ ad finem supernaturalem n. m. & c. Igitur potentia moralis servandi totam legem naturalem simpliciter est indebita tam naturæ puræ, quam lapsæ, & utrique est debita sub conditione; quæ conditio si impletur, id fit per gratiam Dei: si vero non impletur, fit per culpam & negligentiam hominis. Sic natura pura potest saltem aliquamdiu suis viribus abstinere a peccato, & illa facere, quæ ad Deum colendum, & invocandum spectant, sicque observare legem naturæ: quod si hoc aliquo tempore præstet, & sic faciat, quantum est in se, tunc ipsi debentur ulteriora auxilia naturalis ordinis ad observandam diu, & ulterius legem naturalem: non faciet autem prædicto modo etiam modico tempore, quantum est in se, nisi saltem habeat gratiam naturalem congruam, & efficacia auxilia, scilicet cogitationes, ac affectiones voluntatis congruas, seu tales, quas Deus prævidit esse connectendas cum cooperatione hominis; potuisset enim Deus ut author naturæ ita disponere causas secundas, ut non haberet cogitationes congruas, sed solum sufficientes, ac tales, quibus homo prævisus erat non consentire. Similiter naturæ lapsæ simpliciter est indebita ista potentia moralis, debetur tamen sub conditione, si homo aliquo tempore faciat, quantum potest, colendo, invocando Deum, & offensas Ejus evitando: quod tamen in statu

naturæ lapsæ ob elevationem ad finem supernaturalem non faciet sine gratia supernaturali, quam accipit: si ergo huic cooperatur, meretur ulteriora auxilia, saltem sufficientia ad observandam diutius legem naturalem: si vero prioribus auxiliis non cooperatur, propter negligentiam hanc juste privari poterit ulterioribus gratiis.

Deduces: neque posse amorem Dei super omnia naturalem diu perseverare sine gratia theologica. Ratio est: quia sine gratia theologica aliquis non potest diu evitare peccatum contra legem naturæ: ergo neque diu permanere in amore Dei super omnia, etiam naturali, quia iste quoque est inconjungibilis cum peccato actuali mortali, ut jam insinuatum est.

257 Assero 3. Gratia illa actualis supernaturalis, quæ necessaria est ad observandam diu legem naturalem, sæpe denegatur infidelibus culpabiliter non credentibus, nec non fidelibus in peccato mortali permanentibus. Ita communis. Ratio *primi* est: quia Scriptura, PP., ac Concilia ajunt, gratiam, per quam liberamur a servitute peccati, radicari in fide. Unde 1. Petri 5. dicitur: *Cui resistite fortes in fide.* & ad Gal. 3. *Conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide JEsu Christi daretur credentibus.* Docet etiam Arausicanum, gratiam auxiliantem ad cavenda peccata incipere a vocatione ad fidem.

Ratio *secundi* est: S. Gregorius 22. Moral. c. 12. ait: *Peccatum, quod per pœnitentiam non mox deletur, suo pondere ad aliud trahit.* Ratio est ulterior; quia hi homines, qui voluntarie in infidelitate, & inimicitia Dei permanent, se reddunt indignos ad auxilia proxime sufficientia, quamvis & hi adhuc habeant remote sufficientia.

258 Assero 4. Homo in statu naturæ lapsæ sine gratia potest vincere aliquam tentationem levem: 2. non vero gravem: neque 3. omnes leves coacervatas, vel nimis diu durantes. Communis.

P. 1ma. pars. Tentatio levis non necessitat, nec valde movet ad peccatum: ergo per solas vires liberi arbitrii naturaliter vinci potest. Confirm. ex damnatione propositionis 30. Bajanæ, qua dicebantur *fures & latrones, qui docent, tentationi ulli sine gratiæ ipsius Christi adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.*

P. 2da. pars. S. Chrysostomus Hom. 24. in Epist. 1. ad Corinth. ait: *Sunt tentationes, quas sufferre non possumus; possibilitas enim in divina nutu*

mutu est. similia habent alii SS. PP. Et ratio est: quia interdum occurrentibus cogitationibus bonis possumus esse ita in bono obfirmati, ut tunc moraliter nobis sit impossibile, in rem malam consentire: ergo ex opposito occurrente cogitatione, & tentatione mala, præsertim gravi, possumus ita in peccatum inclinari, ut tunc omnino moraliter nobis impossibile sit, illud evitare, nisi Deus per gratiam suam nos conservet.

P. etiam 3tia. pars. Parva etiam tentatio ratione suæ durationis, & coacervationis potest esse tam importuna, ut moraliter sit impossibile eam vincere sine gratia. Est autem tentatio levis illa, quæ leviter movet, esto etiam, solicitet ad peccatum grave; nam levitas tentationis non ex objecto, ad quod movet, sed ex vi impellendi, & movendi desumitur.

Articulus IV.

Reliqua de necessitate gratiæ.

Assero 1. Homo justus seu existens in gratia sanctificante, præter 259 hanc ad singulos actus salutares indiget gratia Dei actuali præveniente, & excitante interna. Ita communis DD. contra paucos.

P. 1. Cœlestinus Papa ad Episcopos Galliæ c. 8. ita habet: *Præparatur voluntas a Domino, & ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium.* Arausicanum can. 10. *Adjutorium Dei & renatis, & sanctis est semper implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono opere possint perdurare.* & can. 9. *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum operatur.* Ita quoque loquuntur SS. PP. ergo etiam justi indigent gratia, & auxilio Dei actuali, pro quo rogare debent.

P. 2. Voluntas nostra non agit salutariter, nisi præcedat cogitatio bona, & gratia efficax: atqui utraque est gratia actualis: ergo.

P. 3. Si justi non indigerent auxilio actuali, tunc neque peccatores; quia in peccatoribus defectum gratiæ sanctificantis, & habituum supernaturalium Deus supplere posset per concursum specialem extrinsecum, qui idem operari potest, & defacto operatur in peccatoribus, ac gratia sanctificans, seu habitus charitatis, hoc solo excepto,

pto, quod ejusmodi concursus extrinsecus non reddat actum a gravi peccatore elicitum de condigno meritorium augmenti gratiæ.

P. 4. Habitus per se infusi, & gratia sanctificans sunt in homine quasi sopiti, nisi accedat gratia actualis præveniens, per quam excitentur: ergo.

P. 5. Licet gratia sanctificans tollat omnem culpam mortalem, etiam originalem, relinquit tamen alia vulnera peccati originalis, videlicet ignorantiam in intellectu, & proclivitatem ad malum in voluntate ob rebellem concupiscentiam: ergo ad hæc vulnera sananda etiam justi indigent gratia actuali interna æque, ac alii, qui gratia sanctificante sunt destituti. Hoc verum est, quod justi vi gratiæ sanctificantis habeant quoddam jus ad auxilia, saltem aliqua, actualia, quod non habent in peccato mortali constituti.

Denique conclusio etiam colligitur ex Tridentino sess. 6. c. 16. ibi: *Cum Christus JEsus tanquam caput in membra, & vitis in palmites jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, sine quo nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent.* Ubi loquitur de gratia excitante, quæ est actualis, quam ultra habitus infusos in justis requirit ad salutariter operandum.

Objic. Concilium Milevitanum ait, gratiam justificantem esse adjutorium, ut non committantur peccata: ergo. R. D. a. gratiam justificantem præcise sumptam n. a. sumptam cum auxiliis actualibus, quæ eam ordinarie comitantur, & in illa ut plurimum fundantur c. a.

260 Assero 2. Ad perseverantiam in gratia sanctificante finalem in hominibus justis ultra gratiam habitualem, & gratias actuales ordinarias requiritur speciale donum Dei. Communis.

P. 1. ex Tridentino sess. 6. can. 22. *Si quis dixerit, justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.* Ubi DD. communiter per speciale auxilium intelligunt gratiam, ab ordinariis auxiliis & gratiis distinctam: ergo sine tali speciali auxilio justus cum ordinariis auxiliis habet quidem potentiam physicam, non vero moralem stricte dictam ad perseverantiam finalem, id est, posset quidem citra miraculum cum solis ordinariis auxiliis in gratia justificante finaliter perseverare, sed non erit sic perseveraturus.

P. 2.

P. 2. Hæc perseverantia finalis non datur omnibus justis, quibus tamen dantur auxilia ordinaria: ergo est donum distinctum ab auxiliis ordinariis, etiam illis, quæ justis conferri solent.

Consistit vero perseverantia finalis in hoc, quod Deus mortem hominis ordinet illo tempore, quo est in gratia justificante constitutus, vel quod mortem cum gratia sanctificante conjungat, qui est specialis favor Dei, conveniens solis prædestinatis, non vero reprobis, etiamsi hi aliquo, forte etiam longo, tempore in gratia sanctificante vixerint. Atque hic favor specialis obvenit quoque infantibus, qui post baptismum statim rapiuntur, nec permittuntur vivere, donec malitia mutet eorum intellectum.

Objic. 1. Justus cum ordinariis auxiliis gratiæ potest vitare omnia mortalia: ergo etiam perseverare finaliter: ergo non requiritur donum, vel auxilium speciale. R. D. a. potest vitare omnia mortalia distributive accepta c. a. etiam collective n. a. ut homo justus reliquum, præsertim longius, vitæ tempus nunquam mortaliter cadat, requiritur maxima series gratiarum efficacium, ac continua protectio divina, removens pericula illa, in quibus homo alioquin esset mortaliter lapsurus, quod est speciale Dei donum.

Objic. 2. Taliter non omnibus darentur auxilia necessaria ad salutem, quæ a perseverantia finali dependet: ergo. R. N. a. quia omnibus dantur auxilia sufficientia.

Objic. 3. Justi habent jus ad gloriam: ergo & ad auxilium perseverantiæ finalis, sine qua non obtinetur gloria. R. D. a. Justi, quamdiu manent justi, habent jus ad gloriam c. a. quando per peccatum excidunt justitia, & gratia justificante n. a. & suppositum, quod gratia sanctificans tribuat in hac vita jus ad perseverandum in ea; nam, quamdiu homo est in via, peccare, & gratiam justificantem perdere potest.

Assero 3. Non potest homo, etiam justificatus, in statu naturæ lapsæ per sola ordinaria auxilia, & citra privilegium speciale, quale B. Virgo habuit, vitare omnia omnino venialia collective accepta. Hæcque impotentia est moralis stricte dicta, ac oritur a difficultate ineluctabili, ita, ut nemo unquam per totam vitam suam omnia venialia vitaverit, vel vitaturus sit sine speciali privilegio: quamvis vero aliqui Sancti evitarint vel omnia, vel plurima *plene deliberata* peccata venialia, tamen in plura semideliberata ceciderunt. 261

P. 1. 3. Reg. c. 8. dicitur: *Non est homo, qui non peccet.* Jacob. 3. *In multis offendimus omnes.* & Joan. 11. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Quod debet dici de justis non solum ex humilitate, sed etiam ex veritate, ait Concilium Milevitanum can. 2. Et Concilium Tridentinum sess. 6. can. 23. *Si quis hominem semel justificatum dixerit in tota vita posse etiam peccata venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. V. Maria tenet Ecclesia, anathema sit.* Idem etiam docet D. Augustinus Tract. 1. in Joann. dicens: *Non potest homo, quamdiu carnem portat, non habere levia peccata.*

P. 2. explicando radices hujus impotentiæ moralis. Oritur ergo ex variis: 1. ex frequentia tentationum, quæ inducit lassitudinem in reluctando. 2. ex imperfecta deliberatione, qua non rite penetrantur motiva absterrentia. 3. ex ipsa levitate culparum venialium. 4. ex debilitate, fragilitate ac inconstantia naturæ lapsæ, & vehementia passionum: quæ omnia simul sumpta per longum vitæ tempus maximam, & ineluctabilem difficultatem pariunt in evitandis culpis venialibus, præsertim semideliberatis, ita, ut ea omnia moraliter non possint evitari cum auxiliis ordinariis gratiæ per longum vitæ spatium.

262 Objic. 1. *Omnis, qui in Deo manet, non peccat.* S. Joan. 3. atqui justi manent in Deo: ergo non peccant. R. 1. opponendo alium textum S. Joannis in probatione allegatum: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus &c.* R. 2. D. M. non peccat mortaliter c. M. venialiter n. M.

Objic. 2. Homo sine speciali privilegio cum solis auxiliis ordinariis tenetur vitare omnia venialia, & ea committendo peccat: ergo etiam sine hoc speciali privilegio potest ea omnia vitare; si enim non posset vitare, non peccaret. R. D. c. potest omnia vitare potentia physica, quæ saltem ad veniale peccatum sufficit c. c. potentia morali subd. omnia divisive, & seorsim c. c. omnia collective n. c. Nullum quidem est peccatum veniale seorsim acceptum, quod homo non posset vitare cum ordinariis auxiliis, si illis, prout decet, cooperaretur: non tamen potest omnia collective vitare per totum, vel longius tempus vitæ, quin in aliquod, vel plura labatur. Hinc ista necessitas cadendi in vita aliquoties venialiter, subjective est determinata, terminative est indeterminata, & vaga; quia licet homo

necess-

necessario peccet venialiter, non tamen necessitatur ad hoc determinatum peccatum veniale.

Neque obstat libertati humanæ necessitas ejusmodi vaga; nam datur necessitas vaga, ut aliqui ex tota multitudine omnium, vel plurimorum hominum peccent mortaliter, & scandalizent, quia teste S. Scriptura necesse est, ut veniant scandala: & tamen quicunque ex hac multitudine peccat, libere peccat, & potuisset vitare peccatum grave: ergo, etiamsi detur in eodem homine necessitas vaga, ut inter tot diversas occasiones aliquoties labatur venialiter, tamen quoties determinate peccat, libere peccat, & potuisset non peccare.

Objic. 3. Homo potest omnia venialia vitare divisive: ergo & collective; qui enim omnia divisive vitat, vitat quoque omnia collective. R. N. c. Non semper a sensu distributivo ad collectivum valet argumentatio, præsertim quando in tota collectione specialis est difficultas, quæ in singulis seorsim non existit.

Objic. 4. Non potest præcipi a Deo, ut aliquis frequenter jaciat eundem numerum alearum, quia hoc est impossibile: ergo neque potest præcipi, ut aliquis evitet omnia venialia. R. D. a. quia hoc est impossibile physice c. a. solum moraliter, ut evitatio peccatorum omnium venialium n. a. & c. Ex his

Colliges 1. posse fieri votum validum de vitandis omnibus pec- 265
catis venialibus plene deliberatis. Ratio est: quia ad hæc vitanda datur potentia moralis. Viva.

Colliges 2. non esse validum votum de vitandis omnibus omnino, etiam semideliberatis, peccatis levibus. Viva, Panger & alii. Ratio est: quia nec votum, nec lex humana obligat ad aliquod moraliter impossibile; atqui vitare omnia omnino peccata venialia, etiam semideliberata est moraliter impossibile: ergo.

Dices: Deus obligat ad vitanda omnia venialia: ergo etiam se homo potest obligare per votum. R. N. c. Deus per legem suam naturalem non potest non obligare ad omne illud vitandum, quod est intrinsece malum, non obstante quacunque difficultate illud evitandi, dummodo evitatio ejus sit physice possibilis: hæc ratio non urget in vovente, & voto, quod solum obligat ad normam legis humanæ, & tunc ubi ejus observatio est moraliter possibilis, ne alioquin plus ob-

sit, quam prosit, neve præbeat occasionem lapsus. Potest tamen fieri propositum de vitandis omnibus omnino peccatis venialibus, quia datur physica potentia, & obligatio vitandi omnia venialia, neque ex tali proposito sequitur major occasio labendi.

Colliges 3. in hac providentia juxta legem communem non dari auxilia tam fortia, quæ impotentiam illam vitandi omnia venialia superent: hinc ad vincendam istam impotentiam requiritur non solum gratia specialis, sed & dispensatio in lege communi, quæ dispensatio extraordinaria est singularissimum privilegium, quale fuit B. V. Mariæ concessum. Unde

Colliges 4. cum petimus a Deo, ut nos a venialibus præservet, nos non rogare pro illo specialissimo privilegio, B. V. Mariæ indulto, sed ut nos præservet a plene deliberatis, & a pluralitate semideliberatorum. Viva.

Dissertatio IV.

DE EFFECTU GRATIÆ, SEU DE MERITO.

Articulus I.

Præmittuntur aliqua de natura, divisione, & requisitis meriti.

264 Meritum hic stricte accipitur pro opere bono meritorio; nam licet per opera mala etiam dicamur mereri pœnam, illa tamen demerita potius, quam merita vocari solent. Definitur autem meritum stricte acceptum, quod sit *obsequium Deo præstitum, natum movere Deum ad retributionem præmii supernaturalis.* Ita in re communis. Ratio hujus definitionis a simili desumi potest; sicut enim in humanis meritum erga Principem est obsequium factum Principi, & meritum respectu alterius est etiam obsequium ei præstitum, potens movere ad retributionem: ita meritum erga Deum est quoque obsequium Ipsi præstitum &c.

Differt meritum 1mo. a *Satisfactione*; hæc enim necessario respicit debitum abolendum, meritum vero remunerationem. 2do. a *Satis-*

passione;

paſſione; quia etiam iſta debitum præſupponit, & reſpicit, & ſimul poteſt a reo tolerari neceſſario, cum tamen omnis actus meritorius debeat eſſe liber. 3tio. ab *Impetratione* ſtricte dicta; hæc enim eſt humilis quædam, & expreſſa petitio, ſuperiori facta cum conteſtatione poteſtatis Superioris, & manifeſtatione indigentiæ propriæ, quod proprie ſoli orationi convenit: aſt meritum non ſoli orationi, ſed & aliis pluribus actibus convenit. Dixi: *ab impetratione ſtricte dicta*; nam ſi impetratio latius accipitur pro omni opere potente movere Deum ad præſtandum auxilium, tunc omne meritum poteſt dici impetratio.

Dari meritum theologicum, & hominem per opera ſua vere apud Deum mereri, eſt dogma Catholicum contra hæreticos Calviniſtas, & Lutheranos. P. ex S. Scriptura: Eccli 16. ℣. 15. dicitur: *Miſericordia faciet locum unicuique ſecundum meritum operum ſuorum.* Et ſæpius in S. Scriptura promittitur merces noſtris operibus: ergo noſtra opera ſunt merita; quia merces, & meritum ſunt correlativa, idque definitum eſt in Arauſicano, & Tridentino. Neque obſtat, quod vita æterna in S. Scriptura dicatur dari ex miſericordia, & vocetur gratia, conſequenter non videatur eſſe merces debita noſtris meritis; eſt enim gratia tantum in radice, quatenus principium merendi eſt gratia, ex miſericordia, & gratis conceſſa.

Meritum dividitur in meritum *de condigno*, & *de congruo*. Meritum 265
de condigno, ſeu *perfectum*, & *ſimpliciter tale* habet æqualitatem cum præmio & mercede, quam, accedente Dei præmiantis promiſſione, quaſi ex juſtitia exigit, independenter vero a promiſſione exigit ſolum connaturaliter retributionem. Meritum *de congruo* eſt, quod non eſt æquale præmio, adeoque connaturaliter non exigit retributionem, quamvis hæc pro illo ex aliqua congruitate, vel decentia detur. Unde meritum de condigno importat exigentiam, & quidem connaturalem, ac ſuo modo rigoroſam, fundatam in ipſa præſtantia operis: meritum vero de congruo dicit aliqualem, & imperfectam exigentiam, fundatam potius in liberalitate præmiantis, quam in præſtantia operis. Dixi: *in liberalitate potius præmiantis*; nam & meritum de congruo aliqualiter, & minus principaliter fundatur in opere, ac præmium, quod pro tali merito datur, adhuc intuitu operis, conſequenter non omnino gratis conceditur, ut obſervat D. Auguſtinus contra Semipelagianos, aſſerentes primam gratiam dari propter aliquod me-

ritum imperfectum, dicens l. 1. de Prædest. SS. c. 2. *Redditur namque gratia hoc pacto debita, nec donatur gratis.*

Ubi advertas velim, etiam meritum de condigno non debere habere æqualitatem arithmeticam cum prœmio, sed sufficere geometricam, ut tenent Oviedo, Gormaz, Viva, Antonius Mayr & alii. Verum hanc geometricam æqualitatem varii varie explicant: aliqui volunt, eam debere esse talem, qualem habet semen ad fructum maximum, quem in se virtualiter continet, & hæc condignitas ad prœmium non tantum debet desumi ex dignitate Personæ operantis, & ponentis obsequium, sed etiam ex Persona prœmiantis; sic enim, si Rustico, & Principi serves vitam, longe majorem mercedem exspectas a Principe, quam Rustico, & quidem majorem videris etiam meruisse de condigno apud Principem.

266 Ad meritum de condigno aliqua requiruntur ex parte *operantis*, alia ex parte *operis*, & iterum alia ex parte *prœmiantis*.

Ex parte *operantis* requiritur 1mo. status viæ, saltem de potentia ordinaria. Ita cum D. Thoma, & Scoto communis Th. Th. Et colligitur ex S. Scriptura Joan. 9. *Venit nox, quando nemo potest operari*, scilicet meritorie, ad Gal. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Accedit communis sensus SS. P.P. DD. & fidelium. Hinc vita mortalis comparatur stadio, agoni, & militiæ, in qua sola conceditur spatium decertandi, ac currendi pro bravio, & corona æternæ gloriæ, ita ordinante Deo. Unde nec Patres olim in limbo erant meriti, quia jam erant extra statum viæ: & probabilius etiam non merentur Enoch, & Elias; nam licet hi adhuc vivant in mortali corpore, in eo tamen non sunt communi, & mortali conditione, neque sunt modo in agone & certamine, neque possunt nunc peccare, & demereri: ergo nec mereri possunt usque ad tempus Antichristi, quo iterum ad conditionem hominis viatoris relibunt. Herincx, Henno & alii.

Requiritur 2do. Status gratiæ sanctificantis, saltem juxta præsens decretum: sic Gen. 4. *Respexit Deus ad Abel, & munera ejus;* quia Deus prius attendit conditionem, & dignitatem offerentis, quam ipsam oblationem & obsequium. Joan. 15. *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic & vos nisi in me manseritis* per gratiam scilicet habitualem. 1. Corinth. 17. *Si tradidero corpus meum ita, ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Et

Et patet ex propositione 13. Baji damnata : *Pelagii sententia est, opus bonum citra gratiam adoptionis factum non esse regni cælestis meritorium.* Tridentinum etiam ubivis ad meritum de condigno supponit statum gratiæ.

Ex parte *operis* requiritur 1. ut illud sit bonum, & honestum. Ratio est: quia actus malus, vel mere indifferens non potest habere rationem obsequii erga Deum, & Deus tantum actibus bonis promittit mercedem.

2do. Requiritur, ut sit actus liber libertate indifferentiæ. 1. quia Apostolus 1. ad Corinth. 9. ait: *Si volens hoc ago, mercedem habeo.* Et S. Bernardus Serm. 81. in Cant. dicit: *Ubi non est libertas, nec meritum.* 2. non requiri libertatem a necessitate ad merendum, & demerendum, damnatum est in 3tia propositione Jansenii. 3. Esse meritorium, vel demeritorium, sunt proprietates actus humani, qui debet esse liber.

3tio. Requiritur, ut actus meritorius de condigno sit profectus ex gratia Dei actuali, sine qua nec justi aliquem actum salutarem, qualis est etiam de condigno meritorius, facere possunt, ut probatum jam est n. 259. Item Arausicanum can. 9. dicit: *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum operatur,* scilicet per gratiam actualem.

4to. Requiritur juxta aliquos, ut talis actus sit a charitate vel elicitus, vel imperatus. Verum de hac conditione articulo sequenti.

Juxta nonnullos requiritur 5. ut opus de condigno meritorium sit supererogatorium. Verum hoc communissime negatur; quia etiam opera præcepta, si fiant a justo, per gratiam sanctificantem præexistentem dignificantur: imo in operibus præceptis reperiri potest specialis honestas obedientiæ, ob quam non deterioris, sed melioris conditionis esse debent: & aliunde etiam operibus præceptis in S. Scriptura promittitur vita æterna: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Math. 19.

6to. Exigunt alii cum Viva specialem arduitatem actus. Verum Antonius Mayr cum aliis negat, hanc conditionem requiri ad meritum de condigno; quia multi actus sunt valde meritorii, & tamen non sunt specialiter ardui; nam viri sancti facile, & absque arduitate eliciunt actus intensissimos amoris, qui certe sunt maxime meritorii.

Ad meritum de congruo ex parte operantis requiritur status viæ. Ratio hujus jam est data superius. Unde si Sancti alterius vitæ pro nobis impetrant aliqua beneficia, tunc Deus non movetur Sanctorum precibus tanquam meritis, sed tanquam petitionibus Personarum sibi amicarum, & dignarum, ut ob antiqua merita, collecta in via, exaudiantur. Pariter gaudium accidentale, quod Sancti aliquando in cœlo percipiunt, datur intuitu meritorum præstitorum in via.

Non tamen requiritur status gratiæ; quia meritum hoc non fundatur in dignitate operantis, & ideo non est æquale præmio; quamvis aliquando status gratiæ non obsit merito de congruo. Sic & justi aliqua, quæ non cadunt sub meritum de condigno, possunt mereri de congruo, ut inferius dicetur.

Neque ex parte Dei requiritur promissio de prœmio retribuendo, quamvis ea non repugnet. Ratio *primi* est, quia merito de congruo prœmium tantum debetur ex decentia: ergo illud neque infallibiliter dari, neque ad illud infallibiliter dandum Deus per promissionem se obligare debet. Ratio *secundi* est; quia etiam illud promittere potest Deus, quod dare tantum congruum est: & ita promisit peccatori perfecte contrito justificationem.

267 Quæres: An pura omissio libera possit esse meritoria? Ante responsionem

Nota: puram omissionem liberam posse esse honestam, & bonam bonitate naturali, quatenus ea est conformis legi negativæ, ac sufficienter voluntaria: sic utique libera, & voluntaria pura omissio homicidii est laudabilis in genere moris, ut patet ex Aristotele, qui 3. Ethic. c. 5. dicit: *Non agere honestum est, ubi agere turpe est.* Propterea talis omissio etiam mereri potest prœmium naturale, ac temporale, sicut & alii actus mere naturaliter honesti. Ast quæstio est, an ejusmodi pura omissio possit etiam esse meritoria prœmii supernaturalis? ad quod

R. 1. Non est meritoria prœmii supernaturalis, saltem de condigno. Ita longe communior DD. contra paucos RR., & aliquos SSas. inter quos etiam est Mastrius, qui tamen nostram sententiam esse probabiliorem censet. Ratio nostra est: quia juxta dicenda ad meritum de condigno requiritur, ut sit actus vel elicitus, vel imperatus a virtute supernaturali; atqui pura omissio non esset actus ejus-

modi

modi elicitus, ut per se claret: nec esset actus imperatus; quia alias præsupponeret ante se actum voluntatis, & sic non esset pura omissio: ergo. Vide dicenda inferius.

R. 2. Probabiliter pura omissio potest esse meritoria de congruo: quod a fortiori admittunt Mastrius, & alii, qui volunt, etiam de condigno esse meritoriam puram omissionem. Ratio est: quia juxta dicta ejusmodi pura omissio potest esse voluntaria, & quidem directe, nimirum negative, vel interpretative, & simul potest esse conformis legi, ac dictamini conscientiæ, simulque potest haberi ex adjutorio gratiæ, retrahente a consensu malo: ergo talis omissio mali potest esse de congruo meritoria præmii alicujus supernaturalis; quia congruum videtur esse, ut intuitu talis omissionis conferatur auxilium aliquod supernaturale.

Dices 1. contra 1mam responsionem. Ejusmodi omissio potest juxta nos esse honesta: ergo & meritoria de condigno. R. N. c. quia ad meritum, præsertim de condigno, plures conditiones requiruntur præter honestatem naturalem, quas omnes non potest habere pura omissio, ut ex probatione constat.

Dices 2. Per talem omissionem satisfit præcepto negativo: ergo per eam homo justus meretur de condigno. R. N. c. quia etiam per opera non meritoria de condigno potest satisfieri præceptis, ut patet tum in peccatoribus gravibus, tum etiam in justis, si hi sint temperantes ex motivo mere naturali, & ipsorum temperantia, vel adimpletio præcepti non imperatur per virtutem supernaturalem.

Dices 3. Posset Deus præcipere homini, ut cesset ab omni actu, quo in casu homo cessando vere obediret, & consequenter mereretur: ergo. R. Talem equidem posse dici obedientem, ast non mereri de condigno, si Deus nolit dispensare in legibus modernæ Providentiæ supernaturalis.

Articulus II.

Expediuntur aliqua dubia de conditionibus requisitis ad meritum condignum ex parte operis.

Assero 1. Probabilius opus de condigno meritorium non debet esse a charitate elicitum, vel imperatum. Herincx, Henno, Panger, ac plerique RR. Mastrius est problematicus. 268

P. 1. Nec S. Scriptura, nec Tridentinum, neque SS. PP. ad meritum de condigno requirunt motivum, vel imperium charitatis: ergo aliqua opera, quæ ex motivo charitatis non sunt elicita, vel imperata, possunt esse de condigno meritoria. Ant. constabit ex solutione objectionum, & inde patet; quia Scriptura, & Tridentinum &c. solum requirunt, ut opera referantur in Deum, vel fiant in nomine Christi, quod etiam fit per opera aliarum virtutum supernaturalium; nam & hæc fiunt in nomine Christi, ac ex intrinseca sua ratione referuntur ad Deum: siquidem eo ipso, quod aliquod opus sit intrinsece supernaturale, jam procedit a Deo ut authore supernaturali, & ex sua essentiali, ac connaturali ordinatione refertur, vel tendit ad Deum tanquam finem ultimum supernaturalem; ad quid enim sunt actus intrinsece supernaturales, nisi ut ad Deum gratiæ, & gloriæ fontem hominem perducant, & referant?

P. 2. Tridentinum sess. 6. c. 16. tribuit rationem meriti operibus hominis justi, *quæ in Deo sunt facta*: atqui sufficienter fiunt in Deo, si ex aliquo motivo divino, vel virtutis supernaturalis v. g. fidei & spei fiunt; quia & istæ virtutes sunt divinæ, ac immediate in Deum tendunt: consequenter non requiritur, ut fiant ex motivo charitatis: ergo.

P. 3. Opera ejusmodi, quæ ex alia virtute per se infusa & supernaturali procedunt, quam a charitate, ex una parte sunt proportionata prœmio supernaturali, quia & ipsa sunt supernaturalia, ac fiunt ab homine justo, ac existente in gratia: ex altera parte iisdem sæpius in S. Scriptura promittitur vita æterna: ergo ea sunt meritoria, & quidem de condigno vitæ æternæ.

Ex hoc habes 1. Actus fidei, & spei theologicæ esse meritorios de condigno, si ab homine justo eliciantur, quia sunt in Deo facti, ac ex sua intrinseca supernaturali ratione in Deum tendunt. Quare non repugnat merito de condigno, quod quis operetur intuitu mercedis, & prœmii æterni, quia ex hoc motivo operari est actus spei. Adde: non esse credibile, quod Deus clementissimus soli charitati alligaverit meritum de condigno; nam alias paucissima opera essent de condigno meritoria, quia plerique, etiam justi, raro habent actum perfectæ charitatis.

Habes 2. Neque virtualem, neque habitualem relationem charitatis requiri ad opera de condigno meritoria; quia etiam aliunde

ſufficiens relatio ad Deum habetur per fidem, & ſpem: imo relatio, vel intentio habitualis ad opus bonum & meritorium per ſe nihil prodeſt, quia non amplius influit.

Objic. 1. S. Scriptura 1. ad Corinth. 13. ait, opera, etiam Fidem, 269
ſine charitate nihil prodeſſe: ergo. R. D. a. ſine charitate habituali, & gratia ſanctificante, de qua ibi quæſtio eſt c. a. ſine charitate actuali n. a. In hoc ſenſu etiam S. Auguſtinus dicit, regnare peccatum, ubi non eſt charitas, ſcilicet habitualis.

Objic. 2. Scriptura ſæpe nos hortatur, ut omnia ad gloriam Dei, & propter ejus amorem faciamus, & conſequamur vitam æternam: ergo. R. 1. S. Scriptura etiam nos hortatur ad fidem ac ſpem, ut conſequamur vitam æternam: ergo. R. 2. D. a. & hoc ideo, quia bonum, vel melius eſt omnia facere ex motivo charitatis c. a. quia ſimpliciter neceſſarium eſt, omnia facere ex motivo charitatis, ad hoc, ut de condigno mereamur n. a.

Objic. 3. Actus de condigno meritorii augent habitum charitatis; atqui ſoli actus charitatis poſſunt augere habitum charitatis: ergo ſoli actus charitatis (nimirum vel eliciti, vel imperati) poſſunt eſſe de condigno meritorii. R. C. M. n. m. Actus noſtri tantum augent meritorie, non phyſice habitum charitatis per ſe infuſæ, & ſupernaturalis: ergo ex inſtitutione divina poſſunt eundem augere etiam alii actus, quam charitatis. Præterea habitum charitatis augent Sacramenta: adeoque & illum augere poterit alius actus ſupernaturalis in homine juſto.

Neque nobis obſtat authoritas Doctoris ſubtilis; hic enim unice vult, quod actus de condigno meritorius debeat in Deum referri per aliquam virtutem ſupernaturalem, non vero determinate per charitatem. Imo Scotus 2. D. 7. q. un. expreſſe tenet noſtram ſententiam.

Aſſero 2. Probabiliter etiam ſunt meritorii de condigno actus 270
virtutum moralium, imperati per virtutem aliquam a charitate diſtinctam, v. g. per ſpem; in fide enim, quæ ad intellectum ſpectat, non datur imperium. Herincx, Henno.

P. 1. Actus imperatus participat, & accipit propriam quamdam bonitatem moralem ab actu imperante: ergo & quamdam ſupernaturalitatem, vi cujus talis actus proportionatur præmio ſupernaturali.

2. Ipſe

2. Ipse actus imperans supernaturalis est meritorius de condigno: ergo & imperatus a tali virtute. c. p. quia actus charitatis imperans est meritorius de condigno: ergo quia actus spei theologicæ ab homine justo elicitus meritorius est de condigno, taliter etiam meritorius erit actus alterius virtutis ab ea imperatus.

271 Assero 3. Opera virtutum moralium, quæ non imperantur per aliquam virtutem supernaturalem, non sunt de condigno meritoria. Herincx cum communi DD. contra aliquos, existimantes, omnia opera moraliter bona hominis justi esse meritoria augmenti gratiæ, & gloriæ æternæ.

P. 1. Tridentinum requirit, ut opera de condigno meritoria sint in Deo facta; atqui similia opera non videntur in Deo facta, nisi per virtutem supernaturalem sint ad Deum ordinata: ergo. 2. Meritum de condigno est proxima dispositio ad augmentum gratiæ sanctificantis, & ad ipsum præmium supernaturale mediante gratia: ergo tale meritum debet esse supernaturale, & quidem intrinsece, quia & gratia est intrinsece supernaturalis; nam dispositio proxima debet esse ejusdem ordinis, & habere proportionem cum forma, ad quam disponit: atqui actus virtutum moralium nec in se sunt intrinsece supernaturales; cum juxta SSas. sint entitative naturales, sicut & ipsi habitus virtutum moralium non sunt infusi, nec supernaturales, ut in Tractatu de Virtutibus theologicis dici solet: neque tales actus essent imperati a virtute aliqua supernaturali, ut ponitur: ergo. 3. Ut opus aliquod sit meritorium de condigno, videtur requiri, ut sit relatum in Deum tanquam finem, vel Remuneratorem supernaturalem; atqui nisi a virtute supernaturali actus virtutum moralium imperentur, non sic referuntur: ergo.

Dices 1. Operibus etiam moraliter bonis promittit S. Scriptura vitam æternam: ergo. R. D. a. suppositis requisitis reliquis ad meritum de condigno c. a. secus n. a. Neque S. Scriptura debet ubique recensere omnia requisita ad meritum de condigno: sicut & promittit sæpe his operibus vitam æternam, quin mentionem faciat status gratiæ, qui tamen necessario ad meritum de condigno requiritur.

Dices 2. Exercens opera moraliter honesta est in gratia. R. Gratia, nisi adsint reliquæ conditiones ad meritum requisitæ, ad ejusmodi opera se habet tantum materialiter, sicut se habet mere materialiter

rialiter ad opus mere indifferens, quod, etsi ab homine justo sit factum, tamen nihil meretur.

Dices 3. Ex hoc sequitur, plerosque Christianos opera sua perficere sine merito, quia non sic ad Deum referunt. R. n. sequel. quia plurimi, timorati saltem, implicite & virtualiter ad Deum referunt.

Assero 4. Ad meritum condignum augmenti gratiæ, & gloriæ non requiritur, ut actus meritorius sit intensior gratia habituali, & charitate præexistente: seu habitus gratiæ sanctificantis & charitatis augetur etiam per actus remissiores. Scotus 4. d. 21. n. 9. ubi habet, quod *quodcunque meritum mereatur augmentum gratiæ*, ubi per το *quodcunque meritum* etiam intelligit actus remissos, ut legenti patet. 272

P. 1. Tridentinum sess. 6. c. 10. illimitate docet, bonis operibus respondere augmentum gratiæ: ergo sine ratione illud limitaretur ad actus habitu præexistente intensiores. Accedit S. Scriptura, quæ etiam minimis operibus indiscriminatim adscribit mercedem, ut II. ad Corinth. 4. *momentaneum & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur*, & alibi pluries.

P. 2. Quilibet actus malus, etiam remissus, meretur pœnam: ergo & actus bonus, etiam remissus, meretur præmium. 3. Ex opposita sententia sequeretur, majorem habitum charitatis esse impedimentum ad meritum; impediret enim meritum actuum minus intensorum, qui tamen mererentur aliquid, si gratia præexistens non esset ita intensa: unde ille, qui habet majorem charitatem & gratiam sanctificantem, esset deterioris conditionis ad merendum, quam ille, qui haberet minorem gratiam, quæ sequela est absurda.

Objic. Actus remissiores non augent habitus acquisitos: ergo neque per se infusos. R. 1. n. a. Quamvis in causis univocis forma minus intensa non augeat, aut intendat aliam magis intensam, hoc tamen non est verum in causis æquivocis, qualis est actus respectu habitus; unde & actus minus intensus potest augere, & intendere habitum acquisitum, & infusum magis intensum, ut in Philosophia docetur. R. 2. Transf. a. n. c. Quamvis in naturalibus actus minus intensus non possit intendere habitum intensiorem, hoc tamen non implicat in supernaturalibus, ubi actus non physice, sed meritorie ac moraliter juxta ordinationem divinam auget, & intendit habitum: quod

autem Deus ita ordinarit, ut actus etiam remissior augeat habitum jam prius magis intensum charitatis, constat ex nostris probationibus.

Articulus III.

An ad meritum de condigno requiratur aliqua promissio, vel acceptatio, aut ordinatio Dei?

273 Nota 1. Aliud esse, opus aliquod esse dignum mercede, & aliud, mercedem deberi pro tali opere. Sic, si labores in alterius agro integro die, opus hoc diurnum est dignum mercede, quam tamen alter tibi non tenetur solvere, nisi ab ipso fueris conductus, & tecum pactum inierit. Similiter opera hominis justi possent esse digna mercede seu vita æterna, ob dignitatem personæ operantis, utpote constitutæ in gratia, & tamen Deus non teneretur dare talem mercedem, nisi ad eam solvendam se promisso obligasset.

Nota 2. Duplicem acceptationem Dei posse spectari: *Una* est inclusa in ipsa gratia habituali moraliter spectata, quæ cum hominem filium & amicum Dei efficiat, eumque formaliter sanctificet, facit, ut opera ejus majorem dignitatem, & æstimabilitatem obtineant; quo enim nobilior est persona, a qua procedit actio, vel obsequium, eo nobilius est ejusmodi obsequium, ut in humanis patet, atqui per gratiam sanctificantem homo est nobilissimus in genere supernaturali; ergo & ejus actiones erunt nobilissimæ, & proinde, si reliquæ conditiones ultra gratiam sanctificantem requisitæ non desint, condignitatem, & æquivalentiam habebunt ad prœmium vitæ æternæ &c. Hæc autem dignitas hominis, quæ concomitanter etiam opera ejus nobilitat, habetur non ab entitate physica gratiæ, sed a virtute ejus morali dependenter a decreto, ordinatione, & acceptatione Dei, ut superius dictum. *Altera* autem acceptatio est ipsa promissio, qua Deus promittit prœmium æternum ipsis operibus supernaturalibus, factis ab homine existente in gratia, & sic jam per gratiam sanctificantem dignificatis.

Nota 3. Omnem promissionem prœmii esse quidem ordinationem, & acceptationem operis ad prœmium, non vero vicissim omnem ordinationem, & acceptationem operis ad prœmium esse simul promissionem prœmii. e. g. Princeps taxat stipendium determina-

tum pro labore diurno: talis taxatio est ordinatio, & acceptatio. operis diurni, tanquam digni tali stipendio, non tamen est simul promissio; alias si operarius aliquis vi illius taxationis, & ordinationis, absque alio pacto vel conductione operaretur die integro in vinea illius Principis, posset tanquam debitum exigere taxatum stipendium, quod tamen est falsum. Atque in hoc sensu juxta dicenda per ordinationem, vel acceptationem Dei potest aliquod opus fieri condignum, & æquivalens prœmio æterno, & hoc connaturaliter exigere, quin tamen Deus tali operi promiserit ejusmodi prœmium, aut illud teneatur dare. H. N.

Assero 1. Promissio non dat merito condignitatem, & valorem 274
ad prœmium. Ita Scotus inferius citandus, Mastrius 3. disp. 3. n. 97. Antonius Gavellus, Sannig, Panger, & alii SSæ. contra Herincx, Henno, & alios.

P. 1. Ex illa parabola de vinea Math. 20. ubi promissio denarii diurni non dedit valorem labori operariorum, sed potius præsupposuit, talem laborem diurnum ex se esse dignum ejusmodi denario, ut clare ex illis verbis colligitur: *Ite & vos in vineam meam*, & NB. *quod justum fuerit dabo vobis*, id est, tantum dabo, quantum labor vester fuerit meritus.

P. 2. Vita æterna in S. Scriptura vocatur merces: sed merces præsupponit laborem, & opus ex se, & independenter a promissione æquivalens, & proportionatum tali mercedi, & stipendio; secus enim non tam merces, quam donum gratuitum foret: ergo.

P. 3. Eo ipso, quod homo per gratiam sanctificantem formaliter fiat sanctus, amicus, filius adoptivus Dei, hæres cœli, elevatur ad maximam dignitatem: ergo etiam, abstrahendo ab omni alia promissione, ejus opera multum dignificantur, fiuntque digna mercedis æternæ.

Objic. 1. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam;* 275
atqui hoc esset falsum, si seclusa promissione merita haberent dignitatem, & valorem: ergo. R. D. M. passiones hujus temporis in se præcise spectatæ c. M. ut dignificatæ per gratiam sanctificantem n. M.

Objic. 2. Deus prœmiat ultra condignum, & punit citra condignum; atqui hoc iterum non esset verum, si opera nostra ex se essent condigna vitæ æternæ: ergo. R. Hoc axioma etiam esse verum in nostra

 sen-

sententia. *1mo.* Quia juxta nos opus meritorium non habet condignitatem, & æquivalentiam arithmeticam, sed tantum geometricam cum præmio. *2do.* Quia etiam stante condignitate operis potuisset Deus denegare mercedem, ut dicetur: ideo, dum eam promisit, facit aliquid ultra condignum, accipiendo condignum pro debito. *3tio.* Potest dici, quod tam justum præmium, quam pœna habeat aliquam latitudinem, sicut in humanis datur latitudo in pretio, quod dividitur in summum, medium, infimum. Quare Deus præmiat ultra condignum, quia posset sine læsione justitiæ dare præmium infimum, & tamen dat semper summum: sic etiam punit citra condignum, quia loco pœnæ summæ infligit infimam, & minimam. Vide Mastrium 3. disp. 3. n. 21. & seqq.

Objic. 3. Tridentinum appellat vitam æternam operum nostrorum mercedem ex *ipsius Dei promissione*: ergo. R. D. a. mercedem *condignam* ex ipsius Dei promissione n. a. debitam c. a. Condignitatem ista merces non habet a promissione: bene autem Deus illam dare debet, quia promisit.

Objic. 4. Opera apud homines, & moneta habent suum valorem dependenter a taxatione extrinseca: ergo & opera de condigno meritoria. R. D. a. a sola taxatione n. a. etiam a valore intrinseco, c. a. Et deinde ista acceptatio Personæ in amicam, ac filiam Dei jam est aliqua taxatio operibus superveniens, & ea dignificans.

Objic. 5. In parabola illa Mathæi operarii novissimi fuerunt primis æquiparati; quod male fuisset factum, si ille Paterfamilias ad valorem laboris respexisset: ergo. R. n. 2. m. a. nam opera novissimorum fuerunt magis dignificata per majorem gratiam; siquidem per novissimos intelligit Christus illos, qui tempore legis gratiæ, seu Evangelicæ sunt vocati, in qua majores conceduntur gratiæ ob Christi merita jam exhibita.

Objic. 6. Leve aliquod obsequium filii naturalis, Patri exhibitum, non habet statim condignitatem ad hæreditatem paternam promerendam: ergo neque leve opus, a filio adoptivo exhibitum Deo, habet condignitatem promerendi hæreditatem cœlestem. R. n. c. & parit. Quia filiatio ista adoptiva Dei magis dignificat hominem, quam filiatio quævis humana naturalis, & simul iste homo per gratiam, uti & opera ejus sunt acceptata ad condignitatem istam.

Objic. 7. Scotus 3. D. 19. q. un. n. 7. ait., meritum Christi tantum fuisse, pro quanto acceptabatur, & ideo meritum, quia acceptatum: ergo merita habent valorem & condignitatem ab acceptatione. R. D. c. ab acceptatione in gratia sanctificante inclusam c. c. ab acceptatione aliqua superaddita, quæ esset promissio præmii n. c. Scotus plane concedit, quod acceptatio divina, quæ habetur per gratiam sanctificantem, dignificet, & de condigno meritorios reddat actus supernaturales hominum justorum: ut colligitur ex illis, quæ habet 1. d. 17. q. 3. §. *ad solutionem*. n. 22. ubi ait: *Propter hanc acceptationem naturæ beatificabilis habitualem, etiam quando non operatur, & propter acceptationem actualem actus eliciti a tali natura, oportet ponere unum habitum supernaturalem, quo habens formaliter acceptetur a Deo, & quo actus elicitus ejus acceptetur tanquam meritorius.*

Assero 2. Promissio divina requiritur, ut inducat obligationem 276
& debitum ex parte Dei ad præmiandum illud opus, quod dignitatem & valorem jam aliunde præhabet: adeoque requiritur ad completam rationem meriti de condigno. Ita laudati.

P. 1. Quamvis antecedenter ad promissionem divinam opera illa, quæ sunt de condigno meritoria, sint æqualia, & condigna præmio, illudque connaturaliter exigant, posset tamen Deus tale præmium denegare, eoquod ipse sit supremus Dominus, & ista opera sibi vendicare posset titulo supremi dominii: ergo ad hoc, ut Deus teneatur dare præmium tale, debet a se ipso per propriam promissionem obligari.

P. 2. Quamvis, si aliquis laboraret in alterius vinea sine ulla conductione, vel conventione de mercede sibi danda, talis labor haberet condignitatem ad tantam mercedem, tamen non esset proxime meritorius illius, imo merces ista posset sine injustitia denegari: ergo idem est in proposito. Ergo cum meritum de condigno obligationem justitiæ (qualis nempe inter Deum & hominem possibilis est) importet, dicendum est, quod illud non detur citra ejusmodi promissionem. Dixi, quod meritum de condigno importet aliquam obligationem justitiæ; nam id aperte colligitur ex illo Hebr. 6. *Non est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, & laboris.*

P. 3. Ex Conciliis Tridentinum sess. 6. c. 16. ait, *vitam æternam tanquam mercedem ex ipsius Dei promissione esse reddendam.* & Concilium Moguntinum c. 8. ait: *Opera vere bona & Deo grata, ac remunerationæ*

vitæ æternæ digna esse, tum, quia Deus bene operantibus, & in ipso sperantibus mercedem misericorditer promisit: tum etiam, quia ejusmodi justificatorum opera gratiæ Dei effectus sunt, & movente, & adjuvante Spiritu sancto fiunt.

Objic. 1. Sine promissione habetur opus dignum, & æquivalens prœmio: ergo etiam meritum condignum. R. d. a. sine obligatione tamen dandi tale prœmium c. a. cum hac obligatione n. a. Unde sine promissione habetur meritum condignum inchoative, non vero complete; quia completum meritum de condigno exigit mercedem tanquam ex justitia, saltem latius dicta, debitam.

Objic. 2. Saltem ordinatio Dei, inclusa in gratia sanctificante, jam complet meritum de condigno: ergo. R. n. a. Illa ordinatio solum dignificat opera nostra, non vero obligat Deum ad retribuendam mercedem æternam, nisi accedat alia promissio; quia Deus opera nostra, etiam digna vitæ æternæ, posset tanquam sibi debita ex titulo dominii supremi & absolutissimi exigere sine ulla mercede.

Objic. 3. Peccatum meretur de condigno pœnam æternam citra promissionem: ergo etiam opus bonum meretur vitam æternam citra promissionem. R. n. c. posita culpa habet Judex expeditum jus infligendi pœnam proportionatam: ast posito actu bono non habet creatura jus adversus Deum ad exigendum prœmium; quia hunc actum bonum jam aliunde debuit Deo.

Articulus IV.

Quænam cadant sub meritum.

277 Assero 1. Potest homo mereri de condigno augmentum gratiæ sanctificantis, & gloriæ. Ita definit Tridentinum sess. 6. can. 32. *Si quis dixerit, ipsum justificatum bonis operibus non vere mereri augmentum gratiæ, atque etiam gloriæ, anathema sit.* Per *vere mereri* intelligitur meritum condignum, eoquod meritum de congruo non sit meritum in rigore. Accedit ratio: quia omnia in opere aliquo possunt dari, quæ requiruntur ad merendum condigne augmentum gratiæ sanctificantis, & gloriæ.

278 Assero 2. Non potest homo quidem mereri de condigno primum gradum gratiæ sanctificantis: 2. potest tamen sic mereri primum gradum gloriæ. Primum membrum est certum: alterum ab Herincx,

 Hen-

Henno, Viva, ac ipso Angelico Doctore, & pluribus aliis ut probabilius defenditur.

P. 1. memb. *tum:* quia gratia sanctificans prærequiritur, & præsupponitur ante omne meritum de condigno; atqui ante primum gradum gratiæ sanctificantis non potest illa esse, aut præsupponi: ergo primus gradus gratiæ sanctificantis non potest cadere sub meritum de condigno. *Tum:* quia alias principium meriti de condigno caderet sub meritum de condigno; etenim gratia sanctificans est principium meriti de condigno: atqui principium meriti non cadit sub meritum, ut tritum habet axioma: ergo.

P. 2. memb. In illo ipso instanti reali, quo existit contritio perfecta, quam elicit peccator gravis, infunditur gratia sanctificans, & conjungitur simul cum actu contritionis: ergo talis actus jam est hominis justi, & est dignificatus per coexistentem gratiam sanctificantem: ergo potest mereri primum gradum gloriæ de condigno.

Objic. 1. Talis actus contritionis non potest mereri gradum primum gratiæ sanctificantis: ergo neque gradum primum gloriæ. R. n. c. & parit. nam gratia sanctificans jam supponitur esse infusa, antequam contritio de condigno possit aliquid mereri, & simul est conditio, ac principium meriti condigni: ergo ipsa nequit cadere sub meritum condignum. Ast primus gradus gloriæ nondum censetur esse collatus in instanti elicitæ contritionis, neque hic est principium meriti condigni.

Objic. 2. Etiam ejusmodi peccator contritus meretur primum gradum gloriæ pro priori signo ad gratiam sanctificantem, saltem de congruo: ergo non meretur eum pro signo posteriori de condigno. a. p. Ideo aliquis meretur gloriam, quia meretur gratiam sanctificantem: sed ejusmodi peccator hanc jam pro priori signo meretur de congruo: ergo similiter & gloriam. R. n. c. potest enim ejusmodi homo duplici titulo mereri eundem gradum gloriæ: primo quidem titulo meriti de congruo, secundo ex titulo justitiæ, saltem largius dictæ, & meriti de condigno.

Objic. 3. Talis contritio non procedit a gratia sanctificante, utpote ad quam primum disponit: ergo. R. n. c. Non requiritur ad meritum de condigno, ut opus procedat a gratia sanctificante: sed sufficit, ut sit opus supernaturale hominis habentis gratiam sanctifi-

can-

cantem; atqui hanc habet homo eodem instanti reali, quo existit contritio: ergo.

279 Assero 3. Potest homo justus mereri de condigno remissionem peccatorum venialium. Henno cum aliis contra alios. P. Potest homo justus mereri gloriam de condigno: ergo & sublationem illorum, quæ retardant a gloria; atqui sic retardant venialia: ergo horum sublationem, & deletionem quoad culpam mereri potest.

Confirm. Contritio hominis justi videtur habere omnia, quæ requiruntur ad merendam de condigno deletionem venialium; nam est supernaturalis, & ab homine justo, ut ponitur, elicita, & ei, tanquam pœnitentiæ est promissa remissio omnium peccatorum: ergo.

Dices: Tali modo homo meretur duplex prœmium per unum opus, scilicet gloriam, & remissionem venialium; atqui hoc videtur falsum: ergo. R. D. M. duplex prœmium subordinatum c. M. non subordinatum n. M. Remissio venialium, tanquam sublatio impedimentorum, subordinatur gloriæ consequendæ; atqui potest homo per unum actum duplex prœmium subordinatum mereri, ut patet de gratia sanctificante & gloria, quas per eundem actum meremur: ergo.

280 Assero 4. Non potest homo de condigno mereri sequentia: *1mo.* Non potest homo mereri de condigno, imo neque de congruo, primam gratiam actualem; quia alias eam deberemus mereri per solas vires naturæ: quod non potest fieri.

2do. Non possumus mereri de condigno reparationem post lapsum in peccatum grave; quia per ejusmodi lapsum omnia merita de condigno mortificantur: hinc talis reparatio semper est gratuita.

3tio. Non possumus nobis de condigno mereri augmentum auxiliorum actualium; cum nulla de hoc habeatur promissio divina, & interdum justis parcius dentur hæc auxilia, quam peccatoribus.

4to. Neque possumus sic mereri perseverantiam finalem, neque bona temporalia ob defectum promissionis divinæ: unde justi non raro majorem penuriam patiuntur in rebus temporalibus, quam peccatores, & plurimi, qui diu in gratia sanctificante vixerunt, tandem cadunt, & pereunt, ubi alii graves peccatores resurgunt, & salvantur.

5to.

5to. Neque possumus alteri de condigno mereri gratiam sanctificantem, neque augmentum ejus, neque gloriam, neque gratiam actualem: iterum ob defectum promissionis divinæ.

Assero 5. Hæc fere omnia, quæ non cadunt sub meritum de condigno, possumus & nobis & aliis mereri de congruo. Ita habet communis: sic

1mo. Non possumus quidem de congruo mereri nobis gratiam primam actualem, ob dicta conclusione præcedente, possumus tamen eam sic mereri aliis; supposito enim, quod nos fuerimus interius supernaturaliter illustrati, & gratia divina adjuti, possumus rogare Deum, ut & alios infideles illuminet, & in hunc finem opera nostra offerre, sicque illis saltem de congruo impetrare primam illustrationem &c.

2do. Possumus etiam nobis mereri ulteriora auxilia, postquam primam gratiam accepimus.

3tio. Possumus quoque de congruo mereri ipsam justificationem per dispositionem proximam, scilicet per contritionem: imo pia opera, quæ gravis peccator facit, non sunt omnino frustranea, sed merentur de congruo auxilia illa, quibus perduci potest ad pœnitentiam, & justificationem.

4to. Per opera in statu gratiæ facta potest homo mereri, ut post lapsum in mortale iterum resurgat; quia congruum est, ut ille, qui prius Deo fideliter serviebat, si labatur, non relinquatur, potestque aliquis rogare Deum, ut, si forte lapsurus sit, per divinam gratiam resipiscat. Et *istud* (inquit Scotus 4. d. 22. n. 13.) *debet allicere quemlibet ad semper meritorie agendum pro viribus: quia, sive mansurus sit, sive lapsurus sit, non erunt ista in oblivione totaliter coram Deo.* Adeoque per peccatum mortale sola mortificantur merita condigna, non vero illa, quæ sunt de congruo. Unde peccatores graves animandi sunt, ut tempore illo, quo in peccato gravi existunt, orent, & alia opera pia peragant; nam licet illa non mereantur de condigno vitam æternam, vel gratiam sanctificantem, merentur nihilominus, & impetrant de congruo gratias actuales, excitantes, & cooperantes ad pœnitentiam. Quare male faciunt, qui ex cathedra ecclesiastica simpliciter sine limitatione pronunciant, opera in statu peccati mortalis facta esse prorsus nullius utilitatis: iterum illa, quæ antea sunt pe-

racta, nihil prodesse amplius; similes enim locutiones limitari debent modo, quo dixi.

5to. Possumus etiam de congruo tam nobis, quam aliis mereri donum perseverantiæ, de quo ait D. Augustinus: *hoc donum Dei simpliciter emereri potest.* Ratio est: quia congruit filios, & amicos exaudiri a Deo in iis, quæ spectant ad propriæ, & alienæ salutis consecutionem.

6to. Possumus quoque de congruo nobis, & aliis mereri aliqua bona temporalia, quatenus ea nobis sunt, & possunt esse conducibilia ad salutem. Imo bona temporalia, nude spectata absque ordine ad salutem, possumus mereri per opera honesta mere naturalia, quia ea ad hoc prœmium satis sunt proportionata. Ita Herincx.

Ex his tamen non sequitur, quod ista omnia simus infallibiliter consecuturi per nostra merita, vel per assiduas orationes; etenim meritum de congruo non est infallibile, nisi interveniat aliqua promissio, quæ tamen respectu plurium, quæ cadunt sub meritum congruum, deficit.

Totius conclusionis ratio universalis est, quia congruit, Deum intuitu bonorum nostrorum operum, ex gratia procedentium, conferre bona prædicta, maxime si in hunc finem fiant, ut impetrentur talia bona. TTæ equidem negant, aliqua ex prædictis cadere sub meritum congruum: verum intelligendi sunt de merito congruo stricte dicto, quod importat Dei promissionem, & verum debitum vi talis promissionis. Sic stricte de congruo justificationem meretur contritio ob promissionem divinam. Vide P. Henno.

Articulus V.

De Merito compensativo, & Satisfactione.

282 Quæres 1. Quid notandum circa divisionem meriti in *compensativum*, & *impetratorium*? R. sequentia:

1mo. Meritum *impetratorium*, quod etiam vocatur *attractivum*, & *remunerandum*, est, quod per modum causæ moralis, seu *quia est*, vel fuit, movet ad prœmium: sic victoria jam obtenta, quia est, vel fuit

fuit, movet Principem ad dividenda victoribus præmia. Meritum *compensativum*, quod & *solutivum* dicitur, juxta suos authores est illud, quod non movet per modum causæ moralis, *quia est*, sed per modum causæ finalis, *ut sit*. e. g. si quis anticipato solvit mercedem operario, labor est *meritum compensativum*; quia ad anticipandam mercedem non movet labor ut jam existens, vel positus, sed ut ponendus, ac compensaturus, vel soluturus mercedem jam præcedenter acceptam.

2do. Meritum in hac Providentia, loquendo de actionibus nostris meritoriis gratiæ & gloriæ, est tantum impetratorium. Ratio est *1mo.* quia SS. PP. nullum aliud agnoscunt. *2do.* qui propter anticipato acceptam pecuniam laborat, non dicitur mereri sed solvere. *3tio.* Quia alias prima gratia posset cadere sub meritum, quod tamen SS. PP. simpliciter negant contra Semipelagianos. Ratio hujus est; quia alioquin potuisset fidelitas & sanctitas hominis ponenda, & ut ponenda mereri primam gratiam. An vero meritum Christi fuerit compensativum, in Tractatu de Incarnatione dicetur.

Quæres 2. Quæ observanda sint de satisfactione ex opere ope- 283
rantis? R. ista:

1mo. Opera nostra bona non solum habent vim merendi præmium, & beneficia, sed etiam satisfaciendi pro pœna temporali, quæ restat ob culpam jam remissam. Ita fides Catholica contra hæreticos, qui tales satisfactiones negant *tum*, quia non credunt, reatum pœnæ temporalis post peccatum remissum remanere: *tum*, quia credunt, talem satisfactionem ex opere operantis derogare meritis, & satisfactionibus Christi. Veritas autem Catholica definitâ est in Tridentino sess. 14. can. 12. 13. & 14. Accedit usus perpetuus, & sensus Ecclesiæ: & ideo Fideles opera satisfactoria exercent, ac S. Scriptura commendat orationem, eleemosinam & jejunium, scilicet ad avertendam iram Dei. Adde SS. PP. apud Bellarminum l. 4. de Pœnitentia a cap. 3.

2do. Opera nostra bona habent vim satisfaciendi de condigno. Communis Th. Th. P. 1. ex sequenti propositione Bajana confixa: *Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem, restantem post culpam condonatam.* 2. Opera pœnalia Justorum sunt ad hunc effectum æque, vel omnino magis proportionata, ac ad promerendam gloriam. 3. Justi per opera sua bona merentur de con-

digno gloriam: ergo etiam merentur per ea remissionem pœnæ temporalis, alias retardantis a gloria. Neque meritum gratiæ & gloriæ minuitur in bono opere per vim satisfaciendi pro pœna; nam opus bonum ob diversos respectus, quorum unus altero nec compensatur, nec impeditur, neque minuitur, est meritorium, & satisfactorium: meritorium est, quatenus est obsequium filii in honorem liberalissimi Patris, nimirum Dei, factum: satisfactorium est, quatenus est pœnale: habet autem omne opus bonum in hac vita aliquid pœnalitatis & laboris. Inter satisfactiones maxime numerantur oratio, eleemosina, & jejunium, ad quæ reliqua opera bona reducuntur. Flagella etiam, & pœnæ temporales in hac vita immissæ, ut Tridentinum sess. 14. c. 9. docet, habent vim satisfaciendi pro pœnis purgatorii, saltem si illas afflictiones temporales patienter toleramus. Imo aliqui existimant, quod per eas necessario toleratas satisfaciamus absque actu interno patientiæ, quod tamen Herincx probabilius negat, & Tridentinum cit. loc. expresse ait: *Flagellis a Deo inflictis, & a nobis patienter toleratis* nos satisfacere valere.

3tio. Ad hoc, ut opus sit de condigno satisfactorium, requiruntur fere eædem conditiones, quæ ad opus condigne meritorium. Aliqui censent, non requiri statum gratiæ; quia satisfactio est tantum pœnæ solutio, quæ non videtur repugnare homini, in peccato gravi existenti: communis tamen doctrina exigit statum gratiæ.

4to. Opera nostra sunt de condigno satisfactoria tantum pro pœna ordinaria, persolvenda in purgatorio, non vero pro pœnis extraordinariis, quas Deus interdum in hoc mundo solet infligere: ut liquet in pœnis, quas Deus omnino voluit inferre Davidi ob ejus adulterium & homicidium, ac numerationem populi, quasque David afflictionibus assumptis avertere non potuit.

5to. Quamvis ista opera bona hominis justi in se habeant proportionem, & condignitatem in actu primo ad satisfaciendum pro aliqua pœna temporali, tamen ad completam vim satisfaciendi requiritur etiam promissio divina. Herincx. Ratio est: quia Deus absolute non potuisset acceptare nostra opera in satisfactionem, utpote jam aliunde debita: & ideo opera nostra ob defectum promissionis non habent certam, & condignam vim avertendi flagella hujus vitæ, quæ tamen de congruo avertere possunt.

Plura de satisfactione videre potes apud Herincx p. 2. d. 6. *de Merito*, n. 101. & seqq.

Differ-

Dissertatio V.

APPENDIX POLEMICA

De bonis Operibus contra Protestantes.

Articulus I.

An dentur aliqua opera perfecte bona ?

Notandum: Lutheranos, saltem quosdam, docere, non tantum in renatis, & non justis nulla reperiri opera bona, sed mera peccata, verum etiam opera justorum esse mera peccata, aut peccatis vitiata. Lutherus lib. contra Ambrosium Catharinum ait: *Nullum est peccatum, nisi incredulitas, nulla justitia nisi fides.* Cætera igitur omnia vel peccata sunt, vel peccatis inquinata. Item in Serm. de novo Testamento, seu de Missa: *Caveamus a peccatis, sed multo magis a legibus, & bonis operibus, tantum attendamus Dei promissionem, & fidem: ipsa enim brevis est perfectio, nec aliquam legem requirit, nec opus, imo & legem præscindit, & opus.* 284

Calvinus nec hilo est melior; licet enim bona opera verbotenus requirat in fidelibus tanquam fructum fidei, negat tamen eorum necessitatem ad salutem, quia docet, omnia justorum opera coram Dei tribunali esse peccata mortalia, ut patet ex L. 3. Instit. c. 12. §. 4. ubi ait: *Qui serio tanquam sub conspectu Dei de vera justitiæ regula quærent, illi certo comperient, omnia hominum opera, si sua dignitate censeantur, nihil esse, nisi inquinamenta, & sordes.* Et cap. 14. § 11. *Duobus his fortiter insistendum, nullum unquam extitisse pii hominis opus, quod, si severo Dei judicio examinaretur, non esset damnabile.* H. N.

Assero: Dantur opera perfecte bona, id est, ita perfecta, ut peccata non sint, nec peccatis vitiata. Ita Catholici contra Protestantes. P. 1. ex S. Scriptura. Job. 1. *In his omnibus non peccavit Job labiis suis,* Job. 3. *In multis* (non in omnibus) *offendimus omnes.* 2. Petri 1. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis; hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* Ergo non omnia hominum opera sunt peccata, sed aliqua & bona sunt, & placent Deo. 285

Ad hæc S. Scriptura hortatur ad non peccandum, & bene faciendum. 1. ad Corinth. 14. *Vigilate justi, & nolite peccare.* Isai. 1. *Quiescite agere perverse, discite bene facere.* Psalm. 4. *Irascimini, & nolite peccare.*

P. 2. Ex AAriorum sententia sequitur: 1. Hominem justificari per peccatum, & opus peccato vitiatum. 2. Nullum opus bonum esse faciendum; quia nullum peccatum est faciendum. 3. Neminem debere credere; quia credere est peccatum, cum fides nunquam sit tam robusta, ut non possit, & sic debeat esse robustior: proinde juxta AArios semper erit imperfecta, & peccaminosa, seu peccatis coinquinata. 4. Deum suasisse, & præcepisse peccata; quia suasit, & præcepit bona opera. Sequelæ hæ sunt durissimæ, & tales, quas nec Struthio concoquat.

286 Objic. 1. Opera quidem omnia in se sunt peccata, sed propter fidem in Christum simul placent Deo: ergo. R. n. a. Falsum est, quod Deo placere possit opus in se peccaminosum. Præterea fides, propter quam placere posset Deo, foret & ipsa peccaminosa. Denique quis credat, Sanctos omnes per sua opera nil meritos esse, nisi æterna inferni supplicia, quæ tantum ex misericordia divina non sint irrogata?

Dices cum Gerardo de locis Theologicis §. 39. Bona opera renatorum secundum quid, & certo quodam respectu sunt peccata, quatenus sunt imperfecta, & a reliquiis carnis contaminata: quia tamen hæc imperfectio, & immundities bonorum operum tegitur meritis Christi, ideo tamen Deo probantur, quamvis sint imperfecta, & peccatis vitiata: ergo. R. Iterum n. a. falsum enim est, ut supra mox dictum, quod opus in se peccaminosum Deo probari, aut Ipsi placere possit. Dein hanc ratiocinationem non sustinet Lutherus in suis assertionibus: nititur insuper falsis suppositis, jam aliunde confutatis, quod scilicet Justi non possint perfecte implere legem Dei, quod concupiscentia sit peccatum, quod peccata non vere remittantur tollendo, sed solum tegantur. Præterea parum consequenter Gerardus loquitur, sibique contradicit; etenim alibi asserit, quod omnis imperfecta obedientia, & defectus in adimplenda lege (quam implere juxta ipsum nunquam possumus) sit *ἀνομία*, seu vere, & proprie dictum peccatum, quod nimirum omnis concupiscentiæ etiam involuntarius motus, omnis languor, verbo, quodlibet opus, utut bonum appareat, ex se peccatum sit, & quidem mortale: unde cum Luthe-

Luthero ait, nullum dari opus perfecte bonum, & quodlibet non solum peccatis esse contaminatum, sed etiam ex se esse peccatum mortale.

Objic. 2. Opera nostra propter negligentias, mentis evagationes, vanitates &c. semper sunt imperfecta: ergo non dantur opera perfecte bona. R. D. a. sunt imperfecta negative, id est, non sunt ita perfecta, ut non possint esse perfectiora c. a. sunt imperfecta positive, hoc est, contra legem Dei obligantem &c. n. a. & cons. Sic distractiones involuntariæ v. g. reddunt quidem opera nostra imperfecta negative, cum sine illis peracta adhuc forent perfectiora: quia tamen nihil habent culpæ aut peccati, hinc non obsunt perfectioni operum nostrorum positivæ, quæ solum non potest stare cum illo, quod in se est peccaminosum, & offensivum Dei.

Objic. 3. Isai. 64. habetur: *Facti sumus ut immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Et Eccle. 7. *Non est justus, qui faciat bonum, & non peccet:* ergo omnia justorum opera coram Deo sunt peccata. R. N. c. Textus primus non de justis, sed de maximis peccatoribus Judæis, nec de his omnibus, sed tantum magna parte, more S. Scripturæ usitato *omnes* pro *multis* accipiendo, loquitur, nec de omni tempore, sed solum pro illo, quo Judæi propter ingentia scelera erant abducendi in captivitatem Babylonicam: demum nec de omnibus omnino operibus etiam impiorum intelligi debet; poterant enim & isti facere bona, saltem moraliter, quæ nec meritoria erant, nec peccata. Alter autem textus præcise vult, nullum esse justum, qui non saltem leviter aliquoties peccet juxta illud Prov. 24. *Septies in die cadet justus, & resurget*, qui ipse actus resurgendi utique bonus, & laudabilis est.

Articulus II.

An dentur bona opera supererogatoria?

Opera supererogatoria, seu consilii sunt, quæ nullibi præcipiuntur, sed præcise suadentur, vel sponte suscipiuntur, quia creduntur placere Deo. Opera hujusmodi sunt voluntaria castitas, paupertas, obedientia erga hominem, maxime voto promissa, quæ appellari solent consilia Evangelica, utpote in Evangelio a Christo 287

data, in quibus consistit essentia status Religiosi, qui propterea inter opera supererogatoria numeratur, quia tantum suasus a Christo, & nullibi præceptus est iis, qui desiderant ad majorem perfectionem vitæ christianæ tendere. Huc quoque referuntur varia mortificationum opera, sponte suscepta, v. g. jejunia, cilicia, flagellationes, humicubationes, & piæ peregrinationes ad loca sacra &c. quæ apud Catholicos semper fuere in magna veneratione, ab Hæreticis, & modernis Sectariis risu, & despectu excipiuntur. H. N.

288 Assero 1. Dantur bona opera supererogatoria, quæ Deo placent, & hominibus prosunt. Ita Catholici contra Sectarios.

P. 1. Ex S. Scriptura, & quidem speciatim de castitate, paupertate, & obedientia, quæ appellantur consilia Evangelica. 1. ad Corinth. 7. Paulus diserte ait de castitate virginali, & viduali: *De Virginibus præceptum non habeo, consilium autem do: bonum est homini, non tangere mulierem. Dico autem innuptis & viduis, bonum est, si sic permanserint, sicut & ego.* Postquam vero multa de conjugio, & virginitate locutus est, consideratis omnibus absolute dicit: *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, & qui non jungit, melius facit.* Christus ipse propter arduitatem noluit obligare ad vitam cœlibem, sed eam reliquit liberam, dum dixit Math. 10. *Qui potest capere, capiat.*

Idem habetur de paupertate & obedientia voluntaria Math. 19. ubi Christus clare facit discrimen inter ea, quæ mandati, & consilii sunt; postquam enim adolescenti dixit, quid factu opus sit ad assequendam salutem: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*: pariter insinuavit, quid factu opus sit ad obtinendum excellentiorem gradum in vita æterna, & majorem perfectionem in vita christiana, ad quam tamen non obligat: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, & da pauperibus, & sequere me.* Ecce! paupertas voluntaria post res omnes in eleemosinam distributas, & obedientia per illa verba: *sequere me,* non præcipiuntur, sed suadentur ad consequendam majorem perfectionem: *si vis perfectus esse.* Est itaque duplex sequela Christi: una communis, & necessaria omnibus, qui volunt salvari, atque consistit in observatione mandatorum: altera est propria, qui desiderant esse perfecti, & consistit in observatione consiliorum, præsertim dum homini Dei loco peculiaris, & stabilis obedientia præstatur.

P. 2. Ratione a pari: In omni re naturali duplex est perfectio, altera simpliciter necessaria ad *esse*, & altera ad *bene*, vel *melius esse.*

Sic

Sic homo habet cuncta ad essentiam necessaria, quando habet animam corpori unitam: si vero præterea habet probitatem, doctrinam &c. habet bene, vel melius esse, seu habet perfectionem additam supra perfectionem essentialem. Ita similiter, qui observat mandata, habet ea, quæ ad salutem sunt necessaria: ut autem obtineat peculiarem perfectionem, animæ ornatum, & salutis augmentum, opus est habere, & observare quoque consilia.

P. 3. Non convenit bonitati, & suavi Providentiæ divinæ, fragilitatem humanam ad omnia adstringere sub præcepto, sed præstat aliqua, maxime magis ardua, consulere tantum, ne homines morali necessitate in innumera peccata præcipites agantur: ergo.

Confirmat nostram sententiam communis Fidelium, & SS. Patrum sensus. Legere velint tantum Protestantes S. Hieronymum adversus Jovinianum, ubi se non modo descriptos, sed emphatice refutatos deprehendent. Ibi l. 1. inter alia dicit: *Plus amat virgines Christus, quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum, majorisque gratiæ est, offerre, quod non debeas, quam reddere, quod exigaris.* Similia habet S. Gregorius l. 15. Moral. c. 5. & alii passim.

Objic. Deus præcepit, se diligi *ex toto corde, ex totis viribus:* ergo tota ratio christianæ perfectionis est posita sub præcepto, nec remanet locus consilio. R. n. c. Præceptum dilectionis ex toto corde tantum petit, ut Deum amemus *summe appretiative*, id est, ut nemo per ullam rem creatam se permittat separari a Deo aliqua transgressione libera gravis mandati divini: non vero petit, ut Deum amemus *summe intensive*, quod esset impossibile, & ideo nobis præcipi nequit: atque adeo major dilectio, quam quæ consistit in observatione mandatorum Dei, sub consilio est. Ad hæc præceptum dilectionis Dei est *affirmativum*, quod non obligat pro semper. Itaque, qui sæpius elicit actum amoris Dei super omnia, quam præceptum est, facit opus supererogatorium.

Assero 2. Recte & laudabiliter a Christianis emittuntur vota. Est con- 289
tra Protestantes. P. 1. Psal. 75. ℣. 11. dicitur: *Vovete, & reddite Domino Deo vestro.* 2do. Quod fit ex voto, majore liberalitate, &

charitate fit erga Deum, & certius mandatur executioni, cum homo libere sibi auferat libertatem omittendi rem, quam cognoscit Deo magis placere; nam votum ex essentia sua est *promissio Deo facta de meliore bono*: ergo qui vovet, tenetur observare; si enim homini aliquid promittimus, tenemur illud observare, adeoque multo magis si Deo, quamvis antecedenter fuerit liberum promittere, vel non promittere.

Imo etiam recte, & laudabiliter fiunt vota de rebus non praeceptis, qualia sunt vota religiosa, P. ex S. Scriptura; quia vota de Sacrificiis non praeceptis placuere Deo. Sic Levit. 22. ℣. 18. dicitur: *Loquere ad Aaron, & filios ejus, dicesque ad eos: homo de domo Israel, & advenis, qui habitant apud vos, qui obtulerit oblationem suam, & vota solvens, vel sponte offerens, quidquid obtulerit in holocaustum Domino, ut offeratur per vos, masculus immaculatus erit.* Et Num. 15. ℣. 1. & 2. *Cum ingressi fueritis terram habitationis vestrae - & feceritis oblationem Domini - - vota solventes.* Et 1. Timoth. 5. Viduae emiserunt votum continentiae, quae non erat sub praecepto: quia vero contra hoc votum nupserunt, teste S. Paulo *habuerunt damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Sed non habuissent damnationem, nisi se voto obligassent.

P. 2. Ex communi PP. & Fidelium sensu, & perpetua Ecclesiae praxi, ab ipsa Apostolorum aetate descendente; Jam enim Philo Judaeus l. *de Vita contemplativa Supplicum, seu Monachorum* describit, quam sancte fuerint a D. Marco circa Alexandriam instituta asceteria Sacrarum virginum, & virorum, qui continentiam, paupertatem & jejunia, ac Psalmodiam observarent, procul dubio eum in modum, quo postea observarunt, institueruntque S. Basilius, S. Augustinus, S. Benedictus, S. Bernardus, S. Franciscus, S. Dominicus, aliique Religiosorum Fundatores.

P. 3. Ex natura voti, quod abstrahit, utrum res voto promissa aliunde sit praecepta, vel non, dummodo sit de meliore bono, de quo utique sunt vota Religiosa, cum tollant praecipua perfectionis Christianae impedimenta, & radices omnium vitiorum.

290 Objic. 1. Castitas perpetua est donum Dei, quod non omnibus datur: iterum etsi alicui detur caste vivere, nescit tamen, utrum hoc

hoc donum non sit præcise concessum ad tempus, non vero in perpetuum; nam possunt cum tempore oriri tam graves tentationes carnis non prævisæ, quas homo vincere nequeat: ergo non potest votum castitatis emitti, nisi temere, & stulte. Sed non placet Deo temeraria, & stulta promissio, cum non sit de meliore bono. Atque hoc prætextu turpitudinem suam palliant nostri perfidi Apostatæ Religiosi, & Sacerdotes. Verum R. neg. assumptum; licet enim donum castitatis antecedenter ad votum non omnibus detur, & ideo non omnibus suadendum, ut hoc votum perpetuæ castitatis emittant, nisi re prius bene perpensa: nihilominus hoc donum conceditur omnibus, qui votum castitatis perpetuæ aliquando fecerunt; quia spectat ad D. Providentiam, ut omnibus conferat cujuslibet statui convenientia: is vero, qui post 16. ætatis annum libere professus est religiosam castitatem, debet orare Deum pro hoc dono, adhibere media, & sic gratiæ divinæ cooperari. Tali ratione quilibet potest vivere caste, modo velit, ut per gratiam Dei plura millia Religiosorum utriusque sexus illibatam, & perpetuam castitatem observant, & magno quidem gaudio animi, & facilitate. Certe non foret audiendus ille, qui in matrimonio existens diceret, se nunc experiri valde gravem, & molestam tentationem, antea non prævisam, erga personam alteram, atque adeo se non obligari ad fidem conjugalem, cum eam initio temere dederit. Ita quoque non audiendus esset, qui diceret, se non habere donum castitatis conjugalis, ut una possit esse contentus, & ideo sibi licere polygamiam. Idem dic de vovente castitatem.

Objic. 2. Tempore S. Augustini monasteria erant libera, ut pro libitu possent egredi, qui volebant: nunc autem sunt carceres, quibus Religiosi inviti detinentur: ergo. R. n. a. quod falsum est de Professis. Ipse S. P. Augustinus contrarium docet, dum in Psal. 75. postquam multum laudavit votum voluntariæ castitatis & paupertatis &c. dicit: *Nemo positus in monasterio Frater dicat: recedo a monasterio &c. quia vovit &c.* Dein monasterium est carcer suavis, & voluntarius. Qui eum sibi gravem reddit per suas indomitas passiones, sibi adscribat, sicut illi, qui ex statu matrimoniali sibi fabricantur infernum per continuas rixas.

Objic. 3. Papiſtæ nimium exaltant ſtatum religioſum in præjudicium Sacramentorum, quia illum æquiparant Baptiſmo: ergo. R. n. a. Facimus quidem aliquam ſimilitudinem inter Baptiſmum, & ſtatum religioſum, quatenus homo in utroque explicite renunciat Diabolo, & nova inchoatur vita; non vero facimus æqualitatem, ſed pie tantum putamus, per profeſſionem religioſam etiam omnem pœnam peccatis debitam aboleri, quod per Baptiſmum fide divina, & certo credimus.

Objic. 4. S. Paulus ad Coloſſ. 2. reprobat omnes cultus Dei arbitrarios, ab hominibus inventos, nec a Deo inſtitutos, ſeu ἐθελοθρησκείας: ſed tales ſunt vota religioſa, mortificationes corporis, & peregrinationes: ergo. R. n. M. S. Paulus rejicit duntaxat cultus inanes & vanos, uti ſuperſtitiones Philoſophorum, quarum cit. loc. expreſſe meminit, ſicut & abſtinentias Judæorum a certis cibis, quaſi hi immundi ex natura ſua forent, & obſervantias legis Moſaicæ, jam tum abrogatæ, & a quibusdam adhuc retentæ: minime vero reprobat cultus ex natura ſua divinos, & utiles, quos Deus non præcipit, conſulit tamen, & ſibi gratos declarat: hos pro devotione ſua quilibet poteſt aſſumere ad obtinendam majorem perfectionem. Et ſic laudabiliter ſponte ſuſcipiuntur.

Auſteritates corporis, ſeu mortificationes moderatæ, & placent Deo, ut utriusque teſtamenti pagina teſtatur. Sic quia Achab Rex *operuit cilicio carnem ſuam, jejunavitque, & dormivit in ſacco* &c. factus eſt ſermo Domini ad Eliam: *Quia humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus ejus.* 3. Reg. c. 21. v. 27. & 29. Et ad Coloſſ. 3. v. 5. *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram.* Item 1. ad Corinth. 9. ℣. 27. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo.* Adhæc auſteritates corporales maxime conducunt ad reprimendas cupiditates carnis, ac refrænandam concupiſcentiam.

Pariter Peregrinationes, quæ devotionis cauſa inſtituuntur ad Eccleſias, Imagines beneficiis claras &c. laudabiles ſunt, & Deo gratæ. Cujus ratio eſt 1*mo.* quia ipſe Deus Deuter. 16. v. 16. ſtatuit, ut *tribus vicibus per annum appareret omne maſculinum in conſpectu Domini Dei in loco, quem elegerit.* Quod ſtudioſe fecit Elcana, & Anna uxor ejus 1. *Reg.*

1. Ipſa

1. Ipse quoque Christus cum Maria Matre sua, ac Joseph venit adorare in Jerusalem *Luc.* 2. Atque adeo ejusmodi peregrinationes sunt in se res piæ, & laudabiles, quam naturam suam non amittunt, si voluntarie, & sine præcepto assumuntur. Ratio est *2do.* Praxis perpetua fidelium, & virorum sanctissimorum in Palæstinam, Romam, & Compostellam peregrinantium ad veneranda loca Redemptionis, & limina SS. Apostolorum Petri & Pauli, atque sepulchrum S. Jacobi. Ratio est *3tio.* ex miraculis, quæ in famosis peregrinationum locis patrata sunt, quæque tot sunt, ac tanta, atque tam authenticis testimoniis comprobata exstant, ut non nisi impudenter, & pertinaciter ab hæreticis negari queant.

Quæres: Utrum bona opera sint ad salutem necessaria? R. contra Protestantes affirmative. P. Id est ad salutem necessarium, sine quo salus obtineri nequit; atqui sine bonis operibus salus nequit obtineri ab adultis: ergo bona opera sunt adultis necessaria: ita concludo, abstrahendo a modo, quo bona opera sunt necessaria. M. est ex terminis nota: m. clare ex S. Scriptura, & SS. PP. eruitur. Sic *1mo.* dicitur Math. 7. *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum sed qui facit voluntatem Patris mei:* atqui facere voluntatem Patris cœlestis, est bene operari, & bona opera facere. *2do.* Math. 25. habetur: *Discedite a me maledicti in ignem æternum:* cur? *esurivi enim, & non dedistis mihi manducare: sitivi & non dedistis mihi potum.* Itaque peccant, neque veniunt in cœlum, qui non faciunt opera bona. *3tio.* Math. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata;* servare autem mandata, est bene operari. *4to.* Hebr. 10. ℣ 36. *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis remissionem:* atqui patientia est bonum opus, ac virtus. *5to.* Philipp. 2. ℣. 12. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini:* ergo bene operando obtineri debet salus. *6to.* Jacob. 2. v. 14. *Et quid proderit, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat: nunquid poterit fides salvare eum?* ergo bona opera non sunt minus necessaria ad salutem, quam fides. Accedunt *7timo.* PP., quorum duos solum affero, S. Ambrosium, & S. Augustinum. Ille in c. 4. ad Hebr. ait: *Magna quidem res est fides; sed sola fides non sufficit: operari per dilectionem fidem necessarium est, & conversari digne Deo. Non sufficit fides, sed debet addi & vita fidei condigna; opus quippe est omni volenti cœlum possidere, fidem bonis operibus ornare.* Iste, seu S. Au-

291

S. Auguſtinus l. de fide, & operibus c. 14. *Jam illud videamus, quod excutiendum eſt a cordibus religioſis, ne mala ſecuritate ſalutem ſuam perdant, ſi ad eam ſolam fidem ſufficere putaverint.*

Neque hic multum cum Sectariis contendo, an bona opera ſint neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medii, vel præcepti, vel tantum ratione ordinationis, & voluntatis divinæ: dummodo neceſſaria ſint, quomodocunque deinde vocetur hæc neceſſitas. Hic igitur finitur Prima Pars Tomi III. & libri ſecundi ſententiarum de Angelis, Peccatis, gratia, Merito in Honorem Domini Angelorum, Peccatorum Juſtificatoris, gratiæ & Meritorum Auctoris.



Tomi



TOMI III.
UNIVERSÆ THEOLOGIÆ
DOGMATICO-SCHOLASTICÆ
SEU
LIBRI II. SENTENTIARUM
PARS II.
DE ACTIBUS HUMANIS, CONSCIENTIA, ET LEGIBUS,
IN
TRES TRACTATUS DIVISA.

PRÆFATIO.

Superfluum foret, præſentis Partis hujus ſecundæ præſtantiam multis declarare. Vel ex ipſa, quam præſefert, inſcriptione utilitatem, neceſſitatemque ejus penſare licet; pertractat enim actus humanos, eorumque regulas, tanquam prima univerſæ vitæ moralis fundamenta. Nec eo ex capite minori in pretio eſt habenda Theologiæ Scholaſticæ, ſeu (ut vocant) Speculativæ Studioſis, quia materiem haud aliam ſcrutatur, quam moralem; nam & Sacerrimæ huic Facultati, Theologiæ, inquam, Scholaſticæ ex aſſe eſt proprium, dogmata Diſciplinæ moralis, num fundata ſint ſatis, examinare ac illud, quod caſuum notitia pugno contracto quaſi in compendio obſcure oſtendit, manu explicata latius, clariusque explicare.

Ut igitur recto ordine procedamus, Partem hanc in tres Tractatus ſecabimus. Eorum prior ipſos actus humanos, reliqui duo actuum humanorum regulas, Conſcientiam nempe, & Leges expendent. Quare ſit

Tra-



Tractatus I.

DE ACTIBUS HUMANIS.

Cum primæ, & necessariæ conditiones actus humani sint, ut is sit voluntarius, & liber: hinc primo de voluntario, & involuntario, deinde de libertate, demum de natura, bonitate, & malitia actus humani agetur.

Dissertatio I.

DE VOLUNTARIO, ET INVOLUNTARIO.

Articulus I.

De Voluntario, & involuntario in genere, nec non in specie de voluntario in causa.

§. I.

Explicatur Natura, & divisio voluntarii.

292 Omissis aliis acceptionibus, Voluntarium ad propositum a P. Herincx recte definitur esse *illud, quod procedit a voluntate ex prævia cognitione intellectiva.*

Dicitur 1. *Quod procedit a voluntate*, scilicet effective, vel principiative, ita, ut voluntas sit causa, vel principium influens in illud, quod dicitur voluntarium. Ex quo

Habes,

Habes, ad voluntarium requiri primo, ut voluntas sit principium voluntarii; illud enim non potest esse voluntarium, in quod voluntas non influit.

Habes 2. Aliud esse voluntarium, & aliud esse præcise volitum; etenim aliquid potest esse volitum, quin voluntas influat causando, aut producendo illud. Sic sæpe nobis est volita tempestas serena, dum eam absentem optamus, vel præsentem complacentia nostra prosequimur: non tamen serenitas hæc est nobis voluntaria, eoquod eam non causet nostra voluntas. Id, quod etiam in moralibus locum habet: e.g. Petrus jam dudum desideravit occisionem sui inimici, qui & tandem re ipsa a Paulo est occisus, sine ulla tamen cooperatione Petri. Tale homicidium est quidem volitum Petro, non autem est ei voluntarium, aut imputabile: consequenter nec ad pœnam homicidis statutam condemnari potest, nec ad restitutionem tenetur ob damna aliis ex hoc homicidio emergentia.

Habes 3. Quod vere, & proprie voluntarii sint omnes actus voluntatis eliciti, & imperati; nam hi omnes a voluntate tanquam suo principio vel efficiente, vel imperante procedunt: imo & pura omissio libera proprie dicitur voluntaria, quia ea quoque pro principio saltem negativo voluntatem agnoscit.

Potest autem voluntas esse principium vel metaphysicum, quale est voluntas divina respectu volitionis divinæ, & respectu processionis Spiritus Sancti, quæ sunt Deo voluntariæ, & a voluntate divina tantum metaphysice promanant, utpote cui realiter identificantur. Vel potest voluntas esse principium physicum immediatum, quale est voluntas hominis respectu suarum volitionum, quas physice producit: potest pariter esse principium physicum mediatum, quale est respectu actuum suorum imperatorum, quos exercent aliæ potentiæ hominis a voluntate distinctæ. Denique potest esse principium morale respectu actuum imperatorum aliis hominibus, ut si Petrus v. g. alios incitet suadendo, jubendo, consulendo &c. ad furandum, tunc tale furtum etiam Petro ut authori in æstimatione morali imputatur.

Dixi in allata definitione 2do. *ex prævia cognitione intellectiva.* Ex 293
quo

Habes 1. In solis agentibus rationalibus, nempe in Deo, Angelis, & hominibus dari voluntarium; sola enim entia rationalia gaudent intellectu, & cognitione intellectiva. Proinde nec bruta, nec

cæteræ creaturæ proprie dictum voluntarium habent. Notes tamen, non omnes actiones agentium rationalium esse voluntarias: ita non sunt in homine voluntariæ illæ cognitiones, quæ præveniunt omne imperium voluntatis: item actus aliarum potentiarum, nisi iidem a voluntate saltem sint imperati, & ab ea tanquam potentia volitiva quodammodo procedant.

Habes 2. Cum duplex possit esse cognitio præcedens actum voluntarium, nimirum perfecta, & imperfecta, ita & duplex voluntarium esse, *perfectum* scilicet, & *imperfectum*. *Perfectum* est, quando prævie non solum objectum, sed & omnes circumstantiæ objecti, & finis rite cognoscuntur. Et tale voluntarium definivit Aristoteles 3. Eth. 1. dicens, voluntarium esse, *cujus principium est in ipso agente cognoscente singula, in quibus est actio:* per τo singula intellexit objectum cum omnibus circumstantiis ejusdem. Voluntarium *imperfectum* est, quando prævie objectum non perfecte, nec secundum omnes circumstantias cognoscitur. In quantum autem objectum vel secundum se, vel secundum circumstantias non est cognitum, in tantum neque est voluntarius actus voluntatis, qui versatur circa tale objectum; actus enim voluntatis proportionantur objecto solum eatenus, quatenus illud est præcognitum, ut habet tritum illud: *nihil volitum, quin præcognitum.*

294 Variæ sunt divisiones Voluntarii, quarum aliquas recensebo: reliquæ videri poterunt in Theologia morali P. Reiffenstuel Tract. 1. d. 1. n. 5. & seqq. Primo igitur voluntarium est aliud necessarium, & aliud liberum. Voluntarium *necessarium* est, quando voluntas necessario fertur in objectum. Vel: voluntarium necessarium est, quando voluntas non habet indifferentiam ad agendum, & non agendum, ad volendum & non volendum, sed necessitatur determinate ad unum, v. g. ad volitionem. Sic voluntas divina necessario amat essentiam divinam, & per eandem divinam voluntatem necessario spiratur Spiritus Sanctus: item etiam Beati necessario amant Deum. De quo tamen legi debet liber I. Sentent. Hi actus omnes sunt voluntarii, & tamen sunt necessarii.

Voluntarium *liberum*, scilicet libertate indifferentiæ est, quando voluntas habet indifferentiam ad agendum, vel non agendum: quando scilicet potest velle, vel non velle: sic voluntaria libera sunt nostra opera meritoria, & nostra peccata, quæ omnia ita libere a volunta-

luntate fiunt, ut possent omitti. Quando sermo est de actibus humanis, per voluntarium frequenter intelligitur voluntarium liberum, seu libertas indifferentiæ, ut advertit Herincx ex DD. Bernardo, & Augustino.

Deinde voluntarium dividitur denuo in *physicum*, & morale. Voluntarium physicum est illud omne, quod physice a voluntate procedit: *morale* vero est, quod moraliter, seu imputative procedit a voluntate. Vel clarius: voluntarium morale est, quod ita procedit a voluntate, ut ei possit imputari in ordine ad meritum, vel demeritum.

Voluntarium *liberum* ulterius dismembratur in voluntarium *in se*, & voluntarium *in causa*. Voluntarium *in se* (quod & *explicitum*, *expressum*, *formale*, & *directum* dici solet) est, quod ex actuali, & formali proposito, & intentione voluntatis fit, & dependet: sic voluntaria est lectio, ambulatio, studium &c. dum quis deliberate, & ex proposito legit, ambulat, studet. *Indirecte*, & *in sua causa* voluntarium est, quod non in se, sed in sua causa intenditur: quod tunc fit, quando voluntas quidem non intendit ipsum effectum, vult tamen causam illam, ex qua effectus talis secuturus prævidetur. v. g. aliquis ab experientia scit, & prævidet, se semper, quoties fuerit ebrius, rixas excitare, alios vulnerare &c. Si igitur iste homo voluntarie se inebriet, tunc ipsi etiam imputantur rixæ, & vulnerationes secutæ ex ebrietate, etsi has non intenderit, imo contra eas fuerit antecedenter protestatus. Ratio hujus est: quia rixæ hæ saltem sunt voluntariæ in sua causa, quatenus inebriatio, tanquam causa earum, voluntarie ponitur. Reliquæ divisiones voluntarii, ut dixi, possunt videri in P. Reiffenstuel l. c.

Quæres: quænam conditiones requirantur, ut effectus in causa voluntarius possit alicui imputari ad culpam? Ante responsionem 295

Nota: *per effectum in causa voluntarium* non intelligi quemcunque effectum, qui ex causa voluntarie posita sequitur, sed tantum intelligi aliquam actionem alias legitime prohibitam, vel omissionem alicujus actus præcepti uti v. g. si ex ebrietate sequatur homicidium, vel omissio auditionis Missæ die Festo; si enim quemcunque effectum similis causæ diceremus peccatum, tunc omnes nostræ miseriæ, quæ ex peccato originali, tanquam causa ab Adamo voluntarie posita, descendunt, essent peccata: item fœtus conceptus ex adulterio pariter foret peccatum; quia & illæ miseriæ, & fœtus hic adulterinus sunt

effectus causæ cujusdam voluntarie positæ, & quidem peccaminosæ. H. N.

R. Ad quæsitum: Tres sequentes conditiones requiruntur: *1ma.* Ut ponens causam advertat, ex ista positione causæ secuturam actionem, vel omissionem peccaminosam: Vel, ut saltem advertat periculum secuturi illiciti effectus. Ratio est: quia nihil est voluntarium, consequenter imputabile ad culpam, nisi sit præcognitum. Sufficit autem, u effectus malus prævideatur in confuso, ut advertunt Reiffenstuel, & Henno. *2da* conditio est, ut causam quis vitare possit; nemo enim peccat in eo, quod vitare non potest. *3tia* est, ut quis causam non solum possit, sed etiam teneatur vitare: Hinc, si actio est honesta, licita, & necessaria, vel utilis, tunc non peccas, eam voluntarie ponens, etsi prævideas ex illa secuturum quempiam effectum pravum, v. g. pollutionem, *dummodo in ipso effectu pravo nullam complacentiam habeas, nec eam directe intendas*, quæ ultima limitatio est bene attendenda; si enim pravum effectum directe intenderes, vel in eo complacentiam haberes, ratione hujus malæ complacentiæ, & intentionis sine dubio peccares. Legantur etiam illa, quæ ex his conditionibus præsertim prima, & ultima deducit P. Reiffenstuel cit. n. 10. Cum autem in tertia conditione notanter dixerim: *si actio est honesta, licita* &c. inde

296 Dubitabis: quid dicendum, si ex causa venialiter solum mala sequatur effectus pravus, aut turpis, v. g. commotio, aut delectatio venerea in corpore exurgens, aut omnino pollutio? an in simili casu effectus secutus imputetur ad culpam gravem, vel tantum ad levem? R. Si absit complacentia, aut consensus in ipsam pollutionem, aut delectationem veneream: item, si non sit periculum talis consensus, aut complacentiæ, tunc tantum committitur peccatum veniale. Ita sentit P. Sporer p. 1. Theol. moral. c. 5. sect. 2. n. 19. item p. 4. c. 3. sect. 6. n. 691. citans pro se Vasquez, & utrumque Marchantium. Idem etiam tenet la Croix l. 5. n. 46. citans pro se Sanchez, Lessium, Dicastillo, Gobath, aliosque apud Diana, & Burghaber.

Ratio hujus est *1ma.* Talis effectus non est in se volitus, sed tantum in causa: ergo non videtur habere majorem malitiam, quam sua causa. Atqui causa est tantum venialiter mala: ergo & effectus.

Ratio 2*da*. eſt: quia motus carnales facillime exurgunt: ergo & rationi, & fragilitati humanæ admodum conſentaneum eſt, quod non obligetur homo ſub peccato mortali ad vitandum omnem eam actionem venialiter malam, ex qua exurgere poſſunt aliqui motus delectationis venereæ &c. &c. Alioquin (ut utar verbis P. Sporer laudati) certe oporteret, condemnare peccati mortalis omnem converſationem non neceſſariam virorum cum fœminis, juvenum cum puellis colloquia familiaria, choreas, aliasque recreationes etiam honeſtas, cum in iis facillime intercurrant aſpectus blandi, verba lenia, tactus manuum, amplexus, & alia hujusmodi venialia, ex quibus plerumque oriuntur motus aliqui venerei, quos tamen ſecluſo conſenſu, vel periculo conſenſus una cum veniali cauſa ſua merito cenſemus veniales Ita Sporer, & recte.

Nota tamen, ſi oſcula eſſent nimium preſſa, & intenſa, vel etiam ſæpius repetita, ſi tactus in partibus impudicis, vel alia ſimilia fierent, quæ ex natura ſua venerem ordinarie excitare ſolent, tunc & ipſæ hæ actiones, ſcilicet oſcula, tactus &c. eſſent graviter peccaminoſæ, & effectus inde ſecutus ſimiliter foret culpa mortalis, ut per ſe patet. Videatur Sporer l. c. ubi plures caſus practicos reſolvit, præſertim n. 20. Quando effectus ex omiſſione ſecutus ad culpam ſit imputabilis, inferius dicetur, dum de omiſſione pura libera agetur.

§. II.

Quando peccatum in cauſa voluntarium committatur?

Nota 1mo. Statum quæſtionis eſſe, an peccatum in cauſa vo- 297
luntarium tunc complete committatur, quando ponitur cauſa, ex qua prævidetur ſequi actus pravus: vel, an etiam tunc peccetur, dum ipſe effectus malus ex cauſa poſita ſequitur? Exemplum eſto: Petrus ſe voluntarie determinat ad ebrietatem, prævidens certo, quod in hac ebrietate ſit omiſſurus Sacrum die feſto. Jam quæritur, an Petrus tantum tunc peccet peccato omiſſionis Sacri, quando ſe inebriat, & ponit cauſam omiſſionis, vel etiam tunc, dum actu omittit Sacrum?

Nota 2. Controverſiam hic præciſe eſſe in illo caſu, in quo poſita cauſa effectus pravus neceſſario, & inimpedibiliter ſequitur, uti in

ebrietate necessario sequitur omissio Sacri, ex porrectione veneni sæpe inimpedibiliter sequitur mors hominis &c. si enim posita causa possum adhuc impedire effectum pravum, & non impedio, tunc eo ipso libere consentio in eundem, & sic ipse effectus non solum in causa, sed & in se est vere formaliter voluntarius, & peccaminosus. Quare certum est, si quis potest impedire mortem hominis, quæ ex veneno a se porrecto est secutura, & eam non impedit, etiam tempore actualis mortis proximi committi, seu potius continuari, & consummari peccatum homicidii; nam in tali casu pro tempore actualis mortis adest libertas, & voluntarium requisitum ad peccatum homicidii, ut cum aliis notat Reiffenstuel, quem videre potes T. 1. D. 1. n. 17. & seqq. ubi statum præsentis controversiæ multum dilucidat.

Ex opposito peccatum non amplius fit tempore secuti effectus, etiam in casu, quo voluntarie posita est causa inimpedibilis, si prior mala voluntas sit efficaciter retractata ante effectum malum actu secutum. Demus iterum exemplum: Petrus dedit voluntarie Antonio venenum, ex quo post tres dies necessario, & inimpedibiliter mors sequi debet. Jam intra hoc triduum Petrus de hoc peccato suo vere dolet, & confitetur illud, ac post confessionem primum moritur Antonius. Hoc in casu Petrus peccavit quidem in exordio ponendo causam mortis, scilicet dando venenum, non autem peccavit tunc, dum actu mortuus est Antonius. Ratio est: quia per retractationem primæ malæ voluntatis abrumpitur moralis influxus voluntatis in illam mortem: quare mors illa Antonii cessat esse moraliter voluntaria Petro. Hinc status quæstionis est unice pro illo casu, quando quis advertenter, & voluntarie posuit causam in ordine ad effectum pravum non amplius impedibilem, & simul suam voluntatem malam non retractavit ante secutum illum effectum. In hoc igitur casu quæritur, an peccatum contrahatur tunc complete, & consummate, dum causa malitiose ponitur, vel an etiam peccetur, aut potius continuetur, & consummetur peccatum, dum actu effectus sequitur? H. N.

298 Assero: Peccatum voluntarium in causa non committitur unice in positione causæ, sed etiam continuatur, & consummatur in ipsa executione effectus pravi. Ita Viva p. 8. Curs. Theol. disp. 4. q. 3. art. 5. P. Aquilinus Aman in suis Thesibus de Ignorantia Frisingæ editis Anno 1719. fol. 84. Gonet, Mezger, & alii apud eundem Aquilinum

linum citati: est tamen contra Mastrium, Reiffenstuel, qui quidem pro se citant Scotum 2. D. 40. 42. in principio, & in fine & quodlib. 18. sed ex his locis nil potui deducere, quod AAriorum sententiæ faveret. Ante probationem nota, quod AArii omissionem v. g. Sacri, quæ ex ebrietate libere posita sequitur, dicant effectum peccati, negent autem, eam esse peccaminosam, vel moraliter malam: & sic discurrunt de aliis similibus exemplis. H. N.

P. Assertio 1. evertendo præcipuum, & fere unicum argumentum AAriorum. Si actus aliquis prohibitus, in causa solum voluntarius, non foret malus tunc, quando actu exercetur, ratio esset fere unica, quia talis actus in suo actuali exercitio non foret liber, nec voluntarius, eoquod necessario, & inimpedibiliter sequatur, nec possit omitti: sed hæc ratio nulla est: ergo. m. p. Necessitas consequens non obstat libertati actus alicujus: atqui similis actus fieret necessario necessitate tantum consequente: ergo adhuc esset liber. M. est communis apud omnes. m. inde patet; quia necessitas consequens est, quam operans sibi ipsi libere imponit; atqui operans libere ponendo causam, ex qua inimpedibiliter sequitur v. g. omissio Sacri die festo, vel homicidium alterius, libere sibi imponit necessitatem, vi cujus non potest impedire amplius omissionem illam aut homicidium: ergo.

Confirm. 1. Dum voluntas actu amat Deum, necessario amat, ita ut simul non possit impedire, vel omittere actum amoris, & tamen libere amat: ergo etiam, dum effectus pravus ex causa voluntarie posita sequitur, is libere ponitur, etiamsi necessario sequatur, ita, ut impediri nequeat. A. est certum; nam voluntas non potest simul & semel pro eodem instanti amare, & non amare Deum: alias vera essent contradictoria, ut consideranti liquet, & ex Philosophia notum est: adeoque dum voluntas actu amat, necessario amat, ita, ut non possit pro tunc simul omittere actum amoris, & non amare. Et nihilominus libere amat, quia sibi hunc necessitatem amandi imposuit per actualem, & propriam determinationem ad actum amoris: ergo & homo ponens libere causam, ex qua necessario sequitur effectus pravus, etiam censetur libere ponere ipsum effectum pravum, eoquod ipse libere posuerit causam necessitantem ad talem effectum. Ex quo & consequentia est satis probata. Quidquid responderint AArii ad hanc satis convincentem replicam, illud & ipsi solvere habent, & nescio, an unquam satis solvere valeant.

Con-

Confirm. 2do. Ad merendum, & ad conficiendum valide Sacramentum sufficit voluntarium indirectum, & in causa: ergo & ad peccandum. C. videtur certa; siquidem non plus voluntarii exigitur ad peccandum, quam ad merendum, vel valide conficiendum, aut recipiendum Sacramentum. A. p. 1mo. Qui incipit cum vera intentione & attentione recitare Breviarium, & postmodum penitus, sed inculpabiliter fit distractus in actuali recitatione, per suam distractissimam orationem tamen meretur, & satisfacit præcepto recitandi horas canonicas, quamvis ista recitatio non sit formaliter libera in se, sed tantum virtualiter, & in causa; quia libertas formalis nequit esse sine actuali advertentia, quam sic distracte orans in AAriorum sententia non habet. 2*do*. Sacerdos, qui cum intentione, & animo celebrandi accedit ad altare, & mente distractus, ac sine advertentia verba consecrationis profert, vere conficit Sacramentum, ut communiter docent Theologi: & tamen talis tantum habet voluntarietatem, & libertatem in causa, non autem formalem, aut directam, ut ex immediate dictis colligitur: ergo ad merendum, & ad conficiendum Sacramentum sufficit voluntarium indirectum, & in causa.

P. 2. Ponamus, aliquem die festivo se libere disponere ad somnum cum prævisione inde secuturæ omissionis Sacri. Jam sic argumentor: Si in casu posito juxta AArios omissio Sacri non esset in se formaliter peccaminosa, sed tantum foret effectus peccati, tunc licet velle sic omittere, & talem omissionem desiderare: atqui hoc nequit dici; nam tale desiderium, utpote quod fertur in objectum illicitum, est juxta omnes Th. Th. grave peccatum: ergo &c. M. p. Effectus peccati, qui in se ipsis peccata non sunt, sed tantum in causa, licite possunt desiderari. Sic mulier, quæ per adulterium concepit, licite desiderat partum, quamvis partus sit effectus peccati adulterii. Item, qui contra prohibitionem Ecclesiæ sumpsit carnes die jejunii, sine peccato desiderat nutriri ex illis, quamvis talis nutritio sit effectus peccati: ergo si talis omissio Sacri juxta AArios non sit in se formaliter peccatum, sed solum effectus peccati, licite desiderari potest.

299 Objic. 1. Clem. *Si furiosus.* de homicidio dicitur: quod homicidium factum a dormiente non inducat irregularitatem: ergo Clementina supponit illud, quod fit in somno, aut ebrietate &c. non esse peccatum, sed effectum peccati. R. Clementinam loqui de casu homicidii non prævisi, adeoque neque in se, neque in causa voluntarii.

Objic.

Objic. 2. Talis effectus pravus, de quo eſt ſermo, eſt tantum liber, & voluntarius in cauſa, non autem in ſe: ergo etiam eſt tantum peccatum in cauſa, non autem in ſe. C. conſtat; nam eo modo ſe habet ratio peccati, quo ſe habet ratio voluntarii. R. D. a. Talis effectus pravus non eſt liber in ſe immediate c. a. mediate n. a. & D. c. ergo etiam non eſt peccatum in ſe immediate, & ſine mediante alio actu peccaminoſo c. c. mediate, & mediante alio actu peccaminoſo n. c. Dum dicimus, ſimilem effectum non eſſe in ſe voluntarium, ſed tantum in cauſa, volumus unice, quod is non immediate a voluntate procedat, ſed quod libertatem obtineat, & participet mediate, ſcilicet mediante illa cauſa libere poſita.

Objic. 3. Talis effectus non poteſt amplius impediri: ſed quod non amplius poteſt impediri, non eſt liberum: ergo talis effectus non amplius eſt liber. R. 1. Retorq. argum. Actus amoris, dum actu exercetur, non poteſt ſimul impediri: ſed: ergo &c. R. 2. d. M. Et hæc impotentia oritur ex neceſſitate antecedente n. M. ex neceſſitate conſequenti, quam ſibi libere impoſuit operans, & quæ non tollit libertatem c. M. & ſic diſt. m. n. c.

Dices: pro illo tempore non peccatur, pro quo lex eſt obſervatu impoſſibilis: ſed lex audiendi Sacrum pro tempore, quo quis eſt ebrius, vel dormit, eſt obſervatu impoſſibilis: ergo tempore illo, quo quis dormit, & dormiendo omittit actu Sacrum, non peccatur. *R.* 1. Retorq. argum. Sed pro illo tempore, quo quis voluntarie, & ex propoſito directe omittit Sacrum, eſt lex audiendi Sacrum obſervatu impoſſibilis; nam ſimul & ſemel non poteſt quis audire, & omittere Sacrum: ergo etiam illo tempore, quo quis ex propoſito, & directe voluntarie omittit Sacrum, non peccatur. *R.* 2. d. M. pro illo tempore non peccatur, quo lex eſt impoſſibilis obſervatu, impotentia antecedente c. M. impotentia ſolum conſequente, quam voluntarie cauſavit ipſe operans n. M. Impotentia conſequens, cum ſit ab ipſa operantis voluntate libere cauſata, non impedit liberum voluntarium; ſiquidem *Lex* etiam *te obligat, cum non potes, ſi per te ſtetit, quod non poſſis.*

Objic. 4. Abſque actuali uſu rationis non ſtat actualis libertas: atqui in ſomno, ebrietate &c. ubi ſæpe ſimiles effectus pravi ſequi ſolent, ut ex dictis colligitur, non eſt actualis uſus rationis: ergo. R. d. M. Non ſtat actualis libertas immediata c. M. mediata, n. M. ad liber-

libertatem mediatam hujus effectus pravi sufficit, præcessisse antecedenter actualem usum rationis, cognitionem, & volitionem, & hanc permanere moraliter, ac virtualiter in causa libere posita, & in effectu inde secuto.

Objic. 5. Libertas convenit effectui dependenter ab aliquo actu voluntatis: atqui in somno nullus existit actus voluntatis: ergo neque ibi existit libertas. R. d. m. in somno non existit formaliter, & physice actus voluntatis elicitus, v. g. volitio c. m. non existit virtualiter, & moraliter in aliquo relicto, nempe in causa libere posita n. m. &c. Ex hoc habes, quod & voluntarium virtuale sit aliquid actu existens, & actu operans; est enim aliquis effectus ab actu voluntatis libere causatus, in quo actu perseverat ipsa virtus libertatis.

Objic. 6. Effectus ille, qui ex causa libere posita sequitur, procedit a causa naturali: ergo talis effectus non est liber, sed naturalis. A. constat; nam mortem, quæ sequitur ex veneno porrecto, operatur vis naturalis veneni &c. R. 1. Retorq. argum. Actus imperati a voluntate plerumque fiunt, & exercentur a causis naturalibus, scilicet ab intellectu, potentia loco-motiva, sensibus in & externis: ergo tales actus non sunt liberi, neque possunt esse peccaminosi. R. 2. d. a. procedit a causa naturali immediate, & elicitive c. a. procedit etiam a causa naturali mediate, & imperative n. a. Effectus isti pravi, qui ex causa libere posita derivantur, mediate dependent, & causantur a voluntate libere imperante, & per suum imperium applicante illam causam.

Objic. 7. Ad merendum non sufficit libertas indirecta, & in causa: ergo neque ad peccandum, & demerendum. R. Transf. interea antecedente n. c. plura enim ad bonum, & meritum requiruntur, quam ad malum, & demeritum, cum *bonum sit ex integra causa, malum ex quolibet defectu.*

Objic. 8. Votum in ebrietate emissum non valet: neque valent formæ Sacramentorum in somno, vel ebrietate prolatæ, tametsi quis prævideat, se in ebrietate votum emissurum, vel formam Sacramentalem prolaturum: ergo neque omissio Sacri facta tempore somni, vel ebrietatis imputari potest ad peccatum. R. N. c. & paritatem; nam 1mo tam votum, quam confectio Sacramenti sunt aliquid bonum: atqui juxta dicta plus requiritur ad bonum, quam ad malum, adeoque hic nulla est paritas. 2do. Ob specialem reverentiam Sacramentis

mentis debitam Christus instituit, ut ea conficiantur ab homine actu gaudente usu rationis: talis institutio divina non datur circa peccata.

Objic. 9. Peccatum est actus humanus: sed actus exercitus in somno, vel ebrietate non est humanus: ergo. m. constat; quia actus humanus elicitur ab homine usum rationis habente. R. C. M. d. m. non est actus humanus, si neque mediate, neque immediate dependet ab usu rationis, & libertatis c. m. si saltem mediate dependet, & derivatur ab usu rationis, & libertatis n. m. & c.

Objic. 10. Effectus peccati non est peccatum: ergo actus prohibitus, qui tantum est voluntarius in causa, non est peccatum. A. p. Proles ex conceptu adulterino nata est effectus peccati, & tamen non est peccatum. R. 1. Retorq. Argum. contra SSas. sic loquentes: ergo etiam actus externus v. g. blasphemiæ, vel homicidii non est peccatum; nam & hic est effectus peccati, nempe volitionis internæ malitiosæ, a qua imperatur. R. 2. d. a. Effectus peccati non est peccatum, si non sit aliqua actio lege prohibita, vel aliqua omissio actus præcepti c. a. secus n. a. &c.

Objic. 11. Ex nostra sententia sequitur, quod aliquis posset peccare, quando non amplius vivit; ponamus enim, illum, qui causam effectus pravi posuit, mori, antequam effectus ille actu sequatur: hoc in casu hic homo mortuus peccaret adhuc, dum effectus ponitur: ergo peccaret, cum non amplius viveret. R. Vel talis homo, priusquam mortuus est, retractavit suam malam voluntatem, qua causam posuit, vel non retractavit? si *primum*: tunc per se non peccat, ut notanda docent. Si *secundum*: tunc utique adhuc posset dici peccare, sed tale peccatum ei non esset imputabile ad pœnam, quia non esset amplius in statu viæ, qui status ad omne meritum, & demeritum requiritur. Hinc proprie non peccaret, peccato nempe imputabili ad demeritum, & pœnam. In forma R. N. sequelam, nempe sub explicatione data.

Denique ad solvendas authoritates nota, actiones peccaminosas debere esse in potestate voluntatis *antecedenter* saltem, vel *mediate*: non autem opus est, ut eæ sint in potestate nostra *consequenter*, *proxime*, & *immediate*. Ex his

Colliges 1. Peccatum indirecte voluntarium inchoative esse, & 300
committi in ipsa positione libera causæ, consummative vero esse, & fieri

fieri in ipsa executione, & positione effectus: unde positio causæ, & effectus malitiosus inde secutus integrant unum completum peccatum. Nota etiam, quod alii plures adhibeant probationes pro hac conclusione, quam mecum tenent: verum nescio, an omnes illæ sint satis solidæ. Certe una, vel altera earum suas patitur instantias, & difficultates: inde studiose iis supersedi.

Colliges 2. Eum, qui dedit venenum alicui, ex quo secuta est mors, debere exprimere in confessione, quod mors fuerit secuta. Ratio hujus est 1. quia talis revera etiam peccavit per ipsam illationem mortis, & non solum per positionem causæ mortis, 2. quia praxis fidelium confitentium pravos quoque effectus ex causa data secutos, id suadet: & 3. quia expressio talis effectus pravi sæpe est etiam ideo necessaria, ut Confessarius sciat dictare obligationes, quæ similem effectum pravum comitantur. Atque hoc præcipue locum habet, si prava voluntas non sit efficaciter retractata ante ipsam executionem effectus, ut colligitur ex notandis: si autem efficax retractatio executionem effectus præcesserit, tunc non quidem per se, sed bene per accidens in confessione exprimi debet, an effectus malus ex positione causæ sit secutus, nec ne, quia effectui tali sæpe sunt annexæ certæ pœnæ canonicæ, vel alia onera, de quibus judicare habet Confessarius. Vide P. Viva pro Assertione citatum, qui n. 27. cum Azorio, & aliis tenet, ejusmodi effectus pravos nullo modo esse censendos peccata, nec esse in confessione aperiendos, si voluntas mala præterita per pœnitentiam sit interrupta. Vide laudatum.

301 Quæres: An etiam pœnæ canonicæ incurrantur statutæ in effectum pravum, si ponens causam ejus voluntatem suam malam per pœnitentiam retractet, antequam effectus re ipsa sequatur? R. Si effectus malus re ipsa sequitur, tunc incurruntur pœnæ canonicæ, v. g. excommunicatio, irregularitas &c. ab eo, qui voluntarie, & malitiose posuit causam talis effectus, etsi ante secutum effectum pœnitentiam egerit de suo hoc peccato. Ratio est: quia pœnæ canonicæ statuuntur simpliciter in ponentes causam efficacem effectuum pravorum, sub conditione tamen, si effectus pravus re ipsa sequatur, abstrahendo, an effectus in se sit peccaminosus, vel non. Hancque conditionem addit pia Mater Ecclesia ex mera benignitate, utpote quæ odia semper solet restringere, ac proinde leges suas pœnales non vult ordinarie habere effectum, nisi causæ malitiose positæ suum effectum

ctum externum quoque fint operatæ. Ita La Croix l. 7. n. 54. Sic, qui dat medicinam procurativam abortus fœtus vivi, interea tamen ferio dolet, antequam abortus revera fiat, hic, inquam, incurrit excommunicationem, irregularitatem, & alias pœnas in procurantes abortum conftitutas ob rationem jam datam; hic enim non attenditur ipfa formalis malitia effectus fecuti, fed tantum ipfa caufa voluntarie, & malitiofe pofita: fi tamen illa fuerit effective efficax, feu effectum intentum habuerit.

Articulus II.

De Involuntario: præfertim de violentia.

Involuntarium eft duplex, unum *privativum*, alterum *pofitivum*. Involuntarium *privativum*, vel *negativum* nil aliud eft, quam non voluntarium, & datur tunc, quando aliqua conditio deeft, quæ alias ad actionem voluntariam requiritur, ut v. g. fi occidis hominem, putans invincibiliter, eum effe feram: hæc occifio hominis eft *non voluntaria*, quia defuit cognitio objecti, nempe hominis, requifita ad hoc, ut homicidium effet voluntarium. Paucis: involuntarium negativum eft mera abfentia voluntarii. E converfo involuntarium *pofitivum*, quod & *contrarium* dicitur, non importat meram abfentiam voluntareitatis, fed dicit pofitivam refiftentiam voluntatis. Vel, involuntarium *pofitivum* eft illud, quod fit contra voluntatem refiftentem per actum pofitivum elicitum: ut fi vi arripias manum Petri pofitive nolentis, & ea percutias, vel occidas Paulum. Si voluntas efficaciter, & abfolute refiftat omnibus confideratis, tunc dicitur *involuntarium fimpliciter*: fi autem aliqualiter quidem nolit, omnibus tamen fpectatis fimpliciter velit, dicitur involuntarium *fecundum quid*, & *fimpliciter voluntarium*. Exempla involuntarii fecundum quid videre potes n. 312. 302

Cum involuntarium pofitivum caufetur per violentiam, & coactionem, hinc quæres, quid fit violentum, & quid coactio? 303

R. 1. Violentum juxta Ariftotelem 3. Eth. 1. eft, *quod procedit ab extrinfeco nullam vim conferente paffo*. Dicitur 1mo *quod procedit ab extrinfeco*, id eft, violentia debet provenire ab aliquo principio extrinfeco, ita, ut inferens, & patiens violentiam realiter diftinguantur.

Dicitur 2. *non conferente vim passo*, id est, *positive resistente passo*. Quare illud, quod est violentum alicui passo, est pariter contra positivam inclinationem talis passi. Verum hæc definitio violenti jam est in Philosophia explicata, unde ulteriorem ejus expositionem omitto, &

R. 2. Violentiam, & coactionem partim inter se convenire, partim distingui: conveniunt, quia & coactio est a principio extrinseco, positive resistente passo: differunt, quia violentum in rigore dicitur illud, quod repugnat inclinationi, & appetitui innato, & naturali, qui etiam datur in rebus inanimatis sensu, & ratione destitutis, uti v. g. in lapide est appetitus naturalis ad motum deorsum, in aqua ad frigus, in igne ad calorem &c. Hinc violentatur aqua, si calefit. E converso coactum proprie est id, quod fit resistente appetitu elicito: inde coactio locum tantum habet in rebus sensitivis, & rationalibus, utpote quæ actus elicitos elicere possunt per appetitum vel sensitivum, vel rationalem. Sic coactionem patitur canis domi vi inclusus contra actum sui appetitus, quo avide desiderat sequi herum suum exeuntem. Coactio a fortiori datur, quando homo adigitur ad aliquid faciendum contra voluntatem suam resistentem per actum positivum elicitum. Verum, quamvis in rigore violentum, & coactum distinguantur, in communi tamen discursu confunduntur.

Necessitas demum differt a coacto, & violento in hoc, quod actus mere necessarius non sit a principio extrinseco, neque sit contra inclinationem passi. Sic actus voluntatis, quo Beati amant Deum, est necessarius: & tamen procedit a principio intrinseco, scilicet a voluntate, neque est contra, sed potius juxta inclinationem Beatorum, aliter accidit in violento, & coacto. H. N. resolvuntur varia dubia de violento, quatenus est causa involuntarii, quare sit

§. I.

An violentia, & coactio causent involuntarium?

304 Assero: Violentia, & coactio simpliciter talis, seu omnimoda causat etiam involuntarium simpliciter, seu omnimode tale. Est communis omnium Th. Th. P. Illud causat simpliciter involuntarium, quod simpliciter est a principio extrinseco, voluntate nihil de

suo

suo conferente, imo pro viribus reluctante: atqui ita se habet violentum simpliciter: ergo violentum simpliciter, causat etiam involuntarium simpliciter. m. constat ex definitionibus violenti, voluntarii, & involuntarii.

Deduces 1. Quæ coacte, & ex violentia omnimoda fiunt, neque sunt meritoria, neque sunt peccaminosa. Ratio est: quia deest voluntarium, essentialiter requisitum ad omne meritum, & demeritum. Hinc si quis positive reluctante propria voluntate vi inevitabili adigeretur ad cultum sive vero, sive falso Deo adhibendum, neque per priorem actum haberet meritum, neque per posteriorem peccaret. Ita pariter non peccat, qui violenter detentus in carcere non audit Sacrum die festo.

Deduces 2. Non pati veram violentiam, neque esse immunem a peccato, qui violentiam non repellit eo modo, quo hic, & nunc potest, & tenetur. Henno, Sporer, Holzman, Mezger, & alii. Ratio est: quia ille, qui violentiam non impedit eo, quo potest, & tenetur, modo, censetur interpretative consentire in effectum pravum, ex vi illata sequentem, adeoque hic est ei voluntarius, & peccaminosus. Quare, ne stuprum, puellæ violenter illatum, ei sit voluntarium, & peccaminosum, hæc duo observare debet juxta Sporer T. 1. proœm. c. 2. n. 44. 1mo. ut sic oppressa constanter habeat voluntatem reluctantem, & minime consentientem, aut complacentem in turpitudine ipsi illata, quam primum enim complacentiam, vel consensum aliquem præbuerit, etiam mere internum, jam desinit violentia, & incipit voluntarium, ac peccatum. 2. Debet externe resistere nisu corporis, clamando &c. quantum utiliter potest, & rationabiliter debet.

Sed quid, si puellæ ex vociferatione immineat evidens pericu- 305
lum vitæ, vel honoris; debetne, non obstante hoc periculo, clamare?

R. 1. affirmative, si periculum sit consensus. Holzman, Henno, Mezger, Corneio, & alii. Ratio est: quia ad evitandum consensum in rem istam turpissimam puella obligatur præcepto negativo, seu prohibitorio, quod obligat semper, & pro semper, & quidem in hac materia cum periculo vitæ, & famæ: hinc puella potius mori debet, quam talem consensum admittere. Ita etiam, si quis cogatur sacrificare Idolo, vel illud adorare, non sufficit contra protestari,

sed

sed tenetur etiam cum famæ, & vitæ jactura reluctari, quantum potest; quia ille actus repugnat præcepto negativo non adorandi sculptile.

R. 2. Si puella prudenter existimet, se non præbituram consensum, tenetur quidem viribus corporis aggressorem repellere, quantum potest: non tamen tenetur clamare &c. si ex clamore detrimentum famæ, vel vitæ immineat; quia præceptum de resistendo aggressori, & de custodienda sua virginitate est affirmativum, & aliquem positivum actum præcipiens, quod non obligat pro semper, præsertim cum tanta jactura famæ, vel vitæ. Ita iterum citati sentiunt. Adjungit tamen P. Henno (cujus sententia in praxi tenenda est) quia in praxi fere semper adest periculum consensus in his circumstantiis ob summam materiæ lubricitatem, ideo puellam semper debere clamare, & omni possibili modo reluctari, etiam cum periculo famæ, & vitæ; præstat enim, in vita, & fama detrimentum subire, quam in anima.

Objic. 1. Passio Martyrum, & Christi fuit violenta, & tamen voluntaria, quia fuit meritoria: ergo violentum non impedit voluntarium. R. D. a. Passio Christi, & Martyrum fuit violenta secundum appetitum sensitivum, sui destructionem, vel molestiam refugientis c. a. secundum appetitum rationalem, quo volebant propter Deum tormenta sustinere n. a. &c.

Objic. 2. Baptismus per vim alicui collatus est validus: ergo vis non tollit voluntarium; Sacramentum enim alicui penitus nolenti non potest conferri. R. D. a. Baptismus per vim alicui penitus reluctanti, & non consentienti collatus est validus n. a. per vim, & metum alicui consentienti collatus c. a. Possunt quidem aliqui adigi per metum, ut revera voluntarie consentiant in baptismum suscipiendum, & tunc non habetur violentia omnimoda, de qua hic est quæstio; violentia enim omnimoda excludit omnem consensum voluntatis. Qui metu supplicii voluntarie consentiunt in baptismum, valide baptizantur, & ad legem Christianam cogi possunt. c. *Majores.* de Baptismo. §. *item.*

§. II.

§. II.

An Voluntas possit violentari in actibus a se elicitis, vel imperatis?

Assero 1. Actus a voluntate elicitus non potest esse violentus, 306
coactus, aut involuntarius, sed necessario debet esse voluntarius. Est communis.

P. 1. Authoritate. D. Anselmus l. de libero arbitrio c. 6. ait: *Invitus nemo potest velle aliquid, quia non potest nolens velle.* Anselmum sequitur Scotus 4. D. 29. q. 1. n. 6. dicens: *Contradictio est, voluntatem simpliciter cogi ad actum volendi, quia tunc nolens vellet, & volens nollet.*

P. 2. ratione: Ille actus essentialiter est voluntarius, & consequenter non est violentus, vel involuntarius, qui procedit a voluntate ex prævia cognitione intellectiva: atqui omnis actus elicitus a voluntate, procedit a voluntate, ex prævia cognitione intellectiva: ergo. M. est definitio voluntarii. m. constat; quid enim magis a voluntate procedit, quam actus a voluntate elicitus, & causatus? si autem actus elicitus est a voluntate, tunc necessario præsupponit cognitionem intellectivam; quia voluntas non agit circa aliquod objectum, nisi illud fuerit præcognitum. Ex hoc

Inferes: Quod neque actus aliarum potentiarum, scilicet intellectus, potentiæ loco-motivæ &c. dependenter ab imperio voluntatis eliciti, possint esse violenti, vel involuntarii. Ratio est: quia & hi actus sunt a voluntate imperante ex prævia cognitione objecti: ergo.

Objic. 1. Voluntas potest necessitari ad actum eliciendum: ergo 307
& cogi. A. constat in amore beatifico, ad quem Beati a Deo necessitantur. Cons. liquet ex paritate rationis. R. N. c. & parit. Voluntarium non opponitur necessario: imo voluntareitas est secundum se indifferens ad necessarium, vel ad contingens, ut patet ex divisione prima voluntarii n. 294. posita: Econtra vero coactio, utpote causans involuntarium, necessario opponi debet voluntario, nec cum hoc consistere potest; alias idem actus posset simul esse voluntarius, & non voluntarius, quod est contradictorium.

Dices: Voluntas ex natura sua est inclinata, ut libere agat: ergo, cum necessitatur ad aliquod objectum, movetur contra naturalem inclinationem, & ei infertur violentia. R. d. a. Voluntas ex na-

tura sua est inclinata, ut libere agat libertate vel essentiali, vel contingentiæ c. a. semper libertate contingentiæ, & indifferentiæ n. a. &c. Libertas essentialis est ipsa voluntas producens suum actum dependenter a cognitione intellectiva prævia, seu, est ipsa voluntareitas, & hæc est essentialis voluntati, ac potest stare cum necessitate, quin ulla violentia inferatur voluntati: prout patet in voluntate divina, quæ necessario amat essentiam divinam, quin tamen inde violentetur; vis etenim, & coactio, tanquam maximæ imperfectiones, in Deum, aut ejus attributa cadere nequeunt.

Instabis. Saltem voluntas, necessitata a Deo, majori impetu fertur in objectum, quam ipsius natura exposcit: ergo tunc voluntas cogitur. Sicut & lapis violentatur, quando deorsum majori impetu jacitur, quam ejus gravitas requirit. R. N. a. Deus enim non necessitat voluntatem, ut majori pondere feratur in objectum aliquod v. g. per actum amoris, quam mereatur bonitas talis objecti: atqui amare objectum aliquod ea intensione, & perfectione actus, quam meretur bonitas talis objecti, non est contra, sed potius juxta inclinationem voluntatis, utpote quæ, tanquam appetitus rationalis, se optime, & rationabilissime conformat bonitati objecti per intellectum propositæ.

Objic. 2. Voluntas vult peccatum: atqui peccatum est contra inclinationem voluntatis: ergo voluntas potest aliquid velle, quod est contra suam inclinationem: adeoque potest in suis volitionibus violentiam pati. m. constat; nam teste Augustino l. 11. de Civit. Dei. c. 27. peccatum est contra naturam. Item peccatum est contra inclinationem voluntatis, quam habet ad bonum honestum. R. D. m. peccatum est contra inclinationem voluntatis, quam habet ad bonum honestum c. m. quam habet ad bonum delectabile n. m. Duplex est inclinatio in voluntate. Una rationabilis, qua appetit bonum honestum, & rectæ rationi consonum: altera, qua appetit bonum delectabile secundum sensum, & apparens.

Objic. 3. Posset Deus in mea voluntate reluctante, & nolente ponere actum amoris Petri. Iam, hic actus foret involuntarius: ergo actus voluntatis posset esse involuntarius, & coactus. R. D. a. Et hic actus non esset a mea voluntate elicitus, quia nempe esset a Deo causatus c. a. esset a mea voluntate elicitus n. a. &c. Nos tantum negamus, voluntatem posse violentari in actibus a se elicitis: hinc istud argumentum non est ad propositum.

Objic. 4. Posset Deus voluntatem nolentem, & repugnantem rapere ad aliquod objectum amandum: atqui hic amor esset simul elicitus a voluntate, & simul ei violentus: ergo. R. D. M. posset hoc Deus stante actu nolitionis, & repugnantia voluntatis n. M. cessante c. M. Est contradictio, & manifesta implicantia, quod voluntas possit simul & semel velle amare, & nolle amare idem objectum secundum idem consideratum: si autem cessat nolitio, & repugnantia voluntatis, & objectum sub ratione boni voluntati proponitur ab intellectu, tunc non amplius est invita voluntas, nec contra propriam inclinationem violentatur.

Objic. 5. Damnati nolunt tristitiam suam, quæ est actus voluntatis elicitus: ergo hæc tristitia est actus voluntatis involuntarius, & violentus. R. N. a. Damnati equidem nolunt, & aversantur objectum triste, volunt tamen suam tristitiam; tristitia enim nihil aliud est, quam nolitio objecti tristis, vel certe ex hac nolitione naturaliter sequitur.

Assero 2. Actus aliarum potentiarum a voluntate imperabiles, 308
possunt sæpe esse violenti, & involuntarii. Communiter Th. Th.

Dixi: *Actus imperabiles*, non imperati, eo ipso enim, quod voluntas actum intellectus, vel alterius potentiæ imperet, & is eliciatur conformiter huic imperio, eo ipso, inquam, similis actus imperatus est voluntarius, ut dictum est supra post prob. 2dam. 1mæ assertionis. H. N.

P. Conclusio. 1mo. Similis violentia sæpe fit in potentia loco-motiva, quæ alias imperio voluntatis est subjecta: ut si contra nitente voluntate aliquis violenter includitur carceri. 2. In sensibus externis, ut dum quis nolens cogitur aliquid videre, audire, tangere &c. 3. in aliis potentiis, ut dum reluctante voluntate aliquis patitur turpes imaginationes in Phantasia, dubitationes circa fidem in intellectu &c. ergo.

Dices: Hi specificati actus sunt saltem connaturales ipsis potentiis, a quibus eliciuntur: ergo non sunt violenti. R. D. c. ergo non sunt violenti, si considerentur in ordine ad potentias, a quibus eliciuntur, v. g. in ordine ad potentiam loco-motivam, sensitivam, intellectivam &c. T. c. si considerentur in ordine ad voluntatem, cujus imperio præfatæ potentiæ subjiciuntur n. c. nam sunt expresse contra appetitum, & inclinationem voluntatis, & hinc involunta-

rii: id, quod sufficit ad nostrum intentum. Dixi supra Transf. consequentia; quia ad hoc, ut aliquid sit simpliciter violentum alicui supposito, sufficit, quod sit contra nobiliorem ejus appetitum, prout in Philosophia de violento dicitur: atqui nobilior appetitus in homine est voluntas: ergo.

§. III.

Continuatio præsentis materiæ de violento.

309 Assero 1. Quamvis actus eliciti voluntatis non possint esse coacti, potest tamen voluntas cogi ad carentiam, & omissionem actuum elicitorum, quæ omissio tunc erit violenta, & involuntaria. Henno, Herincx, Viva, contra Gonet, Mezger, & alios.

P. Ponamus, quod voluntas sit inclinata ad amandum aliquod bonum, imo positive illud desideret amare, & Deus impediat hunc actum, negando suum concursum, sine quo voluntas in actum exire nequit. Jam omissio amoris in hoc casu foret ab extrinseco renitente voluntate, seu contra inclinationem ejus: ergo hæc esset violenta.

Confirm. 1. Juxta Scotum quodlib. 18. *Involuntarium simpliciter est illud, contra quod voluntas remurmurat*: atqui voluntas eo ipso, quod desideret actum amoris, remurmurat, & reluctatur omissioni ejusdem: ergo omissio ejusdem actus amoris est involuntaria.

Confirm. 2. Violenter impeditur pes ab ambulatione, & eam involuntarie omittit, si contra imperium voluntatis, mandantis, & desiderantis ambulationem, pes ab extrinseco inhibetur: ergo etiam violenter impeditur actus amoris, & involuntarie omittitur, si voluntas desiderans, & volens actum amoris, inhibetur ab elicitione ejus per agens extrinsecum, Deum videlicet.

310 Objic. 1. Concursus Dei non est voluntati debitus: ergo, dum illo privatur, & sic impeditur ab actu amoris, non impeditur ab aliquo bono debito, neque patitur violentiam; hæc enim tantum infertur, dum aliquod bonum debitum, ad quod passum habet jus, subtrahitur. R. N. a. Concursus divinus simultaneus jure creationis est debitus causæ secundæ, etiam liberæ, dum ea ex parte sua habet omnia requisita ad agendum, & dum vult agere; ad hunc enim concur-

sum

ſum dandum ſe obligavit Deus decreto ſuo generali, quo ſtatuit, quod velit cauſas ſecundas ſinere motus ſuos agere.

Objic. 2. Non inclinatur voluntas ad operandum, niſi ſuppoſito Dei concurſu: ergo, ubi deeſt concurſus Dei, voluntas nequidem habet inclinationem operandi, adeoque tunc carentia, & omiſſio operationis non poteſt eſſe contra inclinationem voluntatis, neque involuntaria. R. d. a. niſi ſuppoſito concurſu ad ipſam inclinationem c. a. ad operationem, ad quam eſt inclinata, & quam deſiderat ponere voluntas n. a. Actualis concurſus datur ad actualem operationem creaturæ. Cum ergo ante actum amoris, in caſu poſiti, voluntas tantum habeat actualem inclinationem, & deſiderium amoris, non autem ipſum actum amoris, ſic dabitur tantum pro tunc concurſus Dei actualis ad deſiderium, & inclinationem, non autem ad ipſum actum amoris.

Objic. 3. Voluntas creata nequit reſiſtere voluntati divinæ: ergo non poteſt violentari a voluntate divina. C. patet; ad violentum enim requiritur, ut patiens violentiam poſitive reſiſtat eam inferenti. R. D. a. nequit efficaciter reſiſtere, ita, ut effective decretum, & ordinationem divinæ voluntatis impediat c. a. inefficaciter n. a. Deus ipſe potentiam reſiſtendi inefficaciter ſuæ voluntati conceſſit creaturæ rationali, dum ei libertatem indulſit, vi cujus homo poteſt vel complacentiam, vel diſplicentiam in divinis ordinationibus habere.

Objic. 4. D. Auguſtinus L. 26. contra Fauſt. c. 3. ait: *Deus autem Creator, & conditor omnium naturarum, nihil contra naturam facit; id enim erit cuique rei naturale, quod ille fecerit, a quo eſt omnis modus, numerus, & ordo naturæ:* ergo, quia & ſuſpenſio concurſus divini eſt a Deo, illa quoque erit naturalis, neque erit contra naturam, conſequenter non erit violenta, vel involuntaria. R. D. c. eſt voluntati naturalis, ſeu eſt conformis ejus appetitui univerſali, & potentiæ obedientiali c. c. ejus appetitui privato n. c. Omnis creatura ſecundum appetitum univerſalem, & potentiam obedientialem Deo tanquam authori naturæ eſt perfecte ſubjecta, & patitur omne illud, quod Deus abſolute vult, ſed tamen contra inclinationem privatam, dum aliquod damnum patitur in bonis ſibi debitis, prout fit in propoſito.

Dices: Illud non eſt violentum, quod eſt juxta nobiliorem appetitum, licet repugnet appetitui inferiori, ut docetur in Philoſophia: ſed appetitus univerſalis eſt nobilior, quam privatus: ergo

omiffio actus amoris in noftro cafu non eft violenta, quia eft juxta appetitum univerfalem voluntatis licet fit contra appetitum ejus privatum. R. D. M. Illud non eft violentum, quod eft juxta appetitum nobiliorem, quo intenditur bonum ipfius fuppofiti, habentis iftum appetitum c. M quo intenditur malum ipfius n. M. Appetitus univerfalis in pofito cafu intenderet malum hominis, nempe carentiam actus, qui ei debebatur.

Inftabis. Voluntas, tanquam creatura, eft quafi inftrumentum Dei: fed de ratione inftrumenti eft, ut obediat artifici in omnibus: ergo etiam voluntas debet Deo in omnibus obedire, etiam tunc, dum privatur concurfu divino alias debito. R. D. m. de ratione inftrumenti eft, ut obediat artifici vel juxta, vel contra fuam inclinationem privatam c. m. femper juxta inclinationem privatam n. m. Securis, dum in altum tollitur ab artifice, ei utique obedit, fed contra propriam fuam inclinationem, qua tanquam ens grave nititur deorfum.

Objic. 5. Voluntas eft indifferens ad agendum, vel non agendum: ergo cum impeditur agere, non patitur repugnantiam, vel violentiam. R. d. a. eft indifferens ad agendum, vel non agendum, id eft, ut agat, vel non agat ex propria fua determinatione, & juxta, non contra propriam inclinationem c. a. ut agat, vel non agat ex determinatione extrinfeca, v. g. Dei, & quidem contra propriam inclinationem n. a. & conf.

Cum hæc quæftio dependeat ab illa Philofophica, an Deus poffit inferre creaturæ violentiam, hinc bene fit, fi recolantur, quæ de hac re in Philofophia funt tradita. Ego vero ibi docui fententiam affirmativam, quæ invenietur fufe declarata apud P. Hoffer.

311 Affero 2. Poteft voluntas violentiam pati in iis, quæ poteft recipere. Ita P. Herincx. P. breviter per exempla. 1. Poffet Deus voluntati nolenti, & repugnanti infundere aliquos habitus v. g. virtutum. Neque obftat, quod voluntas habeat inclinationem naturalem ad tales habitus; nam fufficit, quod voluntas tali infufioni repugnet per appetitum elicitum, qui eft nobilior, & a quo ratio violenti defumi debet juxta Philofophiam. 2. Poffet Deus fe folo in voluntate nolente, & repugnante producere actum amoris, qui effet involuntarius, & violentus, quia ineffet contra inclinationem voluntatis. Neque poffet voluntas per illum amando attingere objectum, quamdiu perfifteret nolitio, & reluctatio refpectu ejusdem actus; alias

enim

enim simul, & semel voluntas vellet, & nollet amare, quod implicat in terminis, ut sæpius jam est insinuatum.

Articulus III.

An Metus, Concupiscentia, & Ignorantia causent involuntarium, vel voluntarium?

§. I.

De Metu.

Metus nil aliud est, quam quædam trepidatio mentis, ex instanti, 312
vel futuro periculo orta: ita sentit Ulpianus L. 1. ff. *de eo, quod metus causa.* Quare illud ex metu fieri dicitur, quod quis facit mali alicujus declinandi causa, alioquin id non facturus. Differt autem metus a violentia, quod ista physice, & effective impellat ad actum aliquem contra voluntatis inclinationem: metus vero tantum moraliter, objective, & per modum objecti motivi, objiciendo nempe aliquod malum, cujus declinandi gratia voluntas movetur ad operationem exercendam, quam non esset exercitura, nisi malum hoc timeret alias eventurum. Ita metus mortis movet Viatorem, ut bursam cum pecunia tradat latroni, quam non traderet extra casum intentatæ mortis.

Potest autem metus dupliciter se habere ad actum humanum, scilicet *antecedenter*, & *causaliter*, ac tantum *concomitanter*. *Antecedenter* se habet, quando ex metu tanquam causa motiva fit actio, ita, ut non fieret, si metus hic abesset: ut si Mercator projicit merces in mare metu naufragii, alioquin non projecturus, si periculum, & metus naufragii abesset. *Concomitanter* se habet, quando metus quidem est simul cum actione, non tamen est causa ejus. Sic Martyres cum metu mortis possunt subire supplicium ultimum, & tamen metus mortis non est causa hujus passionis, sed potius amor erga Deum. Item: potest quis, dum peste infectis ex charitate inservit, simul, & concomitanter concipere aliquem timorem mortis, qui tamen non est causa impulsiva, vel motiva hujus servitii, sed charitas: imo timor in his casibus potius foret causa, & motivum absterrens a martyrio,

& affiftentia peftiferis præftanda. Quæ fiunt primo modo, dicuntur fieri *ex metu*, quæ fecundo modo, *cum metu.*

Jam quæftio eft de iis folum, quæ fiunt ex metu, & quidem ut caufa motiva totali, ita, ut non fierent, nifi metus adeffet. Quæritur igitur de iis ita ex metu procedentibus, an fint voluntaria, vel involuntaria? pro quo

Nota ulterius ex P. Mezger: quatuor plerumque actus intervenire, dum aliquid ex metu gravi fit. E. g. dum Mercator ex metu mortis projicit merces in mare, tunc habet 1. amorem erga merces, qui perfeverat etiam fub actuali projectione. 2. Concipit fimul amorem, & defiderium vitæ confervandæ: & hic actus amori mercium præponderat: unde 3. efficaciter ftatuit jactare, & perdere merces pro confervanda vita. 4. tandem habet inefficacem, & conditionatam voluntatem non projiciendi merces, fi periculum mortis abeffet, quæ etiam nolleitas dicitur, & caufat triftitiam etiam poft mercium jactationem. H. N.

313 Affero 1. Quæ fiunt ex metu, funt frequenter mixta ex voluntario, & involuntario. Communis D. D.

P. breviter. Ex una parte Mercator in metu mortis, & naufragii conftitutus vult efficaciter, & eligit projectionem mercium, tanquam medium neceffarium, vel utile ad confervandam vitam; adeoque hæc projectio ex metu facta, eft voluntaria, quia ex voluntate efficaciter volente, & imperante procedit. Ex altera parte aliqualiter odit iftam projectionem mercium, tanquam fibi malam, eamque nollet, fi metus, & periculum mortis abeffet: ergo etiam aliqualiter eft contra inclinationem, & volitionem faltem conditionatam voluntatis: ergo &c.

Objic. 1. Quæ ex metu facimus, inviti, nolentes, & non fponte facimus: ergo, quæ ex metu fiunt, non funt fimpliciter voluntaria. R. D. a. facimus nolentes abfolute, & fimpliciter n. a. conditionate, & fecundum quid c. a. quæ facimus ex metu, abfolute facimus volentes, & folum ea conditionate nolumus. Ita etiam explicandus eft Philofophus, dum 3. Ethic. c. 1. ait: *Simpliciter nemo fortunas fuas projicit fponte;* id enim intelligendum eft, quod nullus projiciat fortunas fuas fponte, nulla facta fuppofitione mali imminentis, non autem facta tali fuppofitione: ut ipfe Philofophus fatis indicat, dum

cit.

cit. loc. ſubjungit hæc verba: *ſed omnes propter ſuam ſalutem ejiciunt merces, modo ſint ſanæ mentis. Tales igitur actus mixti quidem ſunt, iis autem* NB. *magis ſimiles, quos homines ſponte agunt.*

Objic. 2. Multi contractus, & actus ex metu facti ſunt invalidi: ſed hujus nulla eſt alia ratio, quam quia ſunt ſimpliciter involuntarii: ergo actus ex metu facti ſunt ſimpliciter involuntarii. M. conſtat de contractu Matrimonii, Profeſſione Religioſa &c. R. Iſti actus, & contractus non ideo a Jure ſeu naturali ſeu poſitivo ſunt irritati, vel ſaltem irritabiles, quaſi omnino eſſent involuntarii: ſed ideo, quia ex ſpecialibus motivis jus ad ſubſiſtentiam, & valorem talium actuum requirit voluntarium non qualecunque, ſed plenum, depuratum ab omni involuntario, orto ex metu injuſte incuſſo. Verum de hoc agetur in aliis Tractatibus.

Objic. 3. Metus mortis, vel alterius gravis mali ſæpe excuſat a peccato: ſed hoc ideo fit, quia metus tollit voluntarium: ergo. M. conſtat: ſic Leges Eccleſiaſticas ex metu mortis, vel alterius gravis mali transgrediens non peccat regulariter: & David 1. Reg. c. 21. manducando panes propoſitionis, Laicis Lege divina vetitos, non peccavit; quia neceſſitate famis, & metu mortis ad comedendos illos adigebatur. R. N. m. Excuſatio a peccatis in allatis, aliisque ſimilibus exemplis non oritur ex defectu voluntarii, ſed ex ipſa natura legum aliquarum, quæ in circumſtantiis gravis metus ceſſant obligare, prout plerumque fit in Legibus Eccleſiaſticis. Verum de hoc ſuo loco.

Aſſero 2. Actus ex metu factus ſimpliciter eſt voluntarius, licet 314
ſit frequenter involuntarius ſecundum quid. Ita communis. P. Illud eſt ſimpliciter voluntarium, quod abſolute volumus, & quod tantum nolumus conditionate ſub hypotheſi, quæ non datur: atqui quod fit ex metu, illud volumus abſolute, & tantum nolumus ſub conditione, quæ non datur, ut patet ex notandis. Sic ille, qui ex metu naufragii projicit merces, abſolute, & ſimpliciter vult projectionem mercium, & eam tantum non vult conditionate, ſub hypotheſi non exiſtente, ſi nempe abeſſet periculum naufragii, quod tamen non abeſt.

Quod autem talis actus frequenter ſit involuntarius ſecundum quid, patet; quia ſæpe fit cum aliquali diſplicentia, ut homo illum

nollet facere, nisi malum alias eventurum timeret: adeoque tunc est involuntarius, repugnans voluntati secundum quid.

Dixi in Assertione utraque, *frequenter*; nam, ut egregie observat Herincx, non omnis metus habet annexum involuntarium secundum quid. Ratio hujus est: Involuntarium secundum quid provenit in proposito inde, quia voluntas, dum aliquid facit ex metu, simul habet alium actum inefficacem, quo nollet hoc facere, si metus abesset: atqui voluntas aliquoties potest aliquid ex metu facere, quin simul habeat illum alium actum inefficacem, quo nollet hoc facere: ergo. M. constat ex prædictis m. p. quia illa nolleitas inefficax est aliquis actus voluntatis liber, consequenter potest libere a voluntate omitti, & non haberi: quis enim necessitat Mercatorem, dum projicit merces in mare, ut simul retineat amorem ad eas, & nolleitatem eas perdendi, si metus naufragii abesset. Nunquid ipse potest heroice se resolvere, & opes suas sine ulla reluctantia voluntatis, & sine ullo remanente affectu ad illas jactare in aquas? ubi certe plenarie erit libera, & voluntaria projectio illa, etsi ex metu sit orta.

315 Ex dictis resolves illam aliis sat molestam objectionem de attritione quæ sic proponi solet: Actus voluntatis ex metu conceptus est involuntarius secundum quid: atqui attritio ex metu gehennæ est actus ex metu conceptus: ergo attritio est involuntaria secundum quid. Atqui attritio non potest esse involuntaria secundum quid; alias enim, qui attereretur, retineret affectum conditionatum ad peccatum, & vellet peccatum, ac nollet de eo dolere, si metus inferni non esset. Verum hoc esset contra Concilium Tridentinum, & communem Theologorum, juxta quos attritio debet excludere omnem affectum ad peccatum: ergo. R. autem breviter D. M. Actus voluntatis ex metu conceptus est *frequenter* involuntarius secundum quid c. M. semper & indispensabiliter n. M. Imo attritioni specialiter repugnat omnis simultaneus affectus ad peccatum; per attritionem enim efficaciter volo fugere gehennam, quam metuo: ast, quomodo vellem efficaciter evadere gehennam, si simul ponerem causam inductivam pœnæ gehennalis, scilicet affectum illum conditionatum ad peccatum grave, qui certe graviter esset peccaminosus, & mereretur æternam damnationem. Quare hoc argumentum confirmat, quod possit, & debeat quandoque aliquid ex metu fieri, quin sit simul involuntarium.

Colli-

Colliges ex dictis: Metum nunquam per se, interdum autem per accidens excusare a peccato; non enim excusat per se, quia metus ex sua natura, & per se non tollit voluntarium, aut libertatem ad peccandum requisitam: per accidens tamen aliquoties excusat, vel, quia interdum turbat perfectum usum rationis, & liberi arbitrii, vel quia ob gravitatem mali imminentis cessat alicujus præcepti obligatio. De quo, ut jam dixi, suo loco.

§. II.

De Concupiscentia.

Concupiscentia est motus, vel passio appetitus sensitivi, bonum 316 delectabile prosequentis, vel malum oppositum fugientis. Tales passiones sunt Amor, Desiderium, Gaudium, Odium, Fuga, Tristitia, Audacia, Ira.

Dividitur in *antecedentem*, & *consequentem*. Concupiscentia *antecedens* est, quæ ex apprehensione objecti delectabilis, vel oppositi deliberationem intellectus, & consensum voluntatis prævenit, ac vehementia sua voluntatem secum rapit ad idem objectum, si est delectabile, amplectendum; vel si est oppositum, & contrarium, fugiendum. Concupiscentia, seu passio appetitus sensitivi *consequens* est, quam voluntas præmeditate, & advertenter, ac ex proposito excitat, & imperat in appetitu sensitivo, vel prævie jam excitatam deliberate admittit, & acceptat absque resistentia. Ita ira repentina est passio, & concupiscentia antecedens, quia deliberationem intellectus, & consensum voluntatis prævenit: ira vero præmeditata est concupiscentia consequens, quia præviam deliberationem intellectus, & voluntatis consensum subsequitur.

Assero 1. Passio, seu concupiscentia antecedens interdum cau- 317 sat absolute voluntarium sine ullo involuntario. Herincx, & alii satis communiter.

P. Concupiscentia ex Sympathia sua, quam habet cum voluntate, hanc sæpe ita suaviter allicit, ut feratur in objectum sensibile tantum propositum sub ratione commoditatis, & delectabilitatis: ergo tunc concupiscentia causat merum voluntarium sine ullo involuntario. c. constat; quia involuntarium etiam secundum quid tantum potest provenire ex fuga, & displicentia alicujus mali adversantis quo-

dammodo voluntati: atqui concupifcentia fæpe nullam rationem mali offert voluntati, non raro enim turbat intellectum, ut is non poffit confiderare mala in objecto fenfibili latentia, fed impellit illum, ut tantum apprehendat bonitatem fenfibilem, & delectabilem, & hanc folam voluntati oftendat: quam igitur fic folam propofitam, trahente pariter concupifcentia, voluntas fine ulla difplicentia, aut nolleitate, confequenter fine ullo involuntario, actu fatis intenfo profequitur. Et quamvis interdum aliquæ circumftantiæ, quæ a confenfu abfterrere poffent, in objecto fenfibili per intellectum proponantur voluntati, hæc tamen jam inefcata ab appetitu fenfitivo, & bonitate delectabili, minime attendit malitiam objecti, nec ab hac ad difplicentiam aliquam movetur, ut mifera experientia in peccatoribus oftendit: ergo.

Objic. 1. Scotus 4. d. 29. n. 12. ait: *In inductione per blanditias, & delicias, multum eft de voluntario, parum de involuntario:* ergo. R. 1. N. c. Appetitus enim fenfitivus, qui eft in eadem anima cum voluntate radicatus, longe fortius hanc movet, quam blanditiæ, & deliciæ externæ. R. 2. Scotum tantum velle, quod quandoque ex concupifcentia oriatur actus mixtus ex voluntario, & involuntario, prout & ego dicam Affertione 3tia.

Objic. 2. Concupifcentia minuit cognitionem objecti: ergo minuit fimul voluntarium, & caufat partialiter involuntarium. R. c. a. d. c. ergo minuit voluntarium liberum c. c. voluntarium fimpliciter n. c. Quod libertatem indifferentiæ minuat, afferet conclufio fequens; non autem minuit voluntarium fecundum fe.

Objic. 3. Gravius peccatum eft ex malitia, quam ex concupifcentia: ergo in peccato ex concupifcentia reperitur aliquid involuntarii. R. D. a. & hoc ideo, quia peccatum ex malitia eft magis præmeditatum, & liberum c. a. alia ex caufa n. a. & conf.

318 Affero 2. Concupifcentia antecedens minuit libertatem contingentiæ, & indifferentiæ. Henno, Herincx, & alii.

P. 1. Libertas contingentiæ confiftit in indeterminatione, & indifferentia ad agendum, & non agendum, vel ad oppofitum faciendum: fed hæc indifferentia minuitur per concupifcentiam: ergo. m. p. 1mo Concupifcentia impellit fortiter, & fuaviter voluntatem ad id determinate profequendum, in quod fertur appetitus fenfitivus. 2do. Impedit intellectum, ne attendat ad varias objecti circumftantias, quæ

quæ voluntatem a consensu abstrahere possent: Imo aliquando tanta est indeliberatio rationis orta ex concupiscentia, ut libertas ad peccandum sufficiens penitus tollatur, ut, si objectum sub nulla ratione appareat inhonestum, vel malum moraliter, sed tantum proponatur sub delectabilitate sensibili. Quare tales actus, etsi procedant a voluntate, non habent libertatem moralem, sed mere physicam, & sunt actus primo-primi.

His non obstantibus, ordinarie in actibus ex concupiscentia ortis est sufficiens libertas ad peccandum. *Tum:* quia regulariter adest debitus usus rationis, considerans malitiam moralem objecti, *tum:* quia indifferentia voluntatis a passionibus sensitivis non tollitur penitus; concupiscentiæ enim possunt quidem voluntatem suaviter invitare ad consensum, nolentem tamen cogere nequaquam possunt.

P. Assertio 2do. In communi hominum æstimatione, qui magna concupiscentia illecti peccarunt, censentur magis venia digni, quam illi, qui ex præmeditata malitia, sine ullo motu appetitus sensitivi stimulante, transgressi sunt aliqaum legem: sed hujus nulla alia ratio est, quam quod concupiscentia antecedens minuat libertatem indifferentiæ, proinde & malitiam peccati, quæ proportionatur libertati nostræ: ergo.

Objic. Concupiscentia non minuit voluntarium, sed potius auget: ergo neque minuit liberum. R. N. c. & parit. Nam voluntarium dividitur in liberum, & necessarium, non tanquam genus in suas species, sed tanquam subjectum in sua accidentia, sicut homo dividitur in album, & nigrum. Hinc potest idem actus voluntarius de necessario fieri liber: ut si Petrus a Deo necessitatus ad amandum Paulum, cessante illa necessitate libere continuet amorem eundem, de quo alibi plura. Jam potest minui accidens v. g. albedo, quin minuatur subjectum ejus, scilicet homo: ergo a pari potest minui accidens voluntarii, scilicet libertas indifferentiæ, quin minuatur subjectum, nempe ipsum voluntarium.

Hæc tamen solum locum habent de concupiscentia antecedente, non autem consequente; consequens enim eo ipso, quod voluntarie sit a voluntate causata, non videtur in æstimatione morali minuere libertatem, aut malitiam peccati. Ex dictis

Colliges : Vitiosos motus primo primos voluntatis ex passione concitatos non esse peccaminosos, quamdiu non accedit vel formalis, vel interpretativa advertentia rationis ad malitiam moralem; tunc enim deest ipsis libertas moralis: quam primum autem accedit advertentia rationis, fiunt peccaminosi, nisi quantocyus voluntas resistat; tunc enim passiones fiunt ex antecedentibus consequentes, & sunt liberæ, libertate saltem interpretativa.

319 Assero 3. Interdum actus voluntatis ex incitante concupiscentia orti, sunt involuntarii secundum quid. Ita P. Herincx. Ratio hujus est: quamvis concupiscentia suaviter alliciat, & rapiat voluntatem ad aliquod objectum amplectendum, nihilominus in ipsa passione quandoque vehementissima peccatores sentiunt magnas molestias ob conscientiæ remorsus, & alias difficultates, quæ se objiciunt in sectandis suis voluptatibus, propter quæ mala non raro liberari desiderant a suis passionibus, & concupiscentiis etiam tunc, dum ipsas actu sequuntur: adeoque tunc habent aliquam displicentiam, & involuntarium conjunctum cum voluntario: ergo.

Quæres: Quomodo liberum arbitrium, seu voluntas moveatur ab appetitu sensitivo, seu concupiscentia? Ante responsionem nota, jam ex dictis constare, quod voluntas a concupiscentia sæpissime moveatur, seu trahatur ad aliquid affectandum, vel fugiendum. Quod & S. Jacobus c. 1. affirmat, dicens: *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, & illectus.* H. N.

R. Hoc totum fieri per quamdam Sympathiam, & consensum, quem habent inter se appetitus sensitivus, & rationalis, seu concupiscentia, & voluntas; sunt enim potentiæ, & appetitus radicati in eadem anima. Unde fit, ut appetitu sensitivo eliciente actum circa proprium suum objectum sensibile, voluntas pariter alliciatur ad ponendum actum circa idem objectum sensibile, præcedente tamen cognitione intellectiva, quæ voluntati in omni sua operatione prælucere debet.

§. III.

§. III.

De Ignorantia.

Ignorantia eſt carentia ſcientiæ, vel notitiæ alicujus rei.

Varie dividitur; alia enim eſt *ſimplicis privationis*, quæ & *privati-* 320
va dicitur: & hæc conſiſtit in ſola carentia cognitionis, & ſcientiæ debitæ, & datur tunc, quando quis ſimpliciter ignorat, aut neſcit illas res, quas ſcire deberet, & poſſet. Hac ignorantia privativa ſæpe laborant rudes, dum myſteria fidei noſtræ ad ſalutem neceſſaria non addiſcunt. Alia eſt ignorantia *poſitiva*, ſeu *pravæ diſpoſitionis*: hæc præter carentiam debitæ ſcientiæ importat ſimul errorem poſitivum in intellectu: ut, ſi Arianus, neſciens Chriſtum ſimul eſſe Deum, & Hominem, judicet erronee, eum eſſe purum Hominem.

Iterum aliqua ignorantia eſt *Juris*, & altera *facti*. *Prior* datur, quando ignoratur aliqua Lex, vel ejus obligatio: ut, ſi quis neſciat, prohibitam eſſe lectionem librorum hæreticorum, vel præceptam eſſe die veneris abſtinentiam a carnibus. *Altera* datur, quando quidem ſcitur Lex præcipiens, vel prohibens, ignoratur tamen factum, quod Lege prohibetur, vel circumſtantia facti: ut, ſi ſciens quidem, lectionem librorum hæreticorum eſſe prohibitam, abſtinentiam a carnibus die veneris eſſe præceptam, neſciat tamen, librum hunc, quem legit, eſſe hæreticum, vel cibum, quem comedit, eſſe carnem.

Ulterius dividitur in *antecedentem*, *conſequentem*, & *concomitantem*. Ignorantia *antecedens* eſt illa, quæ antecedit actum voluntatis, & morali, ac debita diligentia adhibita vinci non potuit: ea proinde nec directe, nec indirecte eſt voluntaria. Dicitur etiam *invincibilis*; quia nempe moraliter vinci non poteſt: *inculpabilis*; eoquod non ſit voluntaria, & hominem illa laborantem excuſet a culpa, & peccato: ac tandem *probabilis*, & *cauſa operis*; eſt enim ſuo modo cauſa, ut aliquis actus fiat, qui nempe alias non fieret abſente hac ignorantia: ut, ſi trajicias hominem, quem invincibiliter exiſtimas eſſe feram, neutiquam trajecturus, ſi ſcires, eum eſſe hominem. Eſt igitur in tantum cauſa operis, in quantum removet ſcientiam, quæ alias impediiſſet operationem.

Ignorantia *conſequens* eſt, quæ ſequitur actum voluntatis, vel formalem, vel interpretativum, adeoque vel directe, vel indirecte eſt voluntaria: unde

unde & *vincibilis*, *culpabilis*, ac *improbabilis* merito appellatur. *Directe* voluntaria est illa, quam quis studio quærit, & data opera retinet: ut, dum quis studiose negligit ea scire, & addiscere, quæ sunt Christiano scitu necessaria, ut liberius possit peccare: vel, si aliquis non accedat concionem ideo, ne audiat promulgari jejunium, & ita liberius possit omittere observationem ejusdem. Hæc ignorantia vocatur *affectata*. *Indirecte* voluntaria est, cum quis ad deponendam ignorantiam non adhibet eam diligentiam, quam potest, & debet adhibere: estque interdum *crassa*, & *supina*, cum nullam, vel omnino modicam operam impendit: interdum *non crassa*, cum quidem aliquam, non tamen sufficientem diligentiam applicat.

Ignorantia *concomitans* est, quæ nec movet ad operandum, nec removet ab operatione, sed ita afficit operantem, ut eodem modo operaretur, si talis ignorantia abesset: quare actum voluntatis nec antecedit, nec sequitur, sed se habet concomitanter, & quasi per accidens ad illum. Ut, si Petrus explosione sclopeti occidat inimicum suum, quem invincibiliter credit esse feram, eum nihilominus occisurus, si etiam nosset, quisnam esset. His præsup.

321 Assero 1. Ignorantia antecedens suo modo causat involuntarium positivum quoad id, quod ignoratur. Ita communissima. P. Quod causat effectum repugnantem saltem interpretativæ inclinationi voluntatis, causat involuntarium simpliciter, & suo modo positivum: sed ignorantia antecedens causat effectum omnino repugnantem saltem interpretativæ voluntati; quia, si adesset notitia, & abesset ignorantia, talis actus nullo modo poneretur: ergo ignorantia antecedens suo modo causat involuntarium simpliciter, & suo modo positivum. Ex hoc

Deduces 1. Ignorantiam antecedentem excusare operantem vel ex toto, vel ex parte, prout nempe objectum malum vel ex toto, vel ex parte ignoratur.

Deduces 2. Quia inadvertentia, & oblivio est quædam ignorantia actualis, ideo illud ipsum per omnia esse tenendum de inadvertentia, & oblivione invincibili, quod de ignorantia antecedente, & invincibili dicitur.

Objic. Actus, quem causat ignorantia antecedens, est simpliciter voluntarius: ergo ignorantia antecedens non causat involun-

voluntarium. A. p. Dum quis sclopeto trajicit hominem, putans invincibiliter, eum esse feram, explosio sclopeti, & trajectio est simpliciter voluntaria; fit enim libere: ergo. R. D. a. est voluntaria sub illa ratione, sub qua est objectum cognitum c. a. sub alia ratione n. a. Hinc in genere moris præfata explosio, & trajectio tantum est voluntaria sub ratione fericidii, non autem sub ratione homicidii.

Affero 2. Ignorantia consequens non causat involuntarium simpliciter, sed potius voluntarium; 2. Nihilominus saltem aliquoties est causa involuntarii secundum quid. 322

P. 1ma pars. Si voluntaria est causa, tunc etiam est voluntarius effectus, qui a tali causa causatur, & eam sequitur: atqui ipsa ignorantia consequens est voluntaria: ergo etiam illi actus, qui causantur, & procedunt ex hac ignorantia, sunt voluntarii.

P. 2da. pars. Ad involuntarium secundum quid sufficit, quod actus aliquis sit contra aliqualem inclinationem voluntatis: atqui actus proveniens ex vincibili, & consequente ignorantia sæpe est contra aliqualem inclinationem voluntatis: ergo. m. constat: sic, qui ex vincibili ignorantia occidit suum amicum, putans, eum esse feram, dolet, se occidisse &c.

Dixi tamen: *saltem aliquoties*, nempe tunc, quando ignorantia non est *affectata*; ignorantia enim affectata, ex magna propensione voluntatis ad peccatum orta, videtur juxta aliquos voluntarium potius augere, quam minuere; taliter enim ignorans ita pleno affectu ruit in peccatum, ut omne impedimentum absterrens conetur tollere, adeoque cognitionem obligationis,ac conscientiæ remorsum, tanquam frœnum rationis, malitiose abjicere tentet, dicens cum impiis apud Job c. 21. *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Ita sentit D. Thomas cum aliis. Si igitur actus, qui ex ignorantia affectata procedit, sit contra aliqualem inclinationem voluntatis, id non provenit ab ignorantia tanquam causa, sed aliunde, scilicet a stimulis conscientiæ remordentis, a difficultatibus, quæ sæpe se objiciunt in sectandis voluptatibus.

Objic. 1. Ignorantia est mera privatio, scilicet scientiæ: atqui privatio non potest esse causa alicujus actus positivi, seu voluntarii: ergo. R. D. m. non potest esse causa habens positivum influxum c.

m. privativum n. m. Ignorantia influit saltem privative, & negative, in quantum removet impedimentum, videlicet scientiam, quæ si adesset, actus voluntarius non fieret.

Objic. 2. Quod fit ex ignorantia, fit sine cognitione, sed quod fit sine cognitione, non est voluntarium: ergo, quod fit ex ignorantia, non est voluntarium. R. D. M. quod fit ex ignorantia antecedente, fit sine cognitione c. M. ex ignorantia vincibili, & consequente *subd.* fit sine cognitione explicita, & clara c. M. fit sine cognitione saltem in confuso, & genere, qua res vel in se, vel in sua causa, vel in aliqua circumstantia sufficienter cognoscitur n. M.

323 Assero 3. Ignorantia concomitans nec voluntarium, nec involuntarium positivum causat, sed ad utrumque impertinenter se habet. Communis.

P. 1ma pars. Quod invincibiliter non est cognitum, non potest esse voluntarium: atqui, quod fit cum ignorantia concomitanti, invincibiliter non est cognitum; si enim tantum vincibiliter non esset cognitum, tunc jam esset ignorantia consequens, non concomitans: ergo, quod fit ex ignorantia concomitanti, non potest esse voluntarium.

P. 2da pars. Quod non est contra aliquam positivam inclinationem voluntatis, non est positive involuntarium: atqui quod fit cum ignorantia concomitanti, non est contra aliquam positivam inclinationem voluntatis, cum potius voluntas habeat magnam propensionem ad tale factum, ita, ut illud adhuc exequeretur, si hæc ignorantia abesset: ergo neque causat involuntarium positivum. Restat ergo, quod tantum sit involuntarium negativum, seu non voluntarium, quia nempe deficit cognitio requisita ad positivum voluntarium. Videantur dicta supra Art. 2. n. 302. Ex his

Resolves illum casum, quo Petrus inimicum suum occidit, quem putavit quidem invincibiliter, esse feram, occidisset tamen, etsi scivisset, quisnam esset: in hoc enim casu Petrus non peccavit peccato homicidii externi, proinde nec incurrit pœnas homicidio annexas, nec tenetur quidquam restituere hæredibus occisi; quia hic defuit cognitio objecti, adeoque iste actus eatenus non fuit voluntarius: peccavit tamen homicidio interno, cum fuerit ita dispositus, ut inimicum, quem pro fera occidit, adhuc occidisset, si scivisset, esse inimicum.

Objic.

Objic. Petrus 1mo habuit desiderium homicidii, & actu occidit inimicum suum. 2. Dum rescit, occisum esse inimicum, gaudet: ergo reus est homicidii.

R. ad 1. D. a. Habuit desiderium homicidii, quod tamen non influxit in homicidium externum ob defectum cognitionis debitæ c. a. quod influxit n. a. Nihil voluntarium, quin præcognitum: cum ergo homo invincibiliter non fuerit cognitus, sic neque occisio ejus, qua hominis, potuit esse voluntaria.

Ad 2. iterum D. a. Et ex hoc gaudio solum sequitur, quod homicidium sit volitum c. a. quod sit voluntarium n. a. Qualis sit distinctio inter præcise volitum, & inter voluntarium etiam in re morali, facile percipietur ex n. 292.

Quæ de ignorantia dicenda restarent, in Tractatu de Legibus commodius expedientur.

Dissertatio II.

DE LIBERTATE, SEU LIBERO ARBITRIO.

Libertas varie accipitur. Alia est libertas *a servitute*, & alia *a coactione*. 324 Libertatem *a servitute* habent, qui non sunt mancipia, seu non sunt subditi servituti proprie dictæ. Libertate *a coactione* gaudent, qui non patiuntur violentiam, aut coactionem in suis operationibus, quas proinde sponte eliciunt. Hoc in sensu libertas confunditur cum spontaneo, & convenit brutis quoque, quæ, etsi necessario agant, non tamen proprie coguntur. Ratio hujus est: quia, quidquid agunt bruta, procedit ab eorum proprio, & intrinseco appetitu: ergo bruta non patiuntur coactionem in suis operationibus, quia coactio provenit a principio, & agente extrinseco contra appetitum passi. Vide dicta n. 302. Hi autem, & alii modi libertatis non adeo sunt ad rem. Quare magis ad propositum

Libertas dividitur in *essentialem*, & *accidentalem*. *Essentialis* est ipsa voluntareitas: quare in hac acceptione principium liberum est principium voluntarium, seu est voluntas agens ex prævia cognitione intellectiva. Libertas ista minime opponitur necessitati, imo cum illa

 stare

ſtare poteſt, ut juxta pleroſque Theologos ſit in amore beatifico; hunc enim ſatis communiter dicunt, eſſe neceſſarium, non obſtante, quod ſit voluntarius, ac proinde liber libertate eſſentiali. Nihilominus opponitur principio *naturali*; principium enim naturale qua tale non præſupponit cognitionem præviam rationalem, qua mediante ſe ipſum eligibiliter & ex propoſito determinet, ſed jam aliunde ab Authore naturæ, vel ex ſua eſſentia eſt determinatum ad agendum in his, aut illis circumſtantiis. Item opponitur coactioni, & violentiæ ſimpliciter tali; hæc enim tollit voluntarium, conſequenter & libertatem eſſentialem, a voluntario indiſtinctam. De hac libertate eſſentiali plura dici ſolent in Tractatu de Deo Trino, ubi agitatur controverſia, an Spiritus Sanctus ſimul libere, & neceſſario procedat.

Libertas *accidentalis*, & *contingentiæ*, quæ & liberum arbitrium dicitur, & de qua hic unice controvertitur, eſt indeterminatio, & indifferentia, qua agens, vel potentia aliqua, poſitis etiam omnibus ad agendum requiſitis, indifferens manet ad agendum, vel non agendum, ad agendum hoc, vel illud, unde quoque appellatur libertas indifferentiæ, ac nequit ſtare cum neceſſitate. Sic dato, quod verum ſit, amorem beatificum eſſe phyſice neceſſarium, tunc ille non eſt ſimul liber libertate indifferentiæ; neceſſitas enim phyſica determinat ad unum, & tollit indifferentiam. De hac igitur libertate contingentiæ plures graves quæſtiones agitabuntur. Quare ſit

Articulus I.

Quid ſit libertas indifferentiæ, & an detur in homine lapſo?

§. I.

Explicatur natura liberi arbitrii.

325 Affero 1. Libertas hominis, in ſe formaliter, & eſſentialiter ſpectata, eſt ipſa voluntas. Scotus 2. D. 5. q. 2 §. *Reſpondeo: primo videndum.* ℣. *Dico igitur, quod inſtantia iſta:* eſt hic verſus vere circa finem dicti §. 1. ſat longi. ibi: *Libertas non eſt aliquid ſuperadditum voluntati,*

imo

imo de per ſe ratione ejus eſt. Pro hac concluſione plures SS. Patres citat Herincx: Eorum loco ſufficiat unus S. Damaſcenus l. 2. de fide, c. 14. dicens: *Patres liberum arbitrium voluntatem eſſe definierunt.*

P. 2. Illa eſt libertas, per quam meremur, & demeremur: ſed per voluntatem meremur, & demeremur: ergo ſola voluntas eſt libertas. M. eſt certa, quia nemo pœna, vel præmio eſt dignus, niſi qui libere agit. m. conſtat ex D. Auguſtino L. de duabus animabus dicente: *non niſi voluntate peccatur, & bene vivitur.*

P. 3. De ratione libertatis eſt, etiam poſitis omnibus ad agendum requiſitis, poſſe agere, vel non agere, & immediate habere dominium plenum actuum ſuorum, ut poſſit de illis diſponere, prout lubet: atqui ſola voluntas, etiam poſitis omnibus ad agendum requiſitis, poteſt agere, vel non agere, & immediate habet dominium ſuorum actuum: ergo voluntas eſt libertas.

Deduces 1. Libertatem non eſſe aliquem actum voluntatis: cujus 326
ratio ulterior eſt, 1. quia libertas eſt permanens, & inamiſſibilis, actus vero voluntatis eſt tranſiens. 2. libertas eſt indifferentia ad agendum, vel non agendum: atqui hæc indifferentia præſupponitur actui: ergo. 3. vel actus ille, qui conſtituere deberet libertatem, eſſet libere elicitus, vel non eſſet libere elicitus? ſi primum: tunc jam præſupponit libertatem, ſeu principium liberum, a quo eliciatur. Si ſecundum: tunc actus non libere elicitus, ſeu non liber, non poteſt voluntatem formaliter reddere liberam.

Deduces 2. Neque libertatem eſſe habitum: cujus ratio inſuper eſt, quia habitus tantum inclinat ad agendum, libertas vero etiam ad non agendum. 2. Habitus tantum determinat ad unum, nec eſt indifferens: quod etiam de habitibus voluntatis eſt verum: quamvis enim voluntas ſuos habitus libere applicet ad agendum, vel etiam cohibeat, ne agant: illi tamen ſemel a voluntate applicati, neceſſario, & naturaliter agunt.

Neque dicas: Habitum voluntatis etiam libere a voluntate applicari; nam contra eſt: ergo voluntas jam antecedenter ad habitum talem eſſet in ſe formaliter libera, cum potentia volitiva in ſe ſpectata, haberet potentiam libere, ac pro libitu ſuo applicandi, vel non applicandi illum habitum, quæ potentia ita libere agendi eſſet ipſa libertas: ergo. Sed

Dices 1. S. Bernardus, & D. Bonaventura definiunt libertatem per habitum. R. D. definiunt libertatem per habitum, accipiendo habitum pro mera aptitudine, & ipsa potentia ad actum c. in alio sensu n.

Dices 2. Libertas potest intendi, & remitti: sed voluntas non potest intendi aut remitti, bene habitus: ergo. M. p. Homo ante lapsum teste D. Augustino erat magis liber, quam post lapsum. 2. aliqui homines in utramque partem facillime flectuntur, alii difficillime: ergo libertas in uno est intensior, quam in altero. R. N. M. Libertas in se nec intenditur, nec remittitur, sed alia impedimenta extrinseca, ut fomes concupiscentiæ, & peccati, nec non habitus boni, vel pravi faciunt, ut voluntas quandoque intensius, faciliusque, quandoque remissius, difficiliusque sua libertate in eliciendis suis actibus utatur.

Deduces 3. Neque liberum arbitrium consistere partialiter, aut omnino præcipue in intellectu. Hæc resolutio est contra Durandum. Patet 1. ex dictis. 2. quia potentia libera, etiam positis omnibus ad agendum requisitis, debet esse indifferens ad agendum, vel non agendum: atqui intellectus positis omnibus ad agendum requisitis non est indifferens ad agendum, vel non agendum, sed debet necessario agere. Hinc si ei objectum intelligibile est debite propositum, debet illud necessario intelligere: non autem voluntas debet necessario amare bonum amabile debite propositum, sed potest suspendere, vel omittere actum amoris: ergo. 3. quia non peccamus per intellectum ante consensum voluntatis; sed hoc inde tantum fit, quia actus intellectus independenter ab imperio voluntatis non sunt liberi, consequenter quia intellectus in se consideratus non est liber, & indifferens in agendo: ergo.

Dices: Voluntas necessario sequitur ultimum dictamen intellectus: ergo libertas debet esse in intellectu. R. N. a. Ratio negandi colligetur ex Articulo sequenti.

327 Assero 2. Voluntas est libera, non quatenus est potentia mere passiva, & receptiva suorum actuum, sed quatenus est activa, & operativa, & potest tendere in objectum, vel non tendere. Scotus 2. d. 25. n. 2. Herincx, Poncius, & alii.

P. 1. Libertas, seu liberum arbitrium definitur, quod sit potentia, quæ positis omnibus ad agendum requisitis potest agere, vel non

agere:

agere: ſed potentia, quæ poteſt agere, vel non agere, eſt activa: ergo.

P. 2. S. Scriptura, Patres, & Concilia paſſim explicant libertatem per potentiam volendi, & non volendi, faciendi, & non faciendi: ſed potentia volendi, faciendi &c. eſt potentia activa, & operativa: ergo.

P. 3. Tridentinum ſeſſ. 6. can. 5. anathemate ferit aſſerentes, quod liberum arbitrium in juſtificatione nihil omnino agat, ſed mere paſſive ſe habeat: ergo Tridentinum cenſet, voluntatem eſſe liberam, quatenus ea eſt activa.

Objic. 1. Libertas conſiſtit in indifferentia: atqui voluntas qua potentia paſſiva, & receptiva habet indifferentiam ad varios actus recipiendos: ergo voluntas eſt libera, quatenus eſt potentia receptiva, & paſſiva. R. D. M. conſiſtit in indifferentia ſola n. M. in indifferentia, & in virtute intrinſeca, qua potentia libera pro libitu ſuam indifferentiam poteſt determinare ad actum ponendum, vel non ponendum c. M. Etſi murus ſit indifferens ad varios colores recipiendos, non tamen eſt liber; quia pro libitu ſuo non poteſt ſe determinare ad hunc colorem præ alio, ſed illum neceſſario recipit, ad quem ab agente determinatur.

Objic. 2. Poſſet voluntas pro libitu ſuo reſiſtere, vel non reſiſtere receptioni actus, atque ſic eſſe libera paſſive: ergo. R. D. a. poſſet reſiſtere mere paſſive ſe habendo n. a. active c. a. Non poteſt voluntas aliter reſiſtere alicui actui, quam ipſum poſitive nolendo, vel concurſum ſuum ſubtrahendo: atqui nolitio, tanquam actus elicitus, & ſubtractio concurſus activi ad voluntatem tanquam potentiam activam ſpectant.

Quæres: An libertas nihil omnino ſupperaddat voluntati? R. 321
Libertas eſſentialiter, & in recto ſpectata eſt ipſiſſima voluntas: in obliquo vero connotat aliqua. Prima pars conſtat ex prima aſſertione: ſecunda vero inde fit liquida; quia libertas indifferentiæ proxima, ſeu in actu primo proximo debet connotare omnia ad agendum requiſita, & ſimul abſentiam omnis neceſſitatis antecedentis, ita, ut poſito toto actu primo proximo, & omnibus requiſitis voluntas poſſit agere, vel non agere: id, quod ex ipſa deſcriptione libertatis indifferentiæ colligitur. Quare cum omnibus ad agendum requiſitis debet

bet posse componi vel actio, vel non actio, prout voluntati libuerit: sic præsentibus, & positis omnibus ad amandum Deum requisitis, potest homo pro libitu voluntatis vel elicere actum amoris, vel omittere. Nihilominus minime obstat libertati necessitas consequens, etsi ea se teneat ex parte actus primi proximi: ut, si aliquod ex requisitis infert necessario actum, interim tamen hoc ipsum requisitum est libere a voluntate positum antecedenter, vel saltem consequenter impedibile: prout ex iis, quæ Philosophia de libertate tradit, palam est.

Dices: Decretum Dei de creando mundo se tenet ex parte actus primi proximi, requisiti ad creandum mundum: atqui cum hoc decreto nequit componi omissio creationis mundi: ergo cum actu primo proximo non debet semper posse componi non actio, vel omissio actionis. R. N. M. nam decretum illud se tenet ex parte actus secundi, imo est ipse actus creativus mundi, quocum non potest componi ejus omissio, sicut cum sessione tanquam actu secundo, nequit componi ejus negatio, & omissio.

Libertas hæc *indifferentiæ* (quæ etiam libertas *a necessitate* dici solet) est duplex, *exercitii* videlicet, & *specificationis*: utriusque descriptionem in Philosophia vide. Hoc unice nota, quod ad actum meritorium, vel demeritorium exigatur quidem libertas contradictionis, & exercitii, non autem libertas specificationis, vel contrarietatis.

§. II.

An in homine, etiam post lapsum Adami, detur liberum arbitrium, seu libertas indifferentiæ?

329 Assero, & Respondeo affirmative. Ita Catholica fides docet contra Manichæos, & Priscillianistas: item contra Lutherum, & Calvinum dicentes, liberum arbitrium esse titulum sine re, & contra alios.

P. Tridentinum sess. 6. de Justif. can. 5. sic habet: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Sathana invectum in Ecclesiam, anathema sit.* Hoc in canone Concilium accipit liberum arbitrium, prout illud communiter accipitur, & acc piebatur

a Ca-

a Catholicis Doctoribus: atqui DD. Catholici per liberum arbitrium semper intelligebant libertatem non solum a coactione, sed & a necessitate: ergo. Quare

Non dicas cum Bajo, & Jansenio: libertatem quidem dari in ho- 330
mine post lapsum Adæ, sed eam non esse libertatem indifferentiæ ad opposita, quæ est libertas a necessitate, sed esse solam libertatem a coactione, & violentia. Ideo autem juxta hos libertas a coactione ad meritum, & demeritum sufficit, quia (prout ipsis videbatur) in statu naturæ lapsæ est impossibilis libertas a necessitate, ita ut voluntas hominis positis omnibus ad agendum requisitis possit agere, vel non agere: cujus rationem ex D. Augustino, sed immerito, vult deducere Jansenius l. 1. c. 9. quia voluntas semper trahitur a delectatione victrici, & prævalente vel terrena, vel cœlesti. Per delectationem terrenam intelligit concupiscentiam, & fomitem peccati, per cœlestem vero indigitat gratiam divinam. Quare secundum eum, si concupiscentia alliciens ad peccatum sit intensa ut septem, gratia vero divina retrahens a peccato sit tantum intensa ut sex, vel ut quinque, tunc necessario homo a concupiscentia in peccatum pertrahetur: & sic est vicissim; si enim gratia sit intensior, quam concupiscentia, tunc & homo erit necessitatus ad evitandum peccatum, & faciendum bonum.

Verum contra hanc pestiferam, gratiæ divinæ, & nostro arbitrio inimicam doctrinam ita ulterius

Argumentor 1mo. ex S. Scriptura, quæ admittit in homine etiam post lapsum Adæ indifferentiam, & liberam potestatem ad agendum, & non agendum, ac consequenter libertatem a necessitate. Ita 1*mo.* dicitur Num. 30. *In arbitrio viri erit, sive faciat, sive non faciat.* 2*do.* Epist. 1. ad Corinth. 7. habetur: *Non habens necessitatem, potestatem autem habens voluntatis suæ.* 3*tio.* Eccli 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit.* 4*to.* Josue 24. *Optio vobis datur, eligite, quod vobis placet.* 5*to* Eccli 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui: adjecit mandata, & præcepta; si volueris mandata servare, conservabunt te. Apposuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam: ante hominem vita, & mors, quod placuerit ei, dabitur illi.*

Dicunt Hæretici cum Calvino l. 2. Institut. c. 5. hos textus tantum intelligendos esse de homine integro, seu de Adamo, & Eva

ante lapsum in peccatum originale, non autem de hominibus post labem originalem contractam. Verum hoc falsum est; nam 1mo. Textus Pauli ad Corinthios expresse loquitur de hominibus Christianis. Et illud Ecclesiastici: *qui potuit transgredi, & non est transgressus*, dicitur generaliter de omnibus Justis, non de solo Adamo, vel Eva. Illud Josue ultimo: *optio vobis datur* &c. dicebatur ad Israelitas præsentes tunc, quos vir ille sanctus, morti jamjam propinquus, ad observandam legem, & pietatem in Deum animabat. Textus tandem Eccli. 15., quem ultimo loco allegavi, aperte dirigitur ad homines viventes, ut patet ex illis verbis: *si volueris mandata mea servare, conservabunt te; apposui tibi ignem, & aquam.* Item illa: *ante hominem vita, & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi;* hæc enim non dicebantur ad Adamum, longe antea mortuum, in cujus optione non amplius erat vita, & mors: verum proferebantur universim de omnibus viventibus, in quorum potestate est eligere bonum, vel malum, vitam, vel mortem æternam.

Argumentor contra Jansenistas 2do. ex Authoritate SS. PP. Innumera horum testimonia citat Bellarminus l. 4. & 5. de gratia, quæ studiose omitto, quia ipse Calvinus fatetur, hoc in puncto sibi adversari tàm Græcos, quam Latinos Patres. Igitur ex uno Augustino pauca adducam, utpote cujus authoritate hostes liberi arbitrii plerumque, sed vane, gloriari solent. Hic l. de gratia, & libero arbitrio c. 2. ait: *Ipsa divina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa præmia perveniret.* Et infra: *Quomodo jubet Deus, si non est liberum arbitrium?* Similia etiam habet c. 1. eodem libro: imo totum hunc librum laudatus S. Doctor ad Valentinum conscripsit adversus Monachos Adrumetinos, qui haud aliter, ac Jansenistæ senserunt, per gratiam destrui liberum arbitrium. L. 1. Retract. c. 7. ait: *Quis peccat in eo, quod nullo modo vitare potest?* Et L. de fide contra Manichæos c. 10. dicit: *Quis non clamet, stultum esse, præcepta dare, cui liberum non est, quod præcipitur, facere: & iniquum esse, eum damnare, cui non fuit potestas, jussa complere?*

Præterea notandum est, quod D. Augustinus nunquam reprehenderit Pelagianos, quod defenderent liberum hominis arbitrium: sed hoc solum improbavit, quod liberum arbitrium se solo sine auxilio gratiæ coagente possit aliquod opus salutare, vel meritorium efficere. Quare l. 2. de Nuptiis, & Concupiscentia, ita alloquitur

Pela-

Pelagianos: *Liberum in homine esse arbitrium, utrique dicimus: non hinc estis Cœlestiani, & Pelagiani, liberum autem quemquam esse ad agendum bonum sine adjutorio Dei, hoc vos dicitis: hinc estis Cœlestiani, & Pelagiani.*

Argumentor 3tio ex ratione jam tacta a D. Augustino. Si homo omnia, quæ agit, necessario, & non libere agit, tunc omnia præcepta sunt ei observatu impossibilia: quia penes hominem non staret, quod observentur, vel non observentur. Hinc 2. omnes leges essent inutiles, nec iis homo obligaretur. 3. Nec ideo, quia aliquis transgressus est legem, puniri, nec propter ejus observantiam laudari, vel mereri posset: atqui hæ, & aliæ similes sequelæ sunt absurdissimæ, Deo & homini injuriosissimæ: ergo & merito falsissimæ. Unde recte monet Scotus 1. D. 39. n. 13. negantes libertatem, potius verberibus, quam rationibus eo usque esse excipiendos, donec fateantur, percutientem esse liberum ad desistendum ab infligendis verberibus.

Argumentor 4to ex definitionibus Ecclesiæ. 1*mo* Tridentinum sess. 6. can. 4. definivit: *Liberum arbitrium cooperari assentiendo Deo excitanti, & posse dissentire, si velit.* Ubi apertissime supponit, quod illud *posse dissentire* sit in plena potestate, & libertate voluntatis. 2*do* Gregorius XIII. & Urbanus VIII. confixerunt has Baji propositiones: *quod voluntarie fit, etiamsi necessitate fiat, libere tamen fit.* Item: *sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Innocentius X. Bulla: *cum occasione*: declaravit esse hæreticam, & ut talem reprobavit hanc quintam propositionem Jansenii Iprensis: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.*

Accedit tandem experientia, qua sæpe de pluribus rebus consultamus, & unam, quæ nobis placet, pro libitu ex iis seligimus: atqui hoc est libere agere, & se libere determinare. Tandem per peccatum originale libertas nostra non est destructa: ergo, si homo in statu naturæ integræ habuit liberum arbitrium, etiam iterum habebit in statu naturæ lapsæ. Ex quibus

Satis etiam rejecta manet Lutheri sententia, qua in politicis, & civilibus liberum hominis arbitrium agnoscit, illud autem negat in moralibus, seu iis, quæ spectant ad pietatem, & observantiam Legis divinæ; allegatæ enim rationes fere omnes loquuntur de actionibus moralibus.

§. III.

Diluuntur Objectiones contra §um. præc.

331 Objic. 1. Juxta S. Scripturam Deus omnia noſtra opera in nobis operatur, corda noſtra efficaciter movet: ergo nos non ſumus liberi ad operandum, quia a Deo præveniente neceſſitamur. R. Deum omnia operari in nobis, ſed nobis libere coagentibus: quare juxta Tridentinum cit. liberum arbitrium aſſentiendo cooperatur Deo excitanti. Ita etiam dicit Apoſtolus: *Non ego, ſed gratia Dei mecum*, ubi gratia cum Paulo cooperante dicitur agere: Item Deus nos per gratiam ſuam quidem movet, ſed ſalvo libero arbitrio, ut hoc Deo excitanti, & moventi poſſit diſſentire, ſi velit, ut iterum ex Tridentino laudato liquet. In forma D. a. Deus omnia operatur in nobis libere coagentibus c. a. ſecus n. a. Item Deus nos efficaciter movet, ſalvo libero arbitrio c. a. ſecus n. a.

Objic. 2. Scriptura dicit Jerem. 10. v. 5. *Nec male poſſunt facere, nec bene*: ergo Scriptura ſupponit, hominem non habere libertatem, qua poſſit bonum, vel malum pro beneplacito ſuo eligere. R. 1. opponendo alios textus §. præc. citatos. R. 2. Scripturam ibi ſolum alloqui Idola lignea, & argentea, quibus vis nulla agendi ineſt.

Objic. 3. Varios textus S. Auguſtini, quibus videtur docere, quod per peccatum originale ſit amiſſum, & deſtructum liberum arbitrium; ut Epiſt. 107. ad Vitalem: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati grandine perdidimus.* Ergo homo in ſtatu naturæ lapſæ caret libero arbitrio.

R. D. a. per peccatum originale eſt deperdita libertas indifferentiæ ſecundum quid, & quoad eſſe aliquod accidentale c. a. abſolute, & ſimpliciter, ac ſecundum eſſe eſſentiale n. a. In homine lapſo, ſeu poſt peccatum originale, manet quidem libertas ad agendum, vel non agendum, ſed ea non eſt ita expedita ad bonum, ſicut fuit ante lapſum Adæ; ante hunc enim in ſtatu innocentiæ ob juſtitiam originalem in homine erat perfectiſſimum voluntatis æquilibrium, ſeu pleniſſima indifferentia ad utrumlibet oppoſitorum, & appetitus ſenſitivus ſine ulla reſiſtentia, ſine rebellione concupiſcentiæ per omnia ſubjiciebatur rationi: in homine autem lapſo eſt rebellio carnis, ac concupiſcentiæ, & fomes peccati magna vi alliciens ad malum, non autem ad illud neceſſitans. Proinde in homine poſt peccatum originale

nale eſt quidem ſauciatum, & diminutum liberum arbitrium, non autem eſt penitus ſublatum. Videantur dicta diſſert. præc. Art. 3. §. 2. n. 318. Hanc ob cauſam in ſtatu naturæ lapſæ, & infirmæ etiam fortior, & major gratia homini conceditur, quam erat data homini in ſtatu innocentiæ, & ante peccatum originale. Ratio eſt: quia natura humana per peccatum originale ſauciata, & ad malum ita propenſa fortiori auxilio indiget, quam natura ſana, & integra.

Totum hunc diſcurſum confirmo ex dictis S. Auguſtini, qui l. 1. contra duas Epiſtolas Pelagianorum ita habet: *Quis noſtrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas quidem periit per peccatum, ſed illa, quæ in Paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate juſtitiam, propter quod natura humana divina indiget gratia.*

Objic. 4. S. Auguſtinus videtur docere interdum, quod neceſſitas non obſit noſtræ libertati: ergo. R. D. a. quod neceſſitas conſequens, & illa, quæ relinquit ſaltem libertatem contradictionis, non obſit noſtræ libertati c. a. quod neceſſitas antecedens, & illa, quæ tollit etiam libertatem contradictionis, non obſit libertati n. a. & conſ. Sic L. 5. de Civit. Dei. c. 10. contra Ciceronem defendit, quod præſcientia divina non præjudicet noſtræ libertati, quia nempe iſta importat tantum neceſſitatem conſequentem: ubi ponit aliqua exempla hujus neceſſitatis conſequentis, non impedientis libertatem. Sic Deus neceſſario vivit in actu ſecundo, ſeu neceſſario intelligit, & vult: & tamem multæ intellectiones, & volitiones divinæ, nempe reſpectu objectorum contingentium, ſunt Deo liberæ. Item, quæcunque volitio hominis, dum actu eſt, neceſſario exiſtit, & tamen ea libera eſt: ut, dum habeo actum amoris, hic neceſſario exiſtit; quia alias ſimul poſſet eſſe, & non eſſe: & tamen actus hic libere elicitur. Ita ibi diſcurrit D. Auguſtinus.

Item L. de Natura, & gratia c. 46. refutat ſolum illud dictum Pelagii: *Voluntatis arbitrio, ac deliberatione privatur, quidquid naturali neceſſitate conſtringitur.* Ubi duntaxat S. Doctor negat, quamlibet neceſſitatem adverſari libertati: ſic enim poteſt eſſe neceſſitas quoad ſpecificationem, & tamen dari libertas quoad exercitium; ita namque libere volumus, & optamus beatitudinem, & licet eam poſitive nolle non poſſimus, poſſumus tamen ejus volitionem, & deſiderium omittere: ita, etiamſi Deus nequeat peccare, & injuſte agere, poteſt aliqua bene & juſte agere, vel ea omittere ſecundum ſuum libitum.

Objic. 5. SS. PP. & ipsus Augustinus non raro asserunt, id liberum esse, quod sponte, voluntarie, & sine coactione fit: ergo libertas sufficiens habetur, dummodo absit coactio, etsi adsit necessitas. R. SS. Patres per actum voluntarium, & sponte elicitum sæpe intelligere actum vere liberum libertate contingentiæ, ut jam insinuavi: imo coactionem quandoque confundunt cum necessitate, ut Herincx observat in D. Augustino. Hinc ipsis idem sonat voluntas non coacta, ac non necessitata, seu plenam habens indifferentiam.

Objic. 6. D. Bernardus serm. 81. in Cant. ait. *Quod voluntarie fit, etiamsi ex necessitate fiat, liberum est*, ergo. R. D. a. liberum est, libertate essentiali, & remota c. a. libertate contingentiæ, & proxima, quæ de lege ordinaria requiritur ad meritum, vel demeritum n. a. Libertas essentialis, & remota solum opponitur violentiæ, ac coactioni, non autem necessitati: econtra vero libertas contingentiæ opponitur utrique.

Objic. 7. Amor beatificus est honestus, & moraliter bonus: ergo etiam est liber, libertate sufficiente ad actum honestum; nam sine libertate nullus actus moraliter bonus dari potest. Atqui, juxta communem Theologorum actus beatificus est necessarius; ergo actus liber potest simul esse necessarius.

Transmisso interea, quod actus amoris Beatorum in Patria sit physice necessarius, quod Theologi ordinarie supponunt, & ex quorum mente & ego in præcedentibus hunc actum pro exemplo voluntarii necessarii attuli: hoc, inquam, transmisso R. D. a. Amor beatificus est honestus objective c. a. est honestus formaliter n. a. Duplex est honestas spectanda: una, ex parte objecti, in quantum objectum, quod prosequitur actus, est in se bonum, & honestum, quale certo est objectum amoris beatifici: altera est formalis, & se tenet ex parte actus, ac voluntatis, quæ est ipsa imputabilitas ad meritum, & prœmium, & hæc obtinetur per liberum exercitium voluntatis, dum actus ita elicitur, ut potuisset omitti. Ex quo sequitur, actum amoris beatificum esse quidem physice optimum, & laudabilem in se, non autem moraliter, nisi bonitas moralis præcise desumatur, & spectetur ex parte objecti.

Dices: Ergo amor Patriæ est minus perfectus, quam amor viæ; cum amor viæ sit formaliter honestus, non autem amor Patriæ. R. N. illat. quamvis enim amor Patriæ careat libertate, & moralitate forma-

formali; hæc tamen perfectio eminenter compenſatur per aliam nobiliorem, eoquod amor Patriæ ſit perfectiſſima poſſeſſio æternæ hæreditatis, & ultimi finis, non autem ſic amor viæ &c.

Objic. 8. Saltem in Chriſto, qua Homine, dabatur ſola libertas a coactione, non autem a neceſſitate, in ordine ad obſervanda præcepta naturalia divina, & tamen Chriſtus per obſervantiam horum præceptorum merebatur: ergo ad meritum ſufficit ſola libertas a coactione. R. D. 2. memb. ant. & tamen Chriſtus merebatur, & hoc fiebat ex ſingulari privilegio, & diſpenſatione divina tr. a. ſecus n. a. Dixi: *Tranſeat ant.*; magnum enim eſt dubium, an Chriſtus caruerit omni libertate indifferentiæ in ordine ad obſervanda præcepta naturalia, & alia. De quo Libro Sententiarum tertio, ſeu Tomo IV. ſeq.

Objic. 9. Dæmones, & damnati defacto ſemper peccant, & tamen non habent libertatem indifferentiæ, ſeu a neceſſitate: ergo. R. 1. Si verum eſt, quod Dæmones careant libertate a neceſſitate, tunc eos non peccare formaliter. R. 2. D. a. non habent libertatem a neceſſitate phyſica n. a. a neceſſitate morali c. a. Damnati nullatenus neceſſitantur phyſice ad peccandum, ſed ad ſummum moraliter ob voluntariam obſtinationem ſuæ voluntatis: verum neceſſitas moralis, etſi imminuat, non tamen penitus tollit libertatem. Quare vere peccant, etſi non amplius demereantur, aut gravius propterea puniantur; quia jam ſunt extra ſtatum viæ, extra quem non amplius datur meritum, vel demeritum.

Objic. 10. Omnia, quæ Deus prævidit, neceſſario fiunt: ſed omnes actus noſtros, qui fiunt in ſtatu naturæ lapſæ, Deus prævidit futuros: ergo omnes actus noſtri neceſſario fiunt. R. 1. Retorq. Argum. ſed Deus prævidit omnes actus etiam, quos Adam, & Eva in ſtatu innocentiæ ſunt operati: ergo etiam Adam, & Eva in ſtatu innocentiæ quoad actus ſuæ voluntatis non habuere libertatem. Quæ conſequentia eſt contra hæreticos noſtri temporis, qui dicunt, in ſtatu innocentiæ hominem fuiſſe liberum a neceſſitate, non autem nunc ita liberum eſſe. R. 2. D. M. fiunt neceſſario, neceſſitate conſequente c. M. neceſſitate antecedente n. M. ideo enim Deus illa prævidet, quia libere a creatura fient: & ſi creatura ſe libere ad aliquem actum non eſt determinatura in tempore, tunc Deus illum nequit prævidere. Tandem

Quæ-

332 Quæres: quomodo circa libertatem errarint Pelagiani, & Semipelagiani, Calvinus, Lutherus, & Janfenius ?

R. 1. Pelagius cum fuis Affeclis, inter quos Princeps erat Cœleftius, unde & Pelagiani ab Auguftino aliquoties Cœleftini vocantur: hic, inquam, cum fuis nimium extollebat liberum arbitrium, & dicebat, quod illud fe folo fine ullo auxilio gratiæ internæ poffit opera falutaria, & vitæ æternæ meritoria efficere, imo quod gratia interna non fit neceffaria ad falutem. Aliqui putant, quod omnem omnino gratiam internam negarit: faltem fatis certum eft, quod per gratiam intellexerit potentiam, & vires voluntatis naturales, nec non exempla, prædicationem, & legem Chrifti: & fi admifit aliquam gratiam internam ex parte votuntatis, tunc illam non admifit ut neceffariam ad meritum, & falutem, fed tantum ut utilem, & ad facilius poffe. Ita P. Henno, & Herincx. Judicabant enim Pelagiani, deftrui voluntatem, & liberum arbitrium, fi ad opera meritoria alterius ope, nempe gratia Dei indigeret, ut S. Hieronymus Epift. ad Ctefiphontem c. 3. fcribit.

R. 2. Semipelagiani, qui & Maffilienfes dicuntur, docebant quidem contra Pelagium, ad progrediendum, & perfeverandum in negotio falutis effe neceffariam gratiam divinam internam: nihilominus in hoc cum Pelagianis fentiebant, quod initium, & primum defiderium falutis, ac fidei faltem de congruo meritorium, poffit folis naturæ, & naturalibus arbitrii humani viribus fine auxilio gratiæ divinæ haberi. Quod fuum dogma, tefte S. Hieronymo Epift. ad S. Auguftinum, declarabant aliqua fimilitudine ægri, qui licet fe ipfum fanare nequeat, poteft tamen defiderare, & vocare Medicum, a quo fanetur: fic etfi juxta ipfos homo folis fuis viribus non poffit falutem affequi, & fibi ipfi dare plenam fanitatem, poteft tamen fine ulla gratia præveniente defiderare, & implorare Deum tanquam Medicum, quo defiderio, & initio mere naturali quis meretur primum auxilium divinum ad obfervanda mandata, & falutem confequendam. Ita illi: fed peffime; cum nullum opus meritorium, etiam primum initium, & defiderium falutis, poffit effe fine gratia divina præveniente, ut Concilium Tridentinum definit.

Oppugnarunt SS. Patres hos homines, qui negotium falutis in antecedentia merita naturalia refuderunt, & quæfierunt ex iis: cur ergo his gentibus potius, quam aliis fit prædicatum Evangelium, & hi

hi potius populi, quam alii ad ſalutem pervenerint; cum tamen nulla appareant antecedentia merita, quibus hi præ iſtis ſint meriti hanc gratiam; Item: cur aliqui parvuli perveniant ad baptiſmum, & mediante illo ad ſalutem, cum tamen ſint meriti incapaces? Ad hoc argumentum reſponderunt: Prædeſtinationem parvulorum fieri ex meritis eorum naturalibus conditionate prævisis. Deum nempe prævidiſſe, quinam ex parvulis, ſi uſum rationis obtinerent, ſe eſſent diſpoſituri ad ſalutem, quinam non: priores proinde elegiſſe ad ſalutem, & gloriam per baptiſmum, poſteriores vero reprobaſſe. Ideo ſimiliter aliquibus nationibus non fuiſſe prædicatum Evangelium, eoquod prænoſcerentur non eſſe credituræ, ſi eis Evangelium fuiſſet prædicatum. Inferebant igitur nemini negari gratiam, dummodo præcedat voluntas, quæ Medicum, & Largitorem gratiæ quærat.

Verum hac in doctrina duo ſunt errores: 1mo. quod propter merita naturalia prævisa quis obtineat, & mereatur ſalutem. 2do. quod propter merita conditionate futura quis præmietur; ſi enim propter merita, vel demerita conditionate futura aliquis præmietur, vel puniatur, tunc fere quilibet hominum debet & in cœlum aſſumi, & ad infernum damnari; cum fere quivis in innumeris circumſtantiis, ſi in iis eſſet poſitus, prævideatur bene, & in innumeris male acturus. Unde & ille foret damnandus, qui raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum: quod tamen eſt abſurdiſſimum iterum, & falſiſſimum.

R. 3. Lutherus, & Calvinus aſſeruerunt, liberum arbitrium in natura lapſa eſſe extinctum: hominem ex neceſſitate, non libere agi vel a concupiſcentia ad peccatum, vel a gratia ad bonum, atque adeo neceſſario ſuccumbere delectationi victrici. His conſentit Janſenius, cujus quinque articulos, ab Eccleſia confixos, videre potes in ſuccincta declaratione P. Maſſæi Kreſslinger part. 2. fol. 51.

Hac in controverſia præter conſuetudinem me diutius detinui ob ejus fere quotidianum uſum in Theologia, præcipue in Tractatibus de Scientia, & Providentia Divina, de Libertate, & gratia. Plura adhuc videre potes in Prolegomenis Theologiæ ſeu tom. 1. & in Tractatu de gratia, ubi multa ſunt dicta de Pelagianiſmo.

Articulus II.

De Cognitione requisita ad exercitium liberum voluntatis & non nullis aliis ad libertatem pertinentibus.

Suppono ex Philosophia. 1mo., Liberum arbitrium, seu voluntatem in omni operatione sua necessario debere dirgi per aliquam cognitionem intellectivam, & rationalem, secundum illud: *nihil volitum, quin præcognitum.* 2. Cognitionem hanc esse meram conditionem, applicantem objectum voluntati. 3. Neque cognitionem, neque objectum per eam propositum physice influere in actum voluntatis, & liberi arbitrii; objectum enim tantum moraliter, & movendo, ac alliciendo influxum suum in actum voluntatis exercet. His suppositis

333 Quæritur: An actus intellectus, operationem voluntatis præcedens, semper debeat esse aliquod judicium, evl, an sufficiat tantum simplex apprehensio?

R. 1. cum Scoto 2. D. 6. q. 1. n. 4. & seqq. Ad actus inefficaces, & simplices complacentias voluntatis sufficit sola apprehensio objecti Ratio hujus est: 1mo quia homo sæpe delectatur in rebus impossibilibus, vel talibus, quæ ipsi neutiquam convenire cognoscit: ut, cum se imaginantur Reges, volare &c. sed tales delectationes non præcedit aliquod judicium; cum talis homo, v. g. Rusticus, non possit cum veritate affirmare, & judicare, sibi convenire dignitatem, aut potestatem regiam. Ratio est 2do. quia probabiliter ad omnes actus efficaces voluntatis non requiritur prævium judicium intellectus: ergo minus ad inefficaces, & simplices complacentias. conf. tenet a fortiori. Ant. statim probabitur. Hinc

R. 2. Neque videtur requiri ad actus efficaces voluntatis aliquod formale judicium compositivum intellectus, quo formaliter, & actu judicatur, vel affirmatur objectum illud, in quod voluntas efficaciter tendit. Herincx, Rafsler in sua Norma recti contra Viva, & alios, præcipue TTas. P. 1. Bruta efficaciter aliqua appetunt, & alia fugiunt per appetitum sensitivum, sola præcedente apprehensione sensitiva eorum; nam bruta, ceu entia irrationalia, sunt capacia solius apprehensionis, non autem judicii, seu mediati, seu immediati: ergo & homines appetitu

petitu rationali, seu voluntate possunt aliqua efficaciter appetere sola apprehensione rationali, & intellectiva præcedente. P. 2. Ad hoc, ut voluntas ab objecto moveatur ad ejus efficacem amorem, nil aliud requiritur, quam ut ejus convenientia, & bonitas proponatur: atqui hæc etiam per simplicem apprehensionem intellectus proponi potest: ergo. Potest etiam hæc apprehensio dici judicium virtuale: *tum*, quia in virtute sua motiva æquivalet formali judicio: *tum*, quia proxime fundare potest judicium formale.

De cætero, ut recte observat P. Raßler, in praxi raro, aut vix unquam datur apprehensio, actu alliciens voluntatem ad operandum, quin simul adsit judicium compositivum, & formalis affirmatio, præsertim si non appareat aliquod periculum incurrendi errorem per assensum; nam illud ipsum objectum, quod voluntatem in sui amorem rapit, etiam intellectum ad assensum facile inducit. Ea de causa huic controversiæ non ulterius immoror, & præscindendo, an cognitio præcedens liberam voluntatis operationem sit judicium formale, vel virtuale, indago 1. an illud debeat esse indifferens, ac 2. practicum, & 3. quomodo per illud objectum debeat esse propositum, ut voluntas libere possit operari: tandem 4. varia quæsita resolvo. Inde sit

§. I.

An ad liberam voluntatis operationem requiratur judicium indifferens?

Nota: Judicium, vel cognitionem indifferentem dari tunc, quando objectum cognoscitur secundum unam rationem ut bonum, & amabile, & secundum aliam rationem ut malum, & odibile: vel, quando illud sub una ratione allicit ad actum voluntatis, v. g. ad amorem, & sub alia ratione absterret ab amore. Hac indifferentia cognitionis stante in intellectu, ajunt TTæ, voluntas adhuc libere agit, etsi illa interea physice præmoveatur, vel necessitetur ad unum determinatum actum eliciendum. Quare hoc ipsorum fundamentum, cui insistit eorum prædeterminatio, hic penitus est destruendum. Igitur

 Assero:

334 Assero: Ad libertatem voluntatis in operando neque sufficit, neque semper requiritur judicium, vel cognitio proponens objectum ex parte bonum, & ex parte malum. Scotus 9. Meta. q. 15. §. *post dicta.* & in libris Sententiarum frequenter.

P. 1. Quando objectum aliquod voluntati tantum proponitur sub ratione boni, & nullatenus sub ratione mali, quæro: an tunc voluntas adhuc maneat libera ad amandum, vel non amandum hoc objectum? vel an tunc sit necessitata ad determinate amandum illud? *Si primum*: tunc habeo intentum; quia sic potest stare libertas contradictionis ad amandum, vel non amandum, etsi non habeatur indifferentia judicii, aut cognitionis. Si vero *secundum* dicis, tunc falsum asseris; quamvis enim voluntas ab objecto moveri possit ad amandum illud, non tamen potest ab eo necessitari, & determinari: siquidem voluntas, tanquam potentia libera, & domina suorum actuum, se ipsam libere determinat ad agendum, non autem ab objecto extrinseco determinatur.

Confirm. Inter intellectum, ceu potentiam naturalem, & necessariam, ac inter voluntatem, ceu potentiam liberam, debet in operando esse diversitas: atqui hæc non amplius foret, si voluntas necessario amaret objectum, quod tantum sub ratione boni proponitur. Ratio hujus est: quia sic æque necessario ageret voluntas præsente objecto sub ratione boni proposito, sicut intellectus necessario assentit objecto evidenter vero. Et taliter etiam voluntas foret potentia necessaria.

P. 2. Alicui imperceptibiliter vincto, vel impedito, ne possit ambulare, nil prodest judicium indifferens, quo credit, se libere posse ambulare, vel non ambulare, vel ambulationem esse sibi bonam sub hac ratione, & sub illa non esse bonam; propter hoc enim judicium non fit potens, ut libere possit ambulare: ergo etiam alicui per prædeterminationem physicam Thomisticam determinato, vel aliunde necessitato ad unum actum determinatum, nihil prodest judicium indifferens, quo judicat, hunc actum ex parte sibi esse bonum, & delectabilem, & ex alia parte non esse delectabilem; per hoc enim judicium non liberatur a prædeterminatione, aut necessitate, qua stante ad unum certum actum ita manet determinatus, ut eum debeat ponere, & non amplius sit in ejus potestate, hunc actum omittere.

P. 3.

P. 3. Indifferentia judicii, & cognitionis est mere extrinseca; datur enim in intellectu, non in voluntate: ergo ea non salvat libertatem, & indifferentiam voluntatis; hæc enim indifferentia est in ipsa voluntate, & consistit in hoc, quod positis omnibus ad agendum requisitis, etiam posita cognitione quacunque, voluntas ex se sit indifferens, & indeterminata, ita, ut stantibus omnibus iis, pro suo beneplacito possit se ipsam determinare ad actionem, vel possit omnem actionem omittere.

P. 4. Calvinistæ, & Lutherani nunquam negarunt indifferentiam judicii, & cognitionis: & tamen ipsorum doctrina non salvat a parte rei liberum arbitrium: ergo, etiamsi TTæ admittant indifferentiam judicii, & cognitionis, per hoc tamen non salvant liberum arbitrium.

Confirm. Si SS. PP. credidissent, salvari liberum arbitrium per cognitionem illam indifferentem, tunc utique Hæreticis, volentibus, hominem in actibus suis moralibus necessario, non autem libere agere, respondissent, quacunque necessitate stante remanere in homine indifferentiam judicii, & sic persistere in eo libertatem; illam enim indifferentiam non negant hæretici: atqui hoc non fecerunt SS. Patres: ergo indicium est, quod ipsi non agnoverint, libertatem salvari per indifferentiam judicii, sed potius per indifferentiam ipsius voluntatis. Ex his

Deduces 1. Ad libertatem exercitii nullatenus requiri, ut obje- 335
ctum indifferenter, seu sub ratione boni, & mali proponatur. Ratio hujus est: quia quomodocunque sub una ratione boni proponatur objectum, tamen voluntas manet indeterminata, & indifferens ad illud amandum, vel non amandum, seu ad omittendum actum amoris, ut jam dictum est. Et ratio rationis est: quia bonum quidem movet, non autem necessitat ad amorem, & amplexum sui.

Dixi: *Ad libertatem exercitii &c.* Nam ad hoc, ut voluntas sit libera libertate contrarietatis, & specificationis, qua potest actum v. g. amoris ponere, vel alium actum oppositum positivum, e. g. odii respectu ejusdem objecti, ad hoc, inquam, seu ad hanc libertatem specificationis requiritur, ut objectum sit indifferenter propositum, seu sub ratione boni, & mali. Ratio est: quia voluntas nequit objectum aliquod positive amare, nisi sub ratione boni, ut inferius n. 343. dicetur: neque potest positive aliquid respuere, vel

 odisse,

odisse, nisi ut malum: ergo, ut voluntas sit libera libertate specificationis, & proxime possit aliquod objectum vel amare, vel odisse positive, requiritur, ut idem objectum sit per cognitionem propositum sub ratione boni, & mali simul. Ita etiam, ut voluntas possit per actum electionis unum ex pluribus mediis amplecti, & eligere, debent per cognitionem prius esse proposita plura media; quia nullum medium potest esse positive volitum, nisi prius sit cognitum.

Deduces 2. Ad hoc, ut aliquis actus voluntatis sit liber meritorie, vel demeritorie, requiritur etiam, ut prius per intellectum, saltem aliqualiter, proponatur honestas, vel inhonestas actionis, aut omissionis.

Deduces 3. Quid respondendum sit ad illam quæstionem: an libertas radicetur in indifferentia intellectus? Resp. enim, non aliter radicari, quam eatenus, quatenus voluntas in operatione sua dependet ab intellectu, & ejus cognitione, tanquam conditione proponente objectum, circa quod voluntas libere agat. Hæc autem propositio debet fieri indifferenter, si libertas contrarietatis exercetur, non autem tunc, quando libertas exercitii habetur: quæ ultima libertas necessario requiritur ad actionem meritoriam, vel demeritoriam, non autem prior.

Deduces 4. Nullum objectum quomodocunque ab intellectu voluntati creatæ propositum, hanc necessitare physice ad determinatum actum; qualitercunque enim objectum proponatur, voluntas semper habebit libertatem exercitii ad agendum, vel non agendum: potest tamen necessitari necessitate specificationis; si objectum sub omni ratione bonum proponatur; nam tunc, si voluntas vult circa id operari, debet illud necessario amare, cum bonum qua tale non possit esse objectum odii, sicut malum qua tale non potest esse objectum amoris, ut dicetur n. 343. Nihilominus etiam in hoc casu, quando objectum sub omni ratione bonum proponitur, posset voluntas libere actum amoris omittere, aut suspendere: quare in tali quoque casu adhuc daretur libertas exercitii.

336 Objic. 1. Actus liber definitur, quod sit motus voluntatis ex judicio indifferenti proveniens: ergo. R. N. a. Actus enim liber potius describitur, quod sit ille, qui provenit a voluntate proxime indifferente, seu potente agere, vel non agere, stantibus etiam omnibus ad agendum requisitis.

Objic.

Objic. 2. Potentia libera vocatur liberum arbitrium, & appetitus rationalis: sed hoc ideo fit, quia ejus libertas radicatur in judicio intellectivo indifferenti: ergo. R. N. m. Voluntas vocatur appetitus rationalis, quia præsupponit cognitionem rationalem, & intellectivam tanquam conditionem: ficut appetitus sensitivus brutorum dicitur irrationalis, quia non præsupponit cognitionem rationalem, sed sensitivam. Dicitur etiam voluntas liberum arbitrium, non, quod ipsius libertas sit quasi sita in indifferentia arbitrii, sed quod sæpe actum voluntatis liberum præcedere soleat aliqua consultatio intellectiva, & aliquod arbitrium, vel judicium intellectus, præsertim tunc, dum ex pluribus rebus, vel mediis unum est eligendum, vel dum libertas specificationis exercetur. Ex hoc tamen non sequitur, ut voluntas nunquam possit libere agere, nisi præmittatur tale judicium, cum saltem libertas exercitii minime exigat judicium indifferens prævium.

Objic. 3. Appetitus sensitivus brutorum ideo non est liber in suis operationibus, quia in brutis non potest dari judicium indifferens: ergo ex opposito voluntas humana ideo est libera, quia in homine potest dari judicium indifferens. R. N. a. Ideo appetitus sensitivus non est liber, quia ex sua ratione intrinseca, & essentiali est necessitatus, & determinatus ad agendum tunc, dum sunt posita omnia ad agendum requisita: & ideo voluntas est libera, quia etiam stantibus omnibus ad agendum requisitis, ipsa ex intrinseca sua ratione non necessitatur ad agendum, sed potest vel agere, vel non agere, prout ipsi placuerit. Et esto, quod in aliquibus casibus voluntas præsupponat judicium indifferens, tamen ejus libertas non ab hoc judicio est petenda, sed ab intrinseca, & essentiali indifferentia ipsius voluntatis utpote quæ etiam stante quocunque judicio indifferenti potest agere, vel non agere, aut omnino oppositum facere. Quare intellectus agit tantum vices consiliarii, objectum operabile una cum suis circumstantiis proponentis: voluntas vero agit officium reginæ, quæ pro libitu suo consilium ab intellectu datum vel sequi, vel respuere potest.

Objic. 4. Si objectum tantum delectabile, & bonum proponatur secundum sensum, nullatenus vero ut moraliter malum, aut prohibitum, tunc non peccatur: sed hujus unica ratio est, quia deest libertas ob defectum judicii indifferentis: ergo. R. N. m. Ideo simpli-

simpliciter non peccatur, quia simpliciter, & in se non est cognita malitia moralis; nam nihil est voluntarium, nisi sit præcognitum: adeoque & malitia moralis alicujus actus voluntatis non potest esse voluntaria, nisi sit præcognita. Non autem requiritur ad peccatum, vel etiam ad actionem moraliter bonam, ut malitia, & bonitas proponatur per judicium, & cognitionem indifferentem; pono enim, quod simpliciter per apprehensionem aliquam, vel judicium intelligatur, hanc determinatam actionem hic & nunc esse bonam moraliter, & simul eam esse delectabilem secundum sensum, ita quidem, ut nulla ratio malitiæ in tali actione appareat: stante hac cognitione nullatenus indifferente voluntas manet liberrima ad istam actionem exercendam, vel omittendam. Hinc & motus primo primi non sunt peccaminosi, nec meritorii, non ex eo, quod ipsos non præcesserit cognitio indifferens: sed tantum ideo, quia ipsi sunt actus solius appetitus sensitivi, vel si sunt actus voluntatis, tunc eos non præcessit advertentia, & cognitio intellectiva ipsius bonitatis, vel malitiæ moralis, sed tantum bonitatis delectabilitatis sensibilis: adeoque sunt tantum voluntarii, & liberi physice, non autem moraliter. Quale autem sit discrimen inter libertatem physicam, & moralem, dicetur inferius.

Objic. 5. Sola bonitate cognita objecti voluntas non habet motivum omittendi actum amoris respectu talis objecti: ergo ad hoc, ut libere possit ponere actum amoris, vel eum omittere, debet præter bonitatem objecti etiam cognosci ejus malitia. A. constat; quia bonitas est motivum amoris, non autem cessandi ab amore, vel eum omittendi, sed motivum omissionis est potius malitia. R. N. supposit. ant. Voluntas enim ad omittendum aliquem actum non indiget positivo motivo, sed sufficit, quod se non sinat moveri ratione motiva proposita. Quare ad omissionem alicujus actus in voluntate nihil requiritur, quam ejus innata libertas, quæ cognito objecto motivo potest se permittere moveri, vel non moveri ab illo.

Objic. 6. Divina voluntas necessario amat Essentiam divinam, tantum ideo, quia ea sine ullo defectu, & malitia proponitur: idem est de Beatis in Patria ob eandem causam Deum necessario amantibus: ergo. R. N. a. Deus enim non ob defectum indifferentis judicii, sed ideo nequit omittere amorem sui ipsius, quia amor sui ipsius est in Deo perfectio simpliciter simplex, & ejus Beatitudo: sed

repu-

repugnat, Deum carere aliqua perfectione simpliciter simplici, aut beatitudine sua; alias enim foret defectibilis. Beati vero vel omnino non necessitantur physice, sed tantum moraliter, & salva eorum libertate ad amandum Deum in Patria: vel, si ita necessitantur, tunc non ob rationem assignatam, prout dicetur.

Objic. 7. Libertas voluntatis divinæ in ordine ad creaturas non potest desumi ab indifferentia ipsius voluntatis: ergo debet ea desumi a judicio indifferenti intellectus divini, quo proponuntur creaturæ non ut necessario creabiles, sed ita tantum ut earum creatio possit omitti. R. D. a. non potest desumi ab indifferentia voluntatis divinæ in ordine ad diversos actus c. a. in ordine ad diversa objecta n. a. Divina voluntas non est indifferens, ut actum suum, scilicet volitionem habeat, vel non habeat; alias enim foret mutabilis: est tamen indifferens eatenus, quatenus per actum suum, scilicet per suam volitionem immutatam, & invariatam potest in objectum aliquod creabile, aut creatum tendere, vel non tendere. Verum de hac gravissima totius Theologiæ difficultate jam actum est pluribus Tom. 1. part. 1. de Deo uno. Ex his tandem

Concludes, Libertatem indifferentiæ essentialiter, & formaliter consistere in intrinseca indifferentia ipsius voluntatis: si ergo hæc per necessitatem antecedentem, v. g. per prædeterminationem Thomisticam tollitur, aut impeditur, tunc etiam formaliter tollitur, aut impeditur ipsa libertas indifferentiæ, etsi maneat judicium indifferens.

§. II.

An ad liberam voluntatis operationem prærequiratur judicium practicum Intellectus?

Notá: Judicium *speculativum* esse, per quod simpliciter judicatur, aliquod objectum esse in se bonum, aut etiam malum, honestum, vel inhonestum: judicium vero ultimum *practicum* illud esse, quo intellectus pensatis omnibus dictat, hoc determinate esse hic, & nunc faciendum, v. g. dum intellectus pensatis omnibus dictat, modo esse peragendam orationem, tanquam actionem Deo in his circumstantiis gratam: vel modo esse abstinendum ab hac actione, v. g. a lusu, tanquam actione in his circumstantiis mala, & prohibita.

Bellarminus a Viva citatus, & varii Thomistæ asserunt, tale judicium practicum esse voluntati necessarium, ut possit agere, & voluntatem debere illud sequi. Contra hos

337 Assero: Ad operationem voluntatis liberam, non requiritur judicium ultimum practicum intellectus, nec voluntas tale judicium necessario sequitur. Mastrius, Herincx cum Scoto 3. d. 36. q. un. & 4 d. 43. q. 2. quem sequuntur Scotistæ omnes, ac Viva, Becanus &c.

P. 1. Experientia docet, quod voluntas sæpe agat contra dictamen ultimum practicum intellectus, & conscientiæ, ut dum ratio, & intellectus dictat, modo esse abstinendum ab hoc actu tanquam peccaminoso, ubi tamen voluntas libere illum actum exequitur: juxta illud Medeæ apud Ovidium: *video meliora, proboque: deteriora sequor*: ergo voluntas in operationibus suis liberis non pendet necessario ab ultimo dictamine practico intellectus, imo contra illud liberrime agere potest. Id, quod præter experientiam testatur clarissima authoritas: Sic dicit Aristoteles 3. Ethic. c. 2. *Nonnulli opinantur quidem melius, sed propter pravitatem eligunt, quæ non oportet.* D. Augustinus in illud Psal. 123. *forte vivos deglutiissent nos*, inquit: *Ecce! videmus. quid agendum, & tamen nolumus agere.* Jacob. 4. *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.* Et D. Bernardus l. *de libero arbitrio* testatur, voluntatem posse agere contra rectum rationis dictamen. & addit rationem: quia intellectus voluntati est additus, ut eam instituat, non autem destruat, scilicet libertatem ejus impediendo per sua dictamina ad unum determinantia.

P. 2. Ex Adversariorum sententia sequeretur, quod aliquis volens peccare, debeat habere judicium practicum, quod sit peccandum: atqui sequela non est admittenda, imo dum quis libere peccat, debet habere judicium, quod non sit peccandum, seu quod peccatum est prohibitum: ergo. M. constat: siquidem in Adversariorum sententia, qui judicat practice, & ultimo, non esse peccandum, non posset peccare.

P. 3. Voluntas positis omnibus ad agendum requisitis potest pro beneplacito suo agere, vel non agere: atqui judicium ultimum practicum etiam est unum ex requisitis ad agendum ex parte voluntatis: ergo etiam posito judicio practico ultimo potest voluntas pro beneplacito suo agere, vel non agere, seu omittere actionem: adeo-

que

que judicium ultimum practicum non determinat voluntatem ad agendum necessario. M. constat; quia per hoc potentia libera a potentiis necessariis distinguitur, quod hæc positis omnibus ad agendum requisitis necessario debeat agere, non item potentia libera, seu voluntas.

Neque dicas: Voluntas in sensu diviso, seu quando non est judicium practicum ultimum, potest agere, vel non agere, non autem in sensu composito. Contra est: De essentia potentiæ liberæ est, ut ea etiam in sensu composito, & dum actu habet omnia requisita ad agendum, possit agere, & non agere. Imo si tantum in sensu diviso voluntas esset indifferens ad agendum, vel non agendum tunc non distingueretur a potentiis naturalibus, & necessariis; nam & istæ in sensu diviso, seu quando non adsunt omnia ad agendum requisita, sunt indifferentes ad agendum, vel non agendum: ergo.

P. 4. Vel per judicium practicum voluntas necessario determinatur ad agendum, ut nullatenus actionem possit omittere, vel non ita determinatur? si *secundum*; tunc habeo intentum, & voluntas tale judicium non sequitur necessario. Si *primum*: tunc omnino tollitur libertas voluntatis in operando; quia ea nunquam operaretur, nisi prius per judicium illud tanquam hypothesin antecedenter necessitantem esset determinata ad operandum, quæ necessitas, & determinatio antecedens utique omnem libertatem indifferentiæ tollit juxta communia Theologiæ, & Philosophiæ principia: ergo.

Neque dicas: Libertatem indifferentiæ non tolli, vel impediri per judicium practicum, eo quod hoc ipsum judicium sit in potestate voluntatis, ita, ut voluntas illud possit admittere, vel ei resistere. Proinde ajunt, mediate etiam ipsum actum, qui ex judicio practico sequitur, esse in potestate voluntatis, ut fiat, vel non fiat.

Contra est 1. Juxta AAños potest dari immediata libertas admittendi, vel respuendi judicium practicum, quo judicatur, hic & nunc non esse peccandum: ergo etiam potest dari immediata libertas ad non peccandum, vel ad ipsam omissionem peccati.

Contra est 2. Vel actus ille voluntatis, quo voluntas libere admittit, aut etiam respuit judicium practicum intellectus, vel, inquam, iste actus voluntatis præsupponit ante se aliud judicium practicum, vel non? si primum: tunc fit processus in infinitum. Si secundum:

tunc jam poteſt dari liberum exercitium voluntatis ſine ullo judicio practico intellectus prævio, nempe voluntas libere poteſt admittere, vel reſpuere dictamen practicum, & quidem ſine præcedente alio judicio, quod dictaret practice, modo hoc dictamen eſſe admittendum &c. atqui, ſi ſemel poteſt dari operatio libera voluntatis ſine practico dictamine illo prævio, tunc hoc ſimpliciter non eſt neceſſarium ad liberam operationem voluntatis, nec hæc ab illo neceſſario determinari debet: ergo.

Confirmatur hæc noſtra aſſertio magis ex §. ſequenti. Interea

338 Objic. 1. Voluntas non poteſt aliquid velle ſine judicio intellectus: ergo, ſi judicium eſt indeterminatum, tunc & voluntas eſt indeterminata, ſi autem judicium fuerit ultimo determinatum, & practicum, tunc & voluntas erit determinata. R. Tr. a. N. c. quia in hoc conſiſtit libertas voluntatis, quod ea poſito judicio intellectus, & omnibus ad agendum requiſitis, poſſit ſe ipſam determinare, vel non determinare ad agendum, prout ipſi placuerit: & in hoc diſtinguitur potentia libera, ſeu voluntas a potentiis neceſſariis, intellectu, oculo &c.

Objic. 2. Si voluntas non determinatur per ultimum judicium, tunc poteſt dari actio voluntatis ſine judicio, & conſequenter actio ſine objecto cognito: ſed: ergo &c. R. N. ſequelam: dicimus equidem, ad omnem actionem voluntatis requiri tanquam conditionem aliquod judicium virtuale, vel aliquam cognitionem objecti: negamus tamen, per hanc cognitionem ita determinari voluntatem ad agendum, ut actionem nullatenus omittere, vel ſuſpendere valeat.

Objic. 3. Si poſſet voluntas aliquid agere contra judicium intellectus, tunc poſſet dari peccatum in voluntate ſine errore in intellectu: atqui ſequela eſt per ſe abſurda, & videtur eſſe contra Salomonem Prov. 14. dicentem: *errant, qui operantur malum*, ergo. R. C. M. N. m. Ratio negandi colligitur ex probatione 1ma, & ex Scoto 3. d. 36. §. *Contra hoc arguitur.* Ubi fuſe oſtendit, peccatum poſſe eſſe in voluntate, quin dictamen erroneum ſit in intellectu.

Hanc objectionem ut rite intelligas, nota 1mo, apud TTos eſſe quaſi quoddam primum principium, quod non poſſit error, vel peccatum eſſe in voluntate, niſi præcedat defectus, vel error cognitionis in intellectu.

Nota

Nota 2. Defectum in intellectu posse esse duplicem: unus est error positivus, quo v. g. erronee judico, *castitatem esse illicitam*, *furtum esse faciendum*. Alter est tantum aliqua ignorantia, vel est tantum carentia majoris, perfectioris, & intensioris cognitionis; unde dici solet aliqualis inadvertentia, & inconsideratio.

Nota 3. Ante peccatum voluntatis non præsupponi in intellectu necessario errorem positivum, sive speculativum, sive practicum; nam posita quacunque cognitione recta, & minime erronea manet voluntas adhuc libera ad agendum, vel omittendum actum contra legem: ergo etiam præsupposita cognitione recta, ac sine ullo errore in intellectu potest voluntas eligere aliquam actionem contra legem, & sic peccare.

Nota 4. Frequenter, imo ordinarie ante quodvis peccatum præcedere aliquam inconsiderationem, prout ea est mera negatio perfectioris, & intensioris cognitionis. Ratio hujus est: quia ea est peccati cujusvis natura, eaque damna habet annexa, ut si ista omnia, prout merentur, considerentur, moraliter sit impossibile peccare. Hac de causa S. Scriptura peccata sæpe adscribit defectui cognitionis, ut: *Desolatione desolata est omnis terra, quia non est, qui recogitet corde. Utinam saperent, & intelligerent, & novissima præviderent.* Item: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*, id est, difficillime, & rarissime peccabis.

Nota 5. Non obstante inadvertentia præfata, in peccatore semper adest sufficiens cognitio, & talis, qua stante etiam moraliter est possibile, vitare peccatum. Ratio hujus est: quia peccans semper sufficienter advertit ad malitiam peccati; alias enim ob ignorantiam omnino non peccaret. Insuper certum videtur apud omnes, quod illi, qui defacto peccant, non sint moraliter necessitati ad peccandum, etiam stante illa inadvertentia: ergo ipsis moraliter est possibile non peccare. Hinc nullus etiam adstringitur sub culpa ad illam exactissimam attentionem, & considerationem, quæ peccatum redderet moraliter impossibile; sufficit enim etiam illa minor advertentia, & consideratio, qua existente adhuc moralis datur possibilitas fugiendi peccatum, quamvis cum majori difficultate, & incertitudine.

Nota 6. Etiam stante exactissima cognitione objecti mali, potest voluntas adhuc peccare; nam adhuc habet libertatem physicam ad

peccandum. Ratio est jam sæpius adducta: quia objectum quomodocunque cognitum, non necessitat voluntatem ad bene agendum, vel abstinendum a peccato; movet quidem, & allicit, sed salva indifferentia, & libertate voluntatis. His positis

Ad illum textum Salomonis supra in objectione allatum R. sub distinct. *Errant, qui operantur malum*, errore voluntatis *conc.* errant errore intellectus *subd.* positivo, quo res judicaretur aliter se habere, ac est *neg.* errore negativo, qui tantum est carentia cognitionis majoris, & perfectioris, & quocum adhuc stat sufficientissima cognitio ad abstinendum a peccato *transf.* Datur non solum error in intellectu, sed & in voluntate; etenim omnis ille dicitur errare, qui deflectit a regula sibi præfixa: sed & voluntas, dum peccat, deflectit a regula sibi præfixa. Peccatores ergo, dum malum amplectuntur, errant per voluntatem, non autem semper per intellectum, quasi judicare deberent, revera malum esse amplectendum. Imo multi textus possunt exponi, quod loquantur tantum de errore intellectus consequente, & concomitante peccatum, quatenus talis error est tantum effectus peccati, in pœnam ejus immissus, vel quatenus voluntas ex proposito stimulos conscientiæ sopire tentat, avertendo intellectum, ne consideret malitiam, damna, ac pœnas peccati.

Dices: Voluntas sequitur intellectum: ergo non potest voluntas errare, nisi intellectus erret. R. D. a. Voluntas sequitur intellectum, id est, voluntas non appetit aliquod objectum, nisi propositum ab intellectu c. a. id est, necessario sequitur intellectum, & illud agit voluntas, quod intellectus dictat esse agendum n. a. sæpe in homine locum habet, ut dictum est: *video meliora, proboque, deteriora sequor.*

Objic. 4. Non potest voluntas eligere aliquod malum, v. g. adulterium, nisi illud sub ratione boni ab intellectu proponatur: atqui illa propositio intellectus, qua proponit malum sub ratione boni est positive erronea: ergo non potest voluntas eligere malum, & peccare, nisi in intellectu præcedat propositio, & cognitio erronea. R. D. M. nisi adulterium v. g. proponatur sub ratione boni delectabilis, & convenientis sensui c. M. nisi proponatur sub ratione boni honesti n. M. sed tali modo non errat intellectus quia proponit delectabilitatem sensibilem, quæ revera inest adulterio, & etiam est bona, prout convenit sensui, quamvis simul sit mala, prout

opponi-

opponitur honeſtati. Hinc intellectus etiam divinus ſine ullo errore format hoc judicium, quod adulterium ſit bonum amabile propter delectabilitatem, licet non ſine peccato, quia opponitur honeſtati.

Dices: Ergo etiam adulterium poteſt ſine errore ab intellectu cognoſci amore dignum. R. N. illat: Aliud enim eſt eſſe amabile, & bonum, & aliud amore dignum; nam illud tantum amore dignum cenſetur, quod honeſte, & ſine peccato amari poteſt: quia dignitas decentiam & honeſtatem importat.

Inſtabis: ſaltem actus ille, quo adulterium in ratione boni delectabilis proponitur, eſt defectuoſus in linea prudentiæ; non enim ſervit ad rectam directionem, ſed potius ad corruptionem morum: atqui omnis ille actus eſt defectuoſus in linea prudentiæ, & eſt imprudens, qui non ſervit ad rectam directionem, ſed potius ad corruptionem: ergo. R. D. M. Actus ille, quo adulterium unice in ratione boni delectabilis proponitur, eſſet imprudens, & ad peccatum inducens c. M. quo etiam proponitur malitia ejus moralis, & inhoneſtas n. M. Utiliter poteſt proponi delectabilitas illa una cum malitia morali, & inhoneſtate ejus: *tum* ut circa fugiendum hoc peccatum poſſit exerceri libertas ſpecificationis, ad quam requiritur cognitio indifferens: *tum*, ut intellectus, collatione facta inter utrumque bonum, delectabile ſcilicet, & honeſtum, poſſit honeſtatem evitationis adulterii præferre delectabilitati talis peccati.

Objic. 5. Ariſtoteles 6. Ethic. c. 15. ait *Si voluntas male eligit, intellectus male dictat*, ergo dum voluntas peccat, etiam ſimul intellectus errat. R. D. a. intellectus male dictat antecedenter ad operationem n. a. conſequenter, in quantum in pœnam per peccatum commiſſum ratio ſolet excœcari, vel ipſa voluntas pro extinguendo verme conſcientiæ intellectum a motivis veris avertit, & ad rationes tantum apparentes, ac malitiam excuſantes malitioſe convertit c. a. Poſſunt etiam ſimiles authoritates cum Aretino explicari, quod omnis peccans ſit errans, & ignorans intellectu non formaliter, ſed interpretative, in quantum ita agit, ac ſi eſſet ignorans, aut ſtultus.

Objic. 6. Idem Ariſtoteles L. *de Motu animalium* dicit: ſi in Syllogiſmo practico major proponatur ab intellectu, & minor a ſenſu, vel phantaſia, concluſio erit operatio, ita, ut neceſſario ſecundum

talem propositionem intellectus sequatur operatio voluntatis, nisi ista inpediatur. Iterum in variis locis videtur docere, quod quidem propositionem intellectus de aliqua re in universali factam, seu speculativam, voluntas non sequatur necessario, bene autem, si ea sit facta in particulari, seu practice: ut L. 6. *Eth.* c. 15. ergo voluntas debet semper sequi ultimum dictamen practicum intellectus. R. Hæc & similia non esse contra nos, quia ipse Aristoteles se fere semper explicat, dicendo: quod necessario sequatur operatio, *nisi impediatur, nisi prohibeatur*, scilicet per libertatem voluntatis, quæ etiam stante simili dictamine practico potest agere, vet non agere.

Objic. 7. Quando aliquis interrogatur, cur hoc faciat, vel eligat? semper respondet, quia ita judico esse faciendum, vel quia hic, & nunc hoc factu optimum judico: ergo voluntas sequitur necessario judicium intellectus. R. D. a. ita respondet homo, quando laudabiliter. & prudenter operatur, adeoque prudens intellectus judicium sequitur c. a. quando imprudenter agit, & prudens intellectus judicium libere respuit n. a. Cum homo non sequitur ductum intellectus, potest pro ratione suæ actionis reddere, quod ita sibi placuerit, ubi stabit pro ratione voluntas.

§. III.

An Voluntas possit eligere bonum minus relicto majori, etiam efficacius proposito?

339 Assero 1. Potest voluntas inter duo bona æqualia, & æqualiter efficacia per intellectum proposita, pro beneplacito suo unum eligere, relicto altero. SSæ. Suarez, Viva, contra TTas. Vasquez, & Bellarminum.

P. 1. Nullum ex his objectis necessitat voluntatem: ergo ea libera est ad eligendum quodcunque ex iis. A. constat: cum enim voluntas sit potentia libera, non potest determinari, aut necessitari per objectum; alias enim potentia libera in modo agendi non distingueretur ab intellectu, & potentiis necessariis, ut sæpius articulo isto est insinuatum.

P. 2. Si voluntas non posset unum præ altero objecto in præsenti casu eligere, tunc ea nullatenus posset operari, sed esset necessitata

sitata ad omissionem omnis actus circa illa objecta æqualiter bona: atqui tali modo tolleretur libertas indifferentiæ voluntatis: ergo. M. p. In primis voluntas non posset aliquod bonum ex his prosequi, uti dicunt AArii. Deinde neque posset aliquod ex iis objectis aversari; quia vel nullum ut malum proponitur, vel utrumque æqualiter malum apparet: si enim unum foret magis malum, quam alterum, tunc jam in bonitate non essent æqualia; siquidem illud, quod magis esset malum, foret minus bonum: adeoque tunc voluntas solum esset necessitata ad omissionem omnis actus circa ista objecta æqualiter bona, & æqualiter proposita per intellectum.

Dices: In hoc casu voluntas posset amorem suspendere erga bonum B., & facere, vel saltem permittere, ut intellectus vivacius repræsentet bonitatem, quæ est in objecto A. quo pacto posset voluntas relinquere objectum B. ceu minus vivide cognitum, & præeligere objectum A., utpote magis efficaciter ab intellectu ostensum: proin tali modo voluntas non impediretur ab omni actione.

Contra est: Juxta hanc responsionem voluntas posset libere intellectum, & ejus considerationem dirigere ad unum ex duobus objectis æqualiter propositis: ergo etiam non est ratio, cur non possit unum immediate ex his duobus objectis eligere.

Confirm. Vel ipsa hæc electio, qua unum objectum magis a voluntate eligitur, & imperatur ut considerandum, quam alterum, supponit antecedenter majorem bonitatem cognitam in objecto sic præelecto, vel non supponit? si *primum*: tunc tollitur status quæstionis, & unum objectum supponitur esse repræsentatum ut majus, & alterum ut minus bonum. Si *secundum*: tunc admittitur, quod aliquod objectum possit a voluntate eligi præ altero, quin cognoscatur esse magis bonum, quam alterum, adeoque habeo intentum.

Objic. Quando duo equi æqualium virium alter a parte anteriore, alter a parte posteriore eundem currum in oppositas partes trahere conantur, nullus ex his commovebit currum: ergo etiam, quando duo objecta æqualiter bona proponentur, nullum movebit voluntatem, consequenter nullum poterit eligi. R. N. c. & parit. Currus se habet mere passive, neque est in ipsius potestate & beneplacito consentire uni trahenti præ altero: econtra voluntas se ha-

bet active, & est in liberrima ejus potestate unum motivum admittere, & alterum non acceptare; est enim potentia libera.

340 Assero 2. Voluntas potest etiam eligere bonum minus præ majori, etiamsi bonum minus repræsentetur inefficacius, & minus vivide. Citati. P. breviter. 1. Neque cognitio ostendens majorem bonitatem, neque ipsa major bonitas necessitant voluntatem ad hoc, ut præeligat majus bonum præ minore. 2. Minus bonum etiam in concursu majoris, est in se vere bonum, & amabile: ergo non est ratio, cur voluntas non possit pro libertate sua eligere, & amare minus bonum relicto majori. Ex his igitur

Habes, quod libere possit omitti eleemosina major, & dari minor, libere relinqui cœlibatus, & eligi matrimonium, etsi status cœlibatus efficacius fuerit repræsentatus per intellectum &c.

341 Objic. 1. Voluntas non potest ferri in objectum incognitum: atqui hoc fieret in nostra sententia: ergo. m. p. voluntas præeligeret minus bonum: sed minus bonum non esset cognitum ut præeligibile: ergo voluntas ferretur in incognitum. R. c. M. n. m. ad prob. d. m. non esset cognitum ut præeligibile, si voluntas vellet ordinatissime procedere in electione c. m. non esset præcognitum ut simpliciter præeligibile n. m. Utrumque objectum exhibuit intellectus ut bonum, adeoque utrumque ut simpliciter eligibile: si tamen voluntas vellet ordinatissime procedere, tunc utique majus præeligere deberet. Atque in hoc sensu Aristoteles dicit, illud bonum esse eligibile (nimirum ordinatissime, & prudentissime agendo) quod cæteris bonis prætulimus. Simpliciter autem & ille adhuc ordinate, ac virtuose agit, qui objectum minus bonum, vere tamen in se honestum, & moraliter bonum præ magis honesto, magisque virtuoso eligit. Ita ille, qui eligit statum matrimonii præ vita religiosa, qui elicit actum amoris Dei intensum ut duo præ actu intenso ut quatuor, adhuc honeste, ordinate, ac prudenter agit, ac rationem suæ actionis facile dare potest hanc, quod nimirum ex una parte etiam objectum minus bonum, quod elegit, in se sit vere bonum, ac rationabiliter ab homine prudente eligibile, & quod ex altera parte nulla sit obligatione adstrictus ad majus bonum amplectendum, sed libertatem plenam habeat, alterutrum ex illis acceptandi.

Objic. 2. Majus bonum magis movet: ergo & illud necessario præeligitur. R. d. a. magis movet in actu primo, & ita, ut non necessitet

cessitet simul c. a. magis movet etiam in actu secundo, & ità, ut simul necessitet ad sui amplexum n. a. &c.

Objic. 3. Voluntas nequit magis amare minus bonum, quam majus: sed magis amaret, si minus præeligeret: ergo nequit præeligere minus bonum. R. N. M. In potestate voluntatis est, vel majus bonum omnino non amare, vel aliud præ ipso amare. Nihilominus, dum voluntas bonum minus eligit præ majore, majus non contemnit, nec odit: sic, dum quis vitam sæcularem amplectitur, ex eo non contemnit, nec odit religiosam.

Objic. 4. Voluntas non potest appetere malum: sed minus bonum est malum; est enim carentia, & defectus majoris boni: ergo. R. d. m. sed minus bonum, comparative, & reduplicative sumptum, est malum c. m. in se, & absolute spectatum n. m. &c. Minus bonum qua minus, & quatenus est carentia majoris boni dicit defectum, & quoddam malum, quod voluntatem non movet ad electionem, & amorem in se tamen absolute spectatum importat aliquam positivam bonitatem, quæ amabilis, & eligibilis est.

Dices: Tali modo semper honeste posset aliquis minus bonum in se absolute spectatum eligere relicto majore, dummodo illud non præeligat ut minus, nec comparative ad majus: sequela est absurda: ergo. m. p. nam non potest homo bona caduca æternis, aut bonum sensibile, & delectabile honesto præferre, aut præeligere. R. d. M. posset aliquis semper minus bonum præ majori honeste eligere, dummodo etiam minus bonum in se sit honestum, & præceptum aliquod non urgeat ad majus præeligendum c. M. si bonum minus in se non sit honestum, vel præceptum aliquod urgeat ad majus præeligendum n. M. Ad hoc, ut aliquis non solum libere, sed & honeste, ac prudenter agat, debet & ferri in objectum in se honestum, & debet nullum præceptum legitimum transgredi.

Objic. 5. Non potest voluntas eligere bonum minus, nisi repudiet melius: atqui bonum melius non potest repudiare: ergo. m. p. Voluntas nil potest amare nisi bonum, & nil potest repudiare nisi malum, ut n. 343. dicetur: sed bonum melius non est malum: ergo voluntas bonum melius non potest repudiare. R. d. M. Non potest voluntas eligere minus bonum, nisi melius repudiet negative c. M. nisi positive repudiet n. M. & d. m. atqui bonum melius non potest repudiare positive c. m. negative n. m. & c. Positive quidem

per actum positivum odii, vel fugæ potest solum malum a voluntate repudiari: negative vero, suspendendo, aut omittendo omnem actum, potest etiam bonum repudiari, cum voluntas qualicunque bono proposito sit indifferens ad amplectendum, & amandum illud, vel omnino ad suspendendum, & omittendum actum quemcunque.

Objic. 6. Voluntas non potest velle, nisi bonum simpliciter tale: ergo etiam non potest magis velle, aut præeligere nisi bonum, quod est magis tale. R. N. c. Si enim omne bonum simpliciter abest, tunc actus prosecutivus voluntatis, qui in solum bonum tendere potest, careret omni objecto. Ast sine objecto non potest dari aliquis actus voluntatis. Quando autem saltem habetur bonum minus, jam habetur bonum simpliciter, & absolute tale, & per consequens objectum volitionis, & nolitionis. Neque locum hic habet illud axioma: *sicut se habet simpliciter ad simpliciter: ita se habet magis ad magis*; nam id plerumque tantum procedit in causis necessariis, non autem liberis, saltem ordinarie; causa enim libera eo ipso, quod libera sit, potest, prout ipsi placuerit, interdum majus bonum relinquere, & minus acceptare.

§. IV.

Varia quæsita de libertate voluntatis.

342 Quæres 1. An, & cur Beati necessario ament Deum? R. 1. Communior est quidem sententia affirmans, quod Beati non libere, sed tantum necessario ament Deum. Hæc assertio potius supponitur, quam probatur; nulla enim efficax ratio talis necessitatis ostendi potest. Certe objectum beatificum clare visum, seu Deus beatifice visus non necessitat physice voluntatem ad sui amorem, ut Scotus 4. d. 49. q. 6. §. *contra secundam propositionem* n. 9. & 1. d. 1. q. 4. n. 13. contra D. Thomam docet: neque apparet alia causa physice necessitans voluntatem Beatorum ad amorem.

R. 2. Si tamen Beati necessario ament Deum, & quidem necessitate physica, tunc hoc provenit a Deo prædeterminante per suum concursum extrinsecum. Ita Scotus l. c. Nempe divina voluntas Beatis in actu primo non offert concursum suum indifferentem ad amandum, & non amandum, sed præbet tantum concursum necessitantem, & determinantem ad amorem.

R. 3.

R. 3. Probabile eſt, quod Beati libere ament Deum in Patria, & non neceſſitentur phyſice ad amorem. Ita plures egregii SSæ. ut Brizenus, & Poncius: a quibus non diſſentiunt Herincx, & Henno. P. Objecto beatifico, ſeu Deo etiam clare viſo voluntas retinet in ſe ſuam indifferentiam: ergo remanet libera ad amandum Deum, vel non amandum. A. p. Nil poteſt oſtendi, quod voluntatem Beati phyſice neceſſitaret ad actum amoris, & ad abſtinendum a peccato; nam 1mo non neceſſitat viſio beatifica, quæ tantum eſt conditio applicativa objecti, infiniti quidem, finito tamen modo, juxta capacitatem voluntatis creatæ; hæc autem eſt intrinſece libera, & indifferens ad agendum, vel non agendum, quam indifferentiam etiam videtur retinere ſtante viſione beatifica; etenim clara viſio objecti nihil immutat in voluntate. 2do. Neque neceſſitat phyſice habitus charitatis; ſiquidem hic jam exiſtit in Viatoribus, ſalva tamen libertate indifferentiæ: item habitus hic ſubeſt dominio voluntatis, quæ illum pro libitu ſuo ad operationem applicare, vel ejus actionem ſuſpendere poteſt. 3. Neque alia cauſa phyſice neceſſitans poteſt oſtendi: præſertim cum nulla ratio, nulla authoritas ſuadeat, dari talem phyſicam neceſſitatem in Beatis; nam admiſſa ſola neceſſitate morali, omnia, quæ hac in re ſunt ſalvanda, optime ſalvari poſſunt.

Confirm: Si objectum beatificum clare viſum neceſſitaret Beatum ad amorem, tunc ideo, quia illud ſub omni ratione bonum, & ſub nulla ratione ut malum proponitur: atqui hæc ratio nihil probat, ut manifeſtum eſt ex dictis n. 334. ergo.

Si autem dicas, quod Deus per concurſum ſuum prævenientem neceſſitet Beatos ad amorem, & abſtinendum ab omni peccato, tunc dico, quod hæc neceſſitas ſit tantum moralis, non phyſica: pro quo nota, illud eſſe phyſice neceſſarium, quod ita neceſſario fit, ut ſine miraculo omitti nequeat: moraliter neceſſarium eſt, quod quidem abſolute poteſt fieri, vel omitti, ejus tamen omiſſio eſt ita difficilis, ut in æſtimatione morali impoſſibilis cenſeatur.

Dico igitur, Beatos neceſſitari ad amandum Deum, & abſtinendum ab omni peccato eatenus, quatenus ſe clare, & ut bonum ſub omni ratione ipſis oſtendit, & ſingulariter illos protegit, ne unquam ceſſent ab amore. Sic etiam confirmati in gratia retinent ſuam libertatem, ac poſſunt quidem peccare, non tamen peccabunt unquam;

eoquod a Deo ita fpecialiter protegantur, iisque gratiis præveniantur, quibus ftantibus moraliter eft impoffibile peccatum grave, vel amiffio ftatus gratiæ.

Neque contrarius eft Scotus; etfi enim 4. cit. D. & qu. videatur docere, quod Beati tantum habeant potentiam remotam ad peccatum, & non amandum Deum, per hanc tamen intelligit folummodo, quod Beati non habeant potentiam proximam moralem, & immunem ab omni neceffitate tam phyfica, quam morali: non autem in iis negat potentiam proximam requifitam ad bene, & laudabiliter, ac libere, & contingenter agendum. Unde n. 15. ad finem §. in folutione alicujus objectionis dicit, fimpliciter effe contingens in Beato, quod non peccet.

Dices: Tali modo Beatus in Patria non effet alio modo impeccabilis, quam Juftus in gratia confirmatus; utraque enim impeccabilitas proveniret ex fpeciali protectione Dei, præfervante ab omni lapfu: atqui fequela non videtur admittenda: ergo. R. N. M. Nam 1mo Beatus ex fpeciali titulo, vi ipfius ftatus beatitudinis exigit iftam confervationem in gratia, & amore, non autem Viator; hic enim illam tantum ex fpeciali, & indebito Dei favore obtinere poteft. 2do. In Beato datur clara vifio Dei, quæ ipfa moraliter neceffitat ad amorem Dei, confequenter ad omiffionem omnis peccati tanquam incompoffibilis cum hoc amore. Hæc probabiliter juxta mentem illorum Scotiftarum: ex quibus

Colliges, quod neque voluntas phyfice neceffitetur ad actum amoris erga bonum, vel beatitudinem, fi illa in communi proponatur abfque ulla apparentia mali. Rato hujus defumitur ex dictis; nam quomodocunque objectum ut pure bonum proponatur, voluntas femper manet indifferens ad agendum, & non agendum, & faltem libertatem contradictionis retinet.

343 Quæres 2. An voluntas poffit libere amare malum ut malum? R. Voluntas non poteft amare malum fub pura ratione mali, neque poteft odiffe bonum fub pura ratione boni. Ita Scotus 4. D. 49. q. 10. §. *quantum ad fecundum articulum.* n. 8. & 9. De hac tamen re Doctor in aliis locis quafi dubius hæret, & nihil refolvit. Eft contra Ockam, & Nominales, quos fequuntur alii SSæ.

P. 1. Authoritate. S. Dionyfius *de Div. Nominibus. c.* 4. verfus finem ait: *Nemo ad malum intendens operatur.* Et D. Auguftinus in *Enchiridio.*

ridio. c. 86. habet: *Beati esse volumus, & miseri esse non solum nolumus, sed neque velle possumus.*

P. 2. ratione: Appetitus innatus, & sensitivus tantum feruntur in bonum suum, & in sibi conveniens: ergo & appetitus rationalis.

P. 3. Intellectus nequit assentire falso, cognito ut tali, neque potest dissentire vero, proposito ut tali: ergo neque voluntas potest amare malum qua tale, neque potest odisse bonum qua tale. C. constat; nam sicut verum, & falsum sunt objectum respectu assensus, & dissensus intellectualis, ita & bonum, ac malum sunt objectum respectu amoris, & odii, seu prosecutionis, & fugæ in voluntate.

Neque dicas: voluntatem esse liberam, non autem intellectum; nam contra est: voluntas non ita libera est, ut pro libitu suo feratur extra proprium objectum, quod respectu amoris, seu prosecutionis est solum bonum, & respectu fugæ ac odii solum est malum.

Dixi in responsione: Voluntas non potest amare malum *sub pura ratione mali*, seu qua tale; siquidem voluntas sæpe amat objectum in se revera malum, sed propositum sub ratione vera, vel apparente boni. Tali modo peccatores amant, & appetunt objectum moraliter malum ob bonitatem delectabilem, & sensibilem, quæ in illo reperitur, vel saltem apprehenditur: iterum, qui cupiunt se vindicare, apprehendunt, & appetunt aliquam bonitatem ex vindicta sibi resultantem: & tandem ille quoque, qui alteri vult malum, v. g. mortem, hoc apprehendit, & appetit ut sibi bonum.

Objic. 1. Deus potest odio haberi a malis, & de facto odio habetur a damnatis, licet sit sub omni ratione bonus: ergo bonum sub ratione boni potest odio haberi. R. D. a. Deus est sub omni ratione bonus, intrinsece, & secundum se spectatus c. a. extrinsece consideratus, præsertim a ratione non recte, nec rationabiliter agente n. a. Deus extrinsece, & in ordine ad homines malos spectatus, potest apparere ut malus, & injucundus, quatenus nempe punit suppliciis æternis, præcipit talia, quæ sensibus non arrident, ac pravis Peccatorum desideriis obsistit: quamvis & eatenus secundum rectam rationem sit summe amabilis.

Objic. 2. Potentia est ad opposita: v. g. potentia visiva potest videre album, & nigrum: ergo etiam voluntas est ad opposita, & potest velle bonum, & malum. R. D. a. potentia est ad opposita, semper per actum ejusdem rationis n. a. diversæ rationis c. a. Etiam intellectus est ad opposita, scilicet ad verum, & falsum; sed in verum tendit per actum assensus, & in falsum per actum dissensus: ita & voluntas in bonum tendit per actum prosecutionis, & amoris, & in malum per actum fugæ, & odii.

Objic. 3. Negationes sunt purum malum: atqui aliquando volumus negationes, v. g. tenebras, silentium, quod est negatio colloquii &c. ergo. R. N. M. nam non omnis negatio est purum malum: sic carentia defatigationis aliquam bonitatem habet, quatenus servit ad quietem consequendam: Unde & Philosophus 1. Eth. 5. dicit, quod carere malo habeat aliquam rationem boni; hinc dum appetimus negationem, vel carentiam alicujus rei, id ideo contingit, quia carere tali re nobis bonum est, vel saltem ut bonum apparet. Vide dicta n. 335.

344 Quæres 3. Quomodo Deus, Angeli, Astra, ac concupiscentia moveant nostram voluntatem?

R. 1. Deus movet voluntatem partim physice, partim moraliter. Verum de motione physica jam actum est in Philosophia, de morali tractatur in Tractatu de gratia.

R. 2. Angeli movent voluntatem tantum remote, & indirecte, quatenus scilicet movent temperamentum, & humores corporis, quibus motis excitantur variæ operationes in phantasia, & appetitu sensitivo, quas tandem sequitur ipsa operatio voluntatis. Item possunt proponere varia objecta, concitare species imaginativas, agitare spiritus vitales, & animales, loqui externe &c. non autem videntur immediate agere in voluntatem, aut in illa aliquid producere. De quo forte plura in Tractatu de Angelis.

R. 3. Neque astra directe, aut immediate agunt in voluntatem; eo quod hæc sit potentia spiritualis, illa vero sint corpora materialia. Unde non apparet, quod immediatum influxum possint in voluntatem exercere, aliquid in ea producendo. Nihilominus & ista indirecte, ac remote voluntatem afficiunt, quia ex eorum influxu alterantur humores, & corpus humanum, inde autem movetur Phantasia,

tasia, & appetitus sensitivus, hisque mediantibus intellectus & voluntas, salva tamen ejus libertate; hæc enim uti appetitui sensitivo, ita & astrorum influxui resistere potest. Unde illud Ptolomei: *Sapiens dominabitur astris.*

R. 4. Concupiscentia movet voluntatem per quamdam Sympathiam, & consensum, quem habent inter se. De hoc jam dictum est n. 319.

Quæres 4. An voluntas etiam in ipso instanti, quo actu operatur, sit libera? R. affirmative. Ita SSæ. ac fere omnes contra Ockamum, & Nominales. 345

P. 1. Voluntati debet concedi liberum exercitium: atqui, si non esset libera in instanti, quo agit, tunc non haberet liberum exercitium: ergo voluntas etiam est libera in instanti, quo agit.

P. 2. Voluntas, antequam actu operetur, habet potentiam libere operandi: ergo dum operatur, actu libere operatur.

P. 3. Voluntas cum omnibus ad agendum requisitis ita actu agit, ut iis stantibus potuisset non agere. Sic dum quis ex libertate sua actu sedet, tunc ita sedet, ut potuisset eo instanti non sedere: ergo voluntas agit libere, dum actu agit. C. p. Ideo causa naturalis, dum actu agit, naturaliter, & necessario agit, quia stantibus omnibus ad agendum requisitis non potest non agere: ergo vicissim, quia voluntas stantibus omnibus ad agendum requisitis ita agit, ut potuisset tunc non agere, ideo erit libera, & libere aget, dum actu operatur.

P. 4. Actus, dum actu a voluntate elicitur, est liber: ergo etiam voluntas, dum eum actu elicit, est libera. Conf. est liquida; libertas enim in actu voluntatis est denominatio extrinseca, desumpta a potentia libere eliciente; proinde si voluntas pro eo instanti non eliceret libere eum actum, tunc eundem neque liberum extrinsece denominare posset. A. p. Hic actus debet esse aliquando liber, cum possit esse meritorius, vel demeritorius: sed non potest dici, quod sit liber ante vel post productionem suam: ergo debet esse liber in productione sua. m. p. Talis actus ante productionem suam non existit, & est merum nihilum, atque ita neque liber, neque meritorius. Neque potest dici secundum; nam hoc non procederet in actibus voluntatis transeuntibus, quales credibiliter sunt

omnes, qui consequenter post productionem suam non remanent, neque amplius existunt: ergo.

346 Objic. 1. Dum voluntas actu operatur, est determinata ad agendum, & necessario agit, ergo tunc non est libera. R. D. a. est determinata ad agendum a se ipsa, & necessario agit necessitate consequenti, quam sibi libere imposuit c. a. est determinata ad agendum ab aliquo extrinseco, & necessario agit necessitate antecedente n. a. &c. Determinatio, qua voluntas se ipsam ad operandum determinat, non tollit libertatem, sed potius eam exercet.

Objic. 2. Actualis operatio tollit indifferentiam voluntatis: ergo etiam tollit ejus libertatem. R. N. c. Dum indifferentia voluntatis ab ipsa voluntate tollitur, non læditur libertas, sed potius ad actum reducitur.

Objic. 3. Indifferentia proxima ad agendum, vel non agendum est de essentia libertatis: sed voluntas, dum actu agit, non habet indifferentiam proximam ad agendum, vel non agendum: ergo. R. d. M. Indifferentia proxima, præsupposita ex parte actus primi proximi est de essentia libertatis, seu potius libertas necessario præsupponit ex parte actus primi proximi indifferentiam proxime expeditam ad agendum, vel non agendum c. M. dicit etiam indifferentiam proximam in sensu composito actus secundi, dum voluntas actu operatur n. M. dum voluntas actu operatur, tollit illam indifferentiam, & se ad unum contradictionis, vel contrarietatis membrum determinat. Neque hæc determinatio ad actionem obest libertati, quia ab ipsa voluntate liberrime ponitur, & potuisset non poni: sic qui libere sedet, ita sedet, ut potuisset sessionem omittere.

Objic. 4. Scotus vocat actum voluntatis formam naturalem: ergo est naturalis, non autem liber. R. d. a. vocat formam naturalem, quatenus respicit voluntatem ut potentiam passivam, a qua naturaliter ad normam aliarum formarum recipitur, & cui effectum formalem tribuit c. a. quatenus respicit voluntatem ut potentiam activam n. a. Nam actus a voluntate tanquam potentia activa non producitur naturaliter, cum voluntas non sit principium productivum naturale, & determinatum ad unum, sed indifferens, & liberum, ut agat, vel non agat. Porro libertas indifferentiæ dicit talem indifferentiam proximam ad agendum, vel non agendum, quæ adesset, nisi voluntas pro libitu suo se determinaret ad unum contradi-

traditionis membrum, vel si abesset propria determinatio voluntatis, & impedimentum positum a voluntate; nam propria determinatio non obest libertati indifferentiæ, cum ea solam ponat necessitatem consequentem: non autem requiritur ad libertatem, ut ea actu sit componibilis cum utroque extremo; quia tantum est simultas potentiæ, & indifferentiæ, non autem potentia, & indifferentia simultatis.

Articulus III.

De Actibus Liberi Arbitrii.

Actus voluntatis, de quibus hic præcipue agetur, alii sunt, qui 347
versantur circa *finem*, alii circa *media* ad finem. Circa finem se tenent *simplex volitio*, *intentio*, & *fruitio*.

Simplex volitio, *complacentia*, *amor simplex* & *volitio inefficax* est actus, quo voluntas tantum simpliciter complacet in aliquo fine, vel objecto, non autem intendit per media debita applicata consequi hunc finem. Sic omnes fere Christiani complacentiam ostendunt in æterna gloria, multi tamen eam non volunt efficaciter, cum media ad illam assequendam necessaria nolint applicare.

Ad simplicem volitionem reducitur *volitio conditionata*, quæ quidem in media etiam fertur, sed tantum conditionate, adeoque inefficaciter, & habet hanc tendentiam: *Vellem hoc consequi, si possem, nisi esset tam difficile. Vellem hoc, vel illud addiscere, si non tanto labore, & studio constaret.* Verum tales actus vocantur velleitates, & possunt etiam dari circa objecta impossibilia: sic impii desiderant, Deum non esse, si foret possibile, & probi volunt Deum amare amore infinito, ac quanto dignus est, si esset possibilis.

Intentio est actus, ac desiderium, quo voluntas fertur in finem absentem, per media assequibilem, estque actus efficax, ita, ut nunquam intentionem habeat voluntas, nisi adhibeat media ad finem assequendum necessaria, saltem si ea sunt possibilia. Hic obiter nota, quod efficacia actus voluntatis non desumatur ab intensione ejus graduali, quatenus nempe ille actus foret efficacior, qui esset intensior: sed desumitur ab applicatione mediorum, & executione illius, quod desideramus, & intendimus. Hinc actus inefficax poterit esse

intensissimus, intentio vere efficax satis remissa: vi posterioris tamen applicabuntur media ad finem necessaria, non autem vi prioris, seu inefficacis actus.

Fruitio est amor efficax finis jam obtenti. Est autem amor ita absolutus, ut per eum detestemur omnia fini contraria, & amplectamur omnia ad finem requisita, adeo quidem, ut nisi finis jam obtentus esset, ipse hic amor se solo efficaciter impelleret ad illum prosequendum, & obtinendum per media debita. Et ideo fruitio est, & dicitur actus efficax voluntatis. Quandoque fruitio est ipsissima possessio finis, quando nempe hic per actum voluntatis petit possideri: sic Beati Deum, ceu suum ultimum finem, saltem partialiter possident amore fruitivo.

348 Actus eliciti voluntatis circa media sunt etiam tres: *Electio*, *consensus*, & *usus*.

Electio est volitio efficax, qua voluntas ex pluribus mediis unum præ alio amplectitur ad consequendum finem. *Usus*, nempe *activus*, est actus voluntatis efficax, qua se movet, & alias potentias applicat ad executionem medii. Verum hic actus non videtur esse distinctus ab electione; nam eo ipso, quod voluntas per electionem efficaciter, & executive velit applicare media, eo ipso, inquam, seipsam, & alias potentias movet ad exequenda ista media. Quare teste Herincx, aliqui TTæ. gratis fingunt aliquem distinctum impetum in voluntate, requisitum ad executionem mediorum.

Consensus juxta P. Henno est actus, quo voluntas acceptat, & approbat media ab intellectu proposita ut idonea ad finem consequendum. Verum Herincx cum Poncio existimat, consensum efficacem generaliter esse actum efficacem voluntatis, quo ipsa bonum sibi ab intellectu propositum amplectitur: & dissensum esse actum efficacem, quo voluntas objectum non vult, & positive, ac efficaciter respuit; nam vi nominis consensus nil aliud dicit, quam quod voluntas consentiat intellectui proponenti objectum, & illud acceptet, quod ab intellectu est ostensum, vel judicatum, & dissensus importat solum, quod voluntas dissentiat objecto proposito. Quapropter intentio, electio, & alii actus efficaces voluntatis possunt consensus appellari.

His actibus accedit *imperium*, quod est actus efficax, quo voluntas se, aut potentias sibi subditas movet ad aliquem actum: estque

actus

actus indistinctus a cæteris actibus efficacibus voluntatis, præsertim ab electione mediorum.

Postulabis etiam, quid sit *consilium*, & quomodo concurrat ad actus elicitos voluntatis? R. ex P. Herincx: Consilium est absque dubio actus intellectus, atque duo importat, unum inchoative & præsuppositive, alterum formaliter: præsuppositive ad consilium requiritur consultatio, & investigatio per ratiocinium, quid expediat, & prudenter hic & nunc sit agendum, vel omittendum: formaliter vero importat sententiam, judicium, ac resolutionem, qua resolvitur determinate, hoc esse agendum, hoc non esse faciendum. Ratio hujus est; quia, dum consilium petimus, formaliter, & ultimato resolutionem, & judicium determinatum de re aliqua desideramus. Item, dum quis tantum dubitat, & inquirit, non censetur habere consilium, bene vero, quando præmissa debita consultatione judicium resolutorium format. Denique in Deo non datur consultatio, vel inquisitio veritatis; hæc enim dubium, & ignorantiam, Deo non convenientem, præsupponit: nihilominus in eo formaliter existit consilium, imo Deus (ut ait Apostolus ad Ephes. 1.) *operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ:* adeoque consilium essentialiter, & formaliter non est ipsa consultatio, & inquisitio.

Cæterum non solum potest fieri consultatio, & consilium capi, quodnam ex pluribus mediis sit amplectendum: verum & inquiri, & per consilium decerni potest, quisnam ex pluribus finibus præ alio sit amplectendus, ut docet Scotus 3. d. 36. n. 19. cum aliis. His præmissis resolvuntur potiora dubia de allegatis actibus liberi arbitrii.

§. I.

An Intentio distinguatur ab Electione?

Assero 1mo. Intentio, & electio sunt frequenter duo realiter distincti actus. Mastrius in Animastica, Herincx, Henno, Becanus, & alii. 319

P. Sæpe, postquam intendimus efficaciter prosequi aliquem finem, primum consultamus, ac inquirimus, per quænam media finis ille sit obtinendus, ac tandem eligimus unum, vel plura media: in quo casu intentio certe præcedit electionem, & ab hac realiter distinguitur; ergo.

Dices: In hoc caſu voluntas, facta conſultatione de mediis, ſtatim deponit priorem actum intentionis, quem habuit ante conſultationem, & elicit novum actum intentionis, quo ſimul vult finem, & media propter finem. R. Hoc omnino gratis dici; non eſt enim ulla neceſſitas mutandi priorem intentionem finis, & novam eliciendi; quis enim neceſſitabit voluntatem, ut priorem efficacem intentionem mutet, aut ſuſpendat? ſi autem priorem non mutat, tunc non indiget nova, cum prior jam ſatis ſit efficax, & ſufficienter moveat ad finem, & ad media propter finem eligenda.

Objic. 1. Non poteſt efficaciter intendi finis, niſi ſimul intendantur media; intentio enim neceſſario dicit ordinem ad media: ergo habita efficaci intentione finis jam ſupponitur etiam efficax intentio, & electio mediorum.

R. 1. Retorq. Argum. Non poteſt aliquis aſſentire objecto præmiſſarum in aliquo diſcurſu, niſi etiam aſſentiat, ſaltem implicite, & virtualiter objecto concluſionis; objectum enim concluſionis in objecto præmiſſarum includitur: ergo habito aſſenſu præmiſſarum jam ſupponitur etiam adeſſe aſſenſus concluſionis, & hic non diſtinguitur ab aſſenſu præmiſſarum.

R. 2. d. a. niſi ſimul intendantur media implicite, virtualiter, & indeterminate c. a. niſi intendantur explicite, formaliter, & determinate n. a. Dum quis efficaciter intendit finem, ſimul intendit, implicite ſaltem, & virtualiter, quod per media aliqua conducentia finem illum velit obtinere: aſt poteſt in hac intentione adhuc abſtrahere, per quænam determinate media hanc ſuam intentionem velit exequi. Unde primum deinde ſubſequitur conſultatio, ac tandem electio diſtincta ab intentione priore.

Objic. 2. Media eliguntur propter finem tanquam motivum: ſed motivum, & illud, quod propter tale motivum appetitur, debent uno actu attingi: ergo. R. d. m. debent uno actu attingi, niſi motivum jam prius per diſtinctum actum fuerit amatum, & intentum c. m. ſi jam per priorem actum fuerit intentum n. m. & c.

350 Aſſero 2. Poteſt tamen voluntas etiam uno actu attingere finem, & media propter finem, & tunc idem actus erit ſimul intentio, & electio. Maſtrius, & reliqui pro prima Aſſertione citati. Utramque

que hanc conclusionem videtur supponere Scotus 2. d. 38. q. un. ibi: *Quod si & voliti, & ejus propter quod est volitum, sit idem actus voluntatis, idem actus erit usus, & intentio: si autem alius, intentio formaliter dicet actum istum, quo tendit voluntas in finem, & materialiter actum utendi, quo refert alium in istum finem.*

P. Quia possum habere hunc actum: *Ego volo consequi sanitatem per hanc determinatam medicinam:* atqui hic unus actus attingit simul sanitatem tanquam finem, & medicinam tanquam medium: ergo.

Confirm. Per eundem actum possum amare Deum, & proximum propter Deum, v. g. dicendo: *Amo proximum propter Deum super omnia amatum:* ergo etiam per unicum actum possum attingere finem, & media.

Objic. 1. Non potest intellectus uno actu ferri in præmissas, & conclusionem: ergo neque voluntas uno actu potest attingere finem, & media. R. 1. Retorq. & invert. argum. Intellectus uno indivisibili actu, qui tantum est virtualiter discursivus, potest ferri in objectum præmissarum, & conclusionis, v. g. dicendo: *quia sol lucet, ideo dies est.* Item: *quia omnis homo est animal, & quia Petrus est homo, ideo Petrus est animal.* R. 2. d. a. Intellectus non potest ferri in præmissas, & conclusionem modo formaliter discursivo c. a. modo non formaliter discursivo n. a. &c.

Objic 2. Propter finem tanquam motivum appetuntur media: ergo finis semper debet prius, ac per distinctum actum appeti. R. N. c. motivum enim, & illud, propter quod motivum appetitur, sæpe per unum actum attingi possunt, ut exempla paulo ante adducta ostendunt. sic Deum tanquam motivum amoris erga proximum possum attingere eodem actu, quo amo proximum, eodem actu possum velle medicinam, quo sanitatem &c.

§. II.

Resolvuntur varia dubia de Electione.

Petes 1. An tunc, dum intentio, & electio distinguuntur, intentio sit causa physica electionis? R. cum Henno, & Herincx, contra Vasquez probabilius negative. Ratio hujus est 1. Quia non est afferen- 351

ren-

rendus influxus physicus unius actus in alium actum ejusdem potentiæ sine necessitate: atqui hic nulla est necessitas hujus influxus physici, quem exerceret intentio in electionem: ergo. m. p. quia ex una parte sola voluntas est sufficiens non minus ad physice efficiendam electionem, quam intentionem: ex altera parte influxus hic intentionis in electionem satis explicatur per motionem, & determinationem moralem: sicut & objectum amabile voluntatem tantum moraliter movendo, non autem physice efficiendo movet ad actum amoris.

Accedit, quod voluntas per suum imperium determinet potentias exteriores, & a se distinctas ad aliquos actus, quos tamen neutiquam efficit: ergo & intentio potest movere, & determinare ad electionem mediorum, quin eam efficiat.

352 Petes 2. An voluntas ex pluribus mediis possit etiam eligere medium minus bonum, minusque utile relicto meliori? R. Affirmative, dummodo medium minus utile saltem sit sufficiens ad finem consequendum. Assertio ista sequitur ex iis, quæ num. 340. & seq. sunt dicta. Ratio ulterior est: quia medium minus bonum est sufficiens ad consecutionem finis, & est vere bonum, medium autem melius non est absolute necessarium: ergo nulla est ratio, quin voluntas possit uti sua libertate, & medium minus eligere relicto meliore.

Objic. 1. Electio, ut ipsa vox indicat, importat, ut unum alteri præponatur: atqui utilius solet, & debet præponi minus utili: ergo. R. N. M. nam eligere juxta Aristotelem 3. Eth. 2. est *unum ex multis legere*, sive deinde illud, quod eligitur, sit præpositum, sive tantum propositum ab intellectu.

Objic. 2. Aristoteles 3. Eth. c. 3. ait: *Quod cæteris in consultatione prætulimus, id eligibile est.* Idem etiam docet S. Damascenus: atqui in consultatione præferimus semper utilius: ergo. R. Aristotelem, & S. Damascenum duntaxat loqui de eo, quod ordinarie contingit, ordinarie enim semper illud medium eligimus, quod hic & nunc nobis utilius, vel melius, aut facilius &c. cognoscimus: tamen non obstat, quo minus possit aliter fieri.

353 Petes 3. Quid in casu dicendum, quo unum tantum datur, vel occurrit medium, quo finis potest obtineri, an nempe in hoc casu ille,

ille, qui efficaciter intendit finem, etiam necessario eligat tale unicum medium? R. Quando unum tantum est medium, quod judicatur esse necessarium, & sufficiens ad consequendum finem, tunc posita efficaci intentione finis electio talis medii est simpliciter libera: potest tamen esse necessaria ex hypothesi, seu necessitate consequenti. Herincx.

P. prima pars 1mo. Voluntati semper est liberum, abstinere a tali electione medii illius unici: ergo ea est libera. A. p. Voluntati semper est liberum, auferre ipsam efficacem intentionem finis: hac autem ablata per se non amplius est necessaria electio illius medii: ergo.

Confirm. Necessitas ex hypothesi non præjudicat libertati: atqui hic datur tantum necessitas ex hypothesi, ut patebit ex probatione 2dæ partis: ergo.

P. 2. Qui intendit dare eleemosinam, & non potest, nisi furetur, non necessario eligit tale medium, nempe furtum; potest enim mutare intentionem dandi eleemosinam, donec occurrat aliud medium honestum: ergo in hoc casu liberrime posset omitti electio medii illius unici.

P. etiam 2da pars. Etsi enim intentio finis sit libera, potest tamen fieri, ut voluntas constanter velit perseverare in efficaci intentione finis, atque tunc sibi ipsi imponit necessitatem eligendi illud unicum medium, quod necessario requiritur ad finem istum consequendum; efficax enim intentio consequendi finem hic & nunc, & in his circumstantiis esse non potest, nisi adsit etiam efficax volitio applicandi media hic & nunc, ut patet ex ipsa natura intentionis efficacis: ergo.

Objic. 1. Intendens, seu sperans beatitudinem non necessario vult abstinere a peccatis, quamvis abstinentia a peccatis ad beatitudinem consequendam sit medium necessarium, ergo intendens finem non necessario eligit medium necessarium. R. D. a. & talis ideo non necessario abstinet a peccatis, quia judicat, abstinentiam hic & nunc a peccato non esse medium omnino necessarium ad salutem c. a. si ita judicat n. a. Si homo in spe, & intentione salutis efficaci perseverat, eamque non mutat, tunc necessario debet abstinere a peccatis, quando hanc abstinentiam simpliciter necessariam ad vitam æter- 354

nam judicat. Quia autem homines plerumque credunt, evitationem omnis omnino peccati ad salutem non requiri unice, aut simpliciter, eoquod judicent, sibi postea dandum tempus pœnitentiæ; hinc possunt perseverare in spe, & intentione efficaci salutis æternæ, etsi quandoque peccent.

Objic. 2. Non obstante, quod æger efficaciter desideret sanitatem, potest adhuc respuere medium aliquod unice necessarium, v. g. abscissionem pedis, quia hoc nimis est difficile: ergo. R. D. a. potest tamen respuere medium unice necessarium, permanente intentione efficaci finis, & sanitatis n. a. mutata, & ablata efficaci intentione c. a. Dum respuit homo iste abscissionem pedis, etiam respuit sanitatis consecutionem, quam sine illa abscissione habere non potest. Ex quo colligis, quod voluntas in casu hoc sit libera ad non ponendam electionem mediate, desistendo nempe ab intentione, ex qua necessario electio sequi deberet.

Objic. 3. Voluntas non potest necessitari ad actum elicitum ab ulla re creata: ergo in nostro casu non necessitatur, sed libere agit. R. D. a. non potest necessitari ab aliqua re creata distincta a voluntate, & ejus propria determinatione c. a. indistincta n. a. Hic voluntas sibi ipsi per proprium actum intentionis imponit necessitatem, non autem necessitatur, vel determinatur a fine, aut a medio, aut aliquo alio.

Objic. 4. Electio est formaliter meritoria: vel demeritoria: ergo non potest esse necessaria. R. D. c. ergo non potest esse necessaria absolute, & necessitate antecedente c. c. ex hypothesi, & ex necessitate consequente n. c. Necessitas consequens nec libertatem, nec meritum tollit, dummodo cætera requisita, quæ præter libertatem ad meritum exiguntur, adsint.

§. III.

An Imperium sit actus Voluntatis, vel Intellectus.

355 Assero: Imperium est actus voluntatis. Ita D. Bonaventura, Scotus, & SSæ contra TTas.

P. 1. Authoritate. S. Augustinus l. 8. *Confess.* c. 9. ait: *Voluntas imperat.* Item D. Anselmus L. *De Conceptu Virginali.* c. 4. officium imperandi tribuit voluntati.

P. 2. Imperium convenit illi potentiæ, quæ Regina, & Princeps est in regno animæ: atqui talis est voluntas, ut ex Philosophia constat: ergo.

P. 3. Illa potentia imperat, cui obeditur: atqui voluntati obeditur, non intellectui; ergo. M. constat; quia imperium, & obedientia sunt correlativa. m. p. quomodocunque intellectus proponat aliquod objectum ut bonum, & faciendum, tamen reliquæ potentiæ non obediunt necessario sic intellectui, imo voluntas, & ex imperio voluntatis etiam reliquæ potentiæ possunt facere contrarium dictamini intellectus, prout supra est dictum. Aliud est de voluntate; si enim hæc efficaciter imperat, tunc obedire debent reliquæ potentiæ: sic si imperat efficaciter ambulationem, pes necessario debet ambulare.

P. 4. Illa potentia potest imperare, quæ est domina liberrima suorum actuum: atqui talis est voluntas, non autem intellectus: ergo. M. patet; quia dominium, & potestas imperandi sunt synonima. Item libertas nulli magis est propria, quam illi, qui imperat. m. constat; sola enim voluntas in potestate sua habet actus suos, & aliarum potentiarum sibi subjectarum, ita, ut pro libertate sua de illis disponere valeat.

P. 5. Imperium est aliquod decretum, cui inferior obedire tenetur: atqui decretum est actus voluntatis; hinc & decreta divina dicuntur actus voluntatis, non autem intellectus divini: ergo.

Respond. TTæ. Imperium præsuppositive quidem consistit in actu 356
voluntatis, formaliter vero in actu intellectus. Ratio hujus est: quia ad imperium præcipue requiritur intimatio, & insinuatio, quæ est actus intellectus.

Contra est 1. Ex hoc sequeretur, quod præco denuncians, & intimans legem formaliter imperaret, non autem Legislator, vel Superior; nam actus intimationis competeret formaliter tali præconi, non Legislatori.

Contra est 2. Intimatio est tantum conditio requisita, ut in actu secundo imperium possit subdito innotescere, non autem est essen-

tia, & ratio formalis ipsius imperii, prout in Tractatu de Legibus dicetur.

Contra est 3. Quandoque datur imperium, ubi non datur, nec potest dari quædam intimatio: ergo imperium non potest formaliter consistere in intimatione. C. patet; vel enim imperium semper, vel nunquam consistit in intimatione. A. p. Potest anima imperare potentiæ loco-motivæ, & tamen hic nulla intimatio intellectiva intervenit; nam ejus non est capax potentia loco motiva, utpote quæ intellectu carens, talem insinuationem, ab intellectu propositam, non posset intelligere; si autem eam non posset intelligere, tunc ei nil prodesset: sicut & intimatio Legis, vel imperii, facta homini usum rationis non habenti nil prodest, quia eam non intelligit. Dein si voluntas non imperaret reliquis potentiis, tunc actus reliquarum potentiarum non essent morales, aut actus a voluntate imperati, sic neque boni, aut mali.

357 Deduces 1. Ad imperium voluntatis, quo imperat aliis potentiis in eodem supposito, requiri tantum intimationem virtualem, quæ in hoc consistit, quod ad voluntatis imperium aliæ potentiæ naturaliter operentur, tum propter quamdam Sympathiam, tum propter earum cum voluntate in eadem anima radicationem.

Deduces 3. Quando imperium a Superiore fit ad subditos, & ad distincta a superiore supposita, vel naturas, ut, si Princeps suis subditis imperet, tunc formaliter imperium consistere quidem in actu voluntatis, supponere tamen simul tanquam conditionem aliquam intimationem, qua tale imperium proponatur subditis. Ex quo

Deduces 3. Duplex esse *imperium*, unum *Politicum*, quod sedem habet in Principe, vel Prælato, qui suis subditis imperare potest: alterum *monosticum*, & *particulare*, quo potentia superior, seu voluntas aliis potentiis ejusdem hominis, vel sibi ipsi imperat.

358 Objic. 1. Ex nostra sententia sequeretur, etiam in appetitu sensitivo dari imperium; nam & iste reliquas potentias, præsertim potentiam locomotivam, applicat ad agendum, sicut voluntas: ergo si applicatio sine intimatione sufficit ad imperium, etiam in appetitu sensitivo hoc dabitur. R. N. a. Appetitus enim sensitivus non est dominus suorum actuum, nec se, nec alias potentias ex dominio in ipsas movet, sed potius ipse ab objecto appetibili, & sensitivo determi-

terminatur, & movetur, ac applicatur ad agendum: aliud est in voluntate.

Objic. 2. Saltem sequeretur, tunc, dum Angelus per voluntatem movet lapidem, Angelum imperare, & lapidem obedire. R. N. sequelam; nam ad hoc, ut unum suppositum alteri distincto imperet, requiritur intimatio, non quidem tanquam ratio formalis, sed tantum ut conditio imperii: atqui intimationis percipiendæ non est lapis capax, cum sit irrationalis. Talis intimatio non requiritur, cum voluntas imperat potentiis inferioribus ejusdem suppositi, quia ea abunde suppletur per sympathiam, & consensum voluntatis cum reliquis potentiis, & radicationem in eadem anima.

Objic. 3. Imperium est actus prudentiæ; hæc enim ab Aristotele 6. Eth. vocatur *præceptiva*: ergo. R. d. a. est actus prudentiæ præsuppositive c. a. formaliter n. a. Omne imperium, & omnem actum voluntatis moraliter bonum præcedit actus prudentiæ, non autem imperium formaliter in tali prudentia constituitur. Per *præceptum* Aristoteles non intelligit imperium, sed quemdam modum docendi: sicut & ille, qui alios docet, *Præceptor* dici solet.

Objic. 4. Imperium nihil aliud est, quam intimatio, & notificatio voluntatis Superioris facta inferiori: atqui hæc intimatio, & notificatio est actus intellectus: ergo. R. N. M. Alias enim Præco legem promulgans, & notificans imperaret, & legem ferret, non autem legislator.

Objic. 5. Oratio est actus intellectus: ergo & imperium. C. patet; quia oratio & imperium formaliter conveniunt, & in hoc solo differunt, quod oratio sit expressio voluntatis suæ superiori facta, & imperium sit expressio, & notificatio suæ voluntatis facta inferiori. A. p. Oratio nil aliud est, quam expressio, & declaratio illius, quod desideramus: sed hæc declaratio fit per intellectum: ergo. R. N. a. nam oratio formaliter est desiderium, quod ad voluntatem spectat: concomitanter vero, & tanquam conditionem requirit aliquoties notificationem, & expressionem, quando nempe illi, cui fit petitio, & oratio, non aliunde sunt nota nostra desideria: econtra vero, si Deus rogatur, nunquam requiritur talis notificatio, quia ipsi intima cordis nostri desideria per se sunt manifesta.

Objic. 6. Lex, & mandatum sunt aliquod imperium: sed lex in S. Scriptura dicitur lux, & mandatum lucerna; lux autem, & lu-

cerna ad intellectum notificantem, & intimantem pertinent: ergo. R. d. m. Lex &c. dicitur, & est aliqua lux respectu subditi, cui fertur c. m. respectu legislatoris, a quo fertur n. m. Lex, prout est in legislatore, est aliquod *decretum*, quod est actus voluntatis: prout autem respicit subditum, cui fertur, & intimatur, est aliqua *lux*, ei ostendens quid sit faciendum. Verum lex, & mandatum rationem formalem habent a legislatore, & ejus voluntate, non autem a subdito.

Objic. 7. Actus imperii explicatur per hæc verba: *fac hoc*: atqui ista verba sunt ultima conclusio syllogismi practici, consequenter sunt actus intellectus: ergo imperium est actus intellectus. R. Ex Mastrio in Philos. & Herincx N. m. nam conclusio Syllogismi practici explicatur per verba: *hoc est faciendum*, non autem per verba: *fac hoc*; ista enim posterior locutio imperium physicum, & actum voluntatis, non intellectus indicat. Insuper juxta TTas. talis conclusio practica, vel judicium practicum efficaciter determinat voluntatem ad aliquem actum. Sed jam superius ostensum est, quod non detur judicium practicum ita efficaciter determinans ad aliquem actum, ut voluntas illum libere non posset amplius omittere. Vide dicta n. 337.

Objic. 8. Imperium consistit in quadam ordinatione Superioris ad inferiorem: inde & imperia Superiorum ordinationes dici solent: atqui ordinatio est actus solius intellectus: ergo. R. N. m. Ordinatio tripliciter accipi potest: *primo* modo pro directione, & consultatione, quam nostris negotiis præsertim gravioribus præmittimus, Et hæc est actus prudentiæ, & intellectus, in qua non consistit formaliter imperium. *Secundo* modo ordinatio dicitur aliquod decretum Superioris, quod est imperium formaliter tale, & est actus voluntatis. *Tertio* tandem modo ordinatio est relatio unius ad aliud. In hoc autem sensu voluntas æque, ac intellectus, est ordinativa; nam & voluntas potest unum objectum ad aliud referre, & ordinare, ut dum unum propter aliud vult, dum Deo honorem appetit, ubi honorem ad Deum refert. Ex quo sequitur, ordinationem non esse actum solius intellectus, sed & voluntatis.

Quibus potentiis hominis, & qualiter voluntas imperare possit, suppono, esse ex Philosophia notum.

§. IV.

§. IV.

Quid sit libertas ipsorum actuum voluntatis?

Hic agitur de libertate actuum, quos voluntas elicit, & impe- 359
rat, non autem de libertate ipsius voluntatis; de hac enim jam actum n. 325. & seqq.

Quæstio hæc potest dupliciter institui: 1*mo*. An libertas sit intrinseca, & essentialis actui voluntatis, qui dicitur liber, ita quidem, ut actus voluntatis liber, & actus necessarius specie, & essentialiter distinguantur? 2*do*. An saltem libertas actui voluntatis superaddat positivam formam, & entitatem accidentalem.

Nota ulterius: Sicut in voluntate, ita etiam in actu voluntatis duplicem posse spectari libertatem: unam nempe *remotam*, & essentialem, alteram *proximam*, & contingentiæ. Prior, seu *remota* est exigentia procedendi a voluntate: atque hæc libertas certo est essentialis omnibus omnino actibus voluntatis sive necessariis, sive contingenter liberis; hi enim omnes ex natura sua intrinseca exigunt procedere, & produci a voluntate. Imo hæc libertas remota etiam competeret illis actibus voluntatis, quos Deus de absoluta sua potentia produceret extra omnem potentiam vitalem; siquidem & hi ex natura sua exigerent a voluntate produci: quemadmodum & accidentia Eucharistica a Deo extra subjectum conservata, connaturaliter exigunt esse in subjecto.

Altera est libertas *proxima*, & contingentiæ, quæ competit illis actibus voluntatis, qui procedunt a potentia volitiva, habente actu omnia requisita ad agendum, & non agendum, qualia sunt: prævia cognitio intellectus, concursus Dei paratus ad utramque contradictionis partem, & siquæ alia sunt necessaria ad constituendam voluntatem in actu primo proximo. De hac ergo libertate proxima actuum liberorum indagatur, quid sit? Pro quo resolvendo

Assero 1. Libertas proxima non est essentialis, & intrinseca acti- 360
bus voluntatis. Mastrius in sua Animastica D. 7. n. 70. citans pro se Scotum in variis locis, Vasquez, Oviedo, Arriaga, Salas contra Viva.

P. Idem essentialiter invariatus actus voluntatis potest ex libero fieri necessarius, & vicissim: ergo libertas non est de essentia talis

actus.

actus. C. patet, quia enim murus ex albo potest fieri niger, ideo albedo non est essentialis, sed tantum accidentalis muro: ergo a pari, quia actus voluntatis ex libero potest fieri necessarius, ideo libertas non est ei essentialis, sed tantum accidentalis. Item illud non est essentiale alicui, quod est ab eo separabile: sed si aliquis actus voluntatis potest ex libero fieri necessarius, tunc libertas est ab eo separabilis: ergo. Ant. autem probatur: Ponamus, quod idem actus voluntatis, v. g. amoris, continuetur per plura instantia, & Deus in primo instanti offerat concursum indifferentem ad utrumque, scilicet ad elicitionem, vel omissionem amoris: in secundo vero instanti non præbeat concursum indifferentem, sed tantum determinatum ad amorem: In hoc casu idem actus in primo instanti foret proxime liber, in altero non foret proxime liber, sed necessarius: ergo. A. claret; nam libertas proxima non datur, nisi stantibus omnibus requisitis, & toto actu primo proximo remaneat indifferentia ad agendum, vel non agendum: atqui in casu posito hæc indifferentia maneret tantum in primo instanti, in altero vero tolleretur per concursum determinatum, & necessitantem: ergo.

R. debis. Quia concursus indifferens, & determinatus sunt multum diversi, ideo etiam diversos, & essentialiter distinctos actus causabunt.

Contra est: Accidentia Eucharistica post consecrationem manent eadem essentialiter, & numero, quæ fuerunt ante consecrationem, etsi Deus illa alio concursu conservet post, quam ante consecrationem; ante consecrationem enim ea dependenter a subjecto per concursum eductivum conservabat, peracta autem consecratione succedit concursus creativus independens a subjecto. Imo universaliter ex diversitate causarum, & influxuum non potest statim distinctio effectuum desumi; cum idem effectus sæpe a diversissimis causis possit produci: sic idem est calor, sive is producatur naturaliter, & necessario ab igne, sive libere a solo Deo creetur: & sic possunt dari innumera alia exempla. Ergo exinde actus voluntatis non statim erit alius in secundo instanti, quam in primo, quia Deus aliter in eum influit in secundo, quam in primo.

P. 2. Juxta unanimem AAriorum sententiam potest actus externus idem specie, & essentia manere, & tamen transire de libero in necessarium; siquidem actio externa blasphemiæ in somno, proinde

inde necessario facta, non est essentialiter, aut specie diversa ab illa, quæ fit libere a vigilante: ergo etiam actus internus voluntatis potest idem specie, & essentia manere, & tamen transire de libero in necessarium. Atqui hoc ipso libertas, & necessitas non sunt prædicata essentialia actus voluntatis; secus enim his mutatis, & ipsa species, ac essentia actus voluntatis mutari deberet, prout ex Logica manifestum est.

Rdet. P. Viva: N. c. & parit. Disparitatem dat, quia actus externus habet eundem tendendi modum, sive imperetur libere, sive causetur necessario, & naturaliter: contra vero actus internus liber habet modum tendendi diversum a necessario; siquidem juxta hunc Authorem actus internus, ac liber voluntatis non solum debet prosequi bonum aliquod positive, sed & debet positive, ac formaliter resistere malo opposito, vel motivo, quod absterret ab actu prosecutivo. Hanc resistentiam explicat per particulam *quamvis.* Quare dum voluntas amat temperantiam, sic quasi tendit, saltem implicite: *Prosequor, & amo temperantiam, quamvis alliciar etiam a bono delectabili intemperantiæ, quod* NB. *nolo prosequi.* Et hoc vere est totum fundamentum, quo nititur sententia adversa. Sed

Contra est 1mo. In hac responsione adversæ partis supponitur 1mo, quod ad actum voluntatis liberum necessarium sit judicium indifferens, proponens objectum unum bonum, & eligibile, alterum malum, ac priori oppositum: atqui tale judicium indifferens non requiritur ad omnem actum liberum, ut dictum est n. 334. ergo.

Contra est 2do. Responsio allegata P. Vivæ supponit 2do, quod voluntas ex duobus bonis incompossibilibus simul propositis non possit unum eligere, & amare, quin alterum positive repudiet. Verum hoc suppositum iterum est negatum n. 341. object. 5. & amplius improbabitur Art. seq. ubi puram omissionem liberam esse possibilem contra eundem Viva defendemus.

Contra est 3tio. Gratis ista tendentia ab AAriis tribuitur actui libero tanquam essentiale ejus constitutivum. Certe libere amo Deum, præcise sic tendendo: *Amo Deum meum ut summum & infinitum bonum*, etsi nihil cogitem de motivo absterrente ab amore. Et posito, quod mihi repræsentetur etiam aliquod motivum oppositum, & ego vellem libere in illud tendere, tunc hæc tendentia non deberet fieri per particulam *quamvis*, sed possem absolute dicere:

Amo, & prosequor Deum ut summum bonum, atque aversor omne, quod est Deo oppositum, & ab ejus amore absterrere potest: ergo &c.

361 Objic. 1. Exercitium libertatis, seu libertas in actu secundo, prout ea convenit actui voluntatis, est quædam prælatio, seu præelectio unius boni, puta temperantiæ, præ altero incompossibili, scilicet præ bono delectabili intemperantiæ, quod postponitur, ac repudiatur: atqui hæc præelectio est essentialiter intrinseca actui libero; dicit enim tendentiam vitalem specialem, eidem identificatam: ergo.

R. D. M. est quædam prælatio, seu præelectio, id est, per actum liberum acceptatur aliquod bonum, & ejus oppositum non acceptatur, & relinquitur c. M. est quædam prælatio alia n. M. Actus voluntatis necessarius quoque acceptat aliquod bonum, & relinquit ejus oppositum, imo hoc interdum positive respuit. Sic Beati, qui juxta AArios necessario amant Deum, prosequuntur non solum Deum, sed & omnia objecta Deo opposita positive, saltem implicite respuunt. Adeoque in modo tendendi actus necessarius, & liber non habent differentiam, sed tantum ex parte causæ, & modi producendi, quia actus liber ita producitur, ut stante toto actu primo proximo posset non produci, non autem ita producitur actus voluntatis necessarius.

Objic. 2. Sæpe, dum voluntas vult prosequi bonum honestum, experitur magnam pugnam ob allicientia motiva contraria, quæ debet vincere: ergo actus liber est essentialiter pugnax, & habet sibi propriam tendentiam pugnacem adversus motiva contraria.

R. N. c. Hæc enim pugnacitas non importat aliud, quam noliones efficaces motivorum absterrentium ab amore boni honesti: sed etiam per actus necessarios potest voluntas efficaciter nolle, & aversari objecta illa, quæ sunt suo amori, & inclinationi contraria: prout & Beati juxta AArios necessario efficaciter aversantur, & nolunt objecta amori divino contraria. Deinde actus liber exinde non statim est specie alius, & novam specie diversam essentiam acquirit, quia cum majori difficultate elicitur; siquidem idem specie actus scientificus potest ab uno cum majore, ab alio cum minore, vel omnino nulla difficultate elici.

Objic.

Objic. 3. Actus amoris, & actus desiderii distinguuntur specie: ergo etiam actus voluntatis necessarius, & liber. R. N. c. & parit. Amor enim, & desiderium essentialiter diverso modo tendunt in objectum suum: desiderium quidem essentialiter respicit objectum ut absens, & futurum: amor vero respicit illud secundum se abstrahendo a futuritione, & præsentia ejusdem. Econtra actus voluntatis liber, & necessarius differunt tantum ex parte actus primi proximi requisiti ad eorum productionem, non autem distinguuntur in modo tendendi. Idem dic ad alia similia exempla, & paritates.

Objic. 4. Libertas actus est aliqua specialis ejus vitalitas: sed vitalitas est de essentia actus: ergo. R. D. M. Libertas remota actus est ejus specialis vitalitas c. M. libertas proxima n. M. Hinc libertas remota est essentialis actui voluntatis, non autem proxima.

Objic. 5. Actus liber essentialiter respicit principium liberum, & indifferens: hoc autem non respicit actus voluntatis necessarius: ergo actus liber, & necessarius essentialiter differunt. R. D. a. respicit essentialiter principium liberum remote c. a. principium liberum proxime n. a. Sed & actus voluntatis necessarius respicit principium remote liberum, seu voluntatem, a qua essentialiter exigit procedere. Hinc actus voluntatis tam necessarii, quam liberi per hoc distinguuntur ab actibus aliarum potentiarum, quod actus aliarum potentiarum, v. g. appetitus sensitivi, intellectus &c. non exigant immediate, & elicitive procedere a principio voluntario, & remote libero.

Objic. 6. Posset saltem per absolutam potentiam divinam dari aliquis actus voluntatis, cui esset essentialis libertas: ergo censendum est, quod illa etiam sit essentia modernorum actuum liberorum. R. Tr. a. N. c. Quidquid sit de potentia Dei absoluta, saltem de facto hæc diversitas essentialis inter actus liberos voluntatis, & necessarios non videtur adstruenda; ex una enim parte species, ac essentiæ actuum diversæ non sunt multiplicandæ sine necessitate, & ratione sufficiente: & ex altera parte hic & nunc nulla sufficiens, & urgens ratio pro hac diversitate, & multiplicatione apparet. Cæterum ut tollatur omnis æquivocatio,

Nota: Actui libero qua tali, seu qua libero, reduplicative accepto, libertatem esse essentialem, in quocunque illa consistat. Ratio est: quia de essentia concreti qua talis semper est forma ejus denominans: sic & de essentia *muri albi*, *qua albi* est albedo tanquam ejus pars constitutiva, & de essentia *muri visi qua talis* est visio passiva, seu terminatio visionis activæ. Igitur controversia est de actu voluntatis specificative accepto, an iste secundum se tanquam prædicatum essentiale sibi identificet libertatem proximam, & indifferentem. Sic etiam, si quæreretur, an albedo sit de essentia muri albi, non quæreretur, an sit ea de essentia *muri qua albi*, sed an sit essentiale constitutivum muri secundum se, & materialiter, ac specificative spectati.

Assero 2. Neque libertas actus qua proxima superaddit aliquam specialem entitatem relativam, vel modalem actui voluntatis, sed dicit meram denominationem extrinsecam. Mastrius cit. & alii.

362 P. Relatio, quam diceret libertas proxima actus, deberet esse relatio *productionis passivæ*, qua actus ut proxime libere productus respiceret voluntatem non quomodocunque spectatam, sed ut proxime indifferentem, & instructam omnibus requisitis ad agendum, & non agendum: atqui talem relationem non dicit actus voluntatis etiam proxime liber ad voluntatem: ergo. M. est AAriorum. m. p. Actus voluntatis etiam proxime liber, tanquam effectus a voluntate productus, per relationem productionis passivæ respicit voluntatem præcise secundum suam virtutem activam intrinsecam, non autem secundum ejus applicationem, connotata, & requisita, dependenter a quibus in actum exit: adeoque hic respectus respicit voluntatem tantum ut remote, & essentialiter liberam, non autem ut proxime, & contingenter liberam; nam ut proxime libera præter suam virtutem activam intrinsecam extrinsece etiam connotat omnia requisita ad agendum, & non agendum: ergo.

Ant. videtur constare; nam relatio productionis passivæ tantum respicit suam causam secundum virtutem suam activam, non autem secundum ejus diversam applicationem, dispositionem, ac alia, quæ tali causæ sunt extrinseca. Ita ignis B. æqualiter respicit ignem A. ceu suam causam, sive dependenter ab his, vel aliis dispositionibus, conditionibus, & circumstantiis ab eodem igne A. sit productus

ctus. Ratio hujus eſt: quia ratio proxima fundandi, & terminandi in cauſa reſpectu ſui effectus eſt una, & ſola virtus cauſativa, præſcindens ab omnibus extrinſecis connotatis, conditionibus &c. ſed virtus cauſativa actus liberi eſt unica voluntas ſecundum ſe ſpectata, ſeu remote indifferens; reliqua enim, quæ illam proxime indifferentem, & contingenter liberam reddunt, ſunt mera connotata extrinſeca, juxta ſæpius dicta: ergo relatio producti in actu voluntatis non terminatur ad voluntatem ut proxime indifferentem, & contingenter liberam, ſed tantum ut eſſentialiter & remote indifferentem, ac liberam.

Igitur reſtat, quod hæc libertas actus ſit mera denominatio extrinſeca, vi cujus denominatur productus a potentia proxime libera, & contingenter indifferente ad agendum, vel non agendum.

Objic. 1. Voluntas, ut eſt potentia proxime libera, dicit duo, 363
nempe principium activum, & principium proxime liberum: ergo ei ut principio activo debet reſpondere actus voluntatis, ſeu volitio, & ut principio proxime libero debet ei reſpondere aliqua alia forma realis, nempe relatio libertatis. R. Virtuti tantum activæ, non autem modo agendi ſpeciali aliquid reale debere reſpondere ex parte effectus, & actus: atqui libertas in voluntate non eſt virtus activa, ſed tantum eſt aliquis modus ſpecialis, vi cujus voluntas ita agit, ut poſſet non agere. Quare in forma D. a. & hoc principium, quatenus eſt proxime liberum, dicit aliquam ſpecialem, & novam potentiam virtuti activæ voluntatis ſuperadditam n. a. dicit tantum aliquem modum ſpecialem agendi c. a. & D. c. ergo ei debet reſpondere aliqua forma realis, ſi libertas proxima in voluntate importaret novam potentiam activam ſupperadditam c. c. ſecus n. c.

Objic. 2. Effectus non dicit relationem ad cauſam ſimpliciter ſpectatam, ſed etiam ad cauſam taliter cauſantem, ergo etiam actus liber dicit relationem ad voluntatem, ut libere cauſantem. R. d. a. dicit etiam relationem ad cauſam taliter cauſantem, ſi id, propter quod cauſa *taliter* cauſat, ſit ratio, & virtus phyſica cauſandi, & agendi c. a. ſi tantum ſit aliquis modus, & accidens potentiæ cauſativæ n. a. Modus autem iſte voluntatis, ut libere agentis, conſiſtit in hoc, quod in iis circumſtantiis ſit conſtituta, in quibus poteſt agere, vel non agere.

 Objic.

Objic. 3. Voluntas est intrinsece libera, & libere agit ex intrinseca ratione: ergo etiam actus voluntatis est intrinsece liber, & non tantum per extrinsecam denominationem. R. d. a. Voluntas est intrinsece libera remote, & libere agit ex intrinseca ratione, producendo actum liberum quoad essentiam physicam, & remotam suam, ac essentialem libertatem c. a. est libera intrinsece libertate proxima, & ex intrinseca sua ratione sine ullis connotatis extrinsecis producit etiam actum proxime, & contingenter liberum n. a. &c.

Objic. 4. Actus liber est meritorius, & demeritorius, non autem actus necessarius: ergo actus liber debet aliquid intrinsecum habere, quod non habet necessarius. R. Actum liberum esse meritorium, vel demeritorium non ex ratione sua intrinseca, vel forma reali superaddita, sed propter denominationem extrinsecam. Nec novum est, quod aliquid dignitatem, ac valorem ex denominatione extrinseca obtineat: sic æs, vel moneta dignificatur, & valorem pecuniæ accipit ex institutione publica, quæ est denominatio extrinseca.

Objic. 5. Actus liber est perfectior, quam necessarius: ergo debet aliquid intrinsecum, & physicum habere præ necessario. R. D. a. Actus liber est perfectior, quam necessarius in esse morali, quod consistit in denominatione extrinseca c. a. in esse intrinseco physico, & reali n. a. Etiam Rex est major, & dignior in æstimatione morali, quam alius homo, & tamen ab alio homine non differt aliter, quam moraliter, scilicet ob solam denominationem extrinsecam institutionis, & electionis passivæ, qua in Regem est constitutus.

Objic. 6. Quando voluntas prius necessario egit, v. g. producendo actum amoris, postea autem agit libere eundem amorem continuando, tunc de novo exercet libertatem: ergo aliquid de novo producit libere agens, quod non produxit ut necessario agens; alias enim de novo non posset exercere libertatem. R. Etiam in hoc casu, dum voluntas agit de novo libere, nihil intrinsecum accedit voluntati, aut actui, sed tantum aliquid extrinsecum, quatenus nempe voluntas agit modo in iis circumstantiis, in quibus posset etiam non agere. Quod totum per novam denominationem extrinsecam explicari, & expediri potest. Hinc in forma *neg. conf.*

Objic. 7. Tali modo actus interni voluntatis non essent magis liberi, quam actus externi aliarum potentiarum a voluntate imperati;

rati; nam & hi per denominationem extrinsecam sunt liberi: sed sequela videtur absurda: ergo. R. N. M. nam actus interni, & eliciti voluntatis immediate denominantur liberi, quia immediate a voluntate proxime libera procedunt, actus autem externi tantum mediate, scilicet mediantibus actibus internis.

Objic. 8. Saltem actus voluntatis non foret magis liber, quam quælibet res creata; omnis enim creatura ita divinæ libertati subest, ut Deus eam possit conservare, vel non conservare: sed & hoc videtur absurdum: ergo. R. C. M. n. m. Neque in hoc videtur aliqua absurditas, quod respectu Dei omnes effectus rerum creatarum sint liberi; ii enim omnes ita a libero dominio divinæ voluntatis dependent, sicut nostræ volitiones a libertate nostræ voluntatis. Una forte distinctio est, quod volitiones nostræ inhæreant voluntati, non item effectus creati voluntati divinæ: item, quod pleræque creaturæ possint ab aliquibus causis secundis naturalibus produci, & actu sint productæ, volitiones vero nostræ nullam causam secundam naturalem, saltem *principalem* admittant, licet etiam ab habitu, qui est causa naturalis *minus principalis* partialiter procedere possint.

Articulus IV.

De Exercitio negativo liberi arbitrii, seu de omissione libera.

§. I.

An detur pura omissio libera.

Nota 1. statum quæstionis esse, an voluntas aliquid ita libere omittere valeat, quin simul eliciat, aut imperet aliquem actum, quo vel explicite vel implicite intenderet omissionem. Tunc autem voluntas explicite, & directe vult omissionem, quando actu expresso dicit: *Nolo ponere hunc actum*, aut: *volo hunc actum omittere.* Indirecte vero, & implicite omissionem intendit, quando solum imperat aliquem actum, ex quo necessario sequi debet aliqua omissio: ut, si tempore orationis imperet somnum, ex quo necessario sequitur omissio orationis.

Nota

Nota 2. Per actum intellectus non impediri puram omissionem liberam. Cujus ratio est: quia omissio ista tantum spectatur in ordine ad suum principium, quod unice est voluntas. Si ergo procedit a voluntate nec directe, nec indirecte agente, tunc jam est pura omissio voluntatis. Imo actus intellectus prærequiritur ad puram omissionem liberam, quia alias talis omissio non esset voluntaria.

Nota 3. Regulariter, & ordinarie non contingere omissionem puram sine omni actu voluntatis directo, aut indirecto; si enim aliquid omittimus, tunc id ordinarie contingit, quia nos aliquid aliud facere delectat. H. N.

365 Assero: Saltem possibilis est pura omissio libera. Ita plures Doctores ex omni fere Schola. Scotus 4. d. 49. q. 10. n. 10. §. *quantum ad secundum articulum.* ℣. *Etsi dicas.* ibi: *Unde unumquodque objectum potest voluntas velle, & nolle, & a quolibet actu in particulari potest se suspendere hoc, vel illo* &c. Similia habet etiam n. 8. ℣. *Respondeo: non sequitur.* ibi: *Non sequitur, non volo beatitudinem: ergo nolo eam. Sive non volo esse miserum: ergo de necessitate nolo esse miserum; quia nolle est actus positivus nolentis, sicut & velle, & ita liberum unum sicut aliud: quia neutrum elicio necessario circa quodcunque objectum; & ideo possum non elicere nolle circa malum, sicut velle circa bonum ostensum.* Licet ergo alibi hanc controversiam indecisam relinquat Doctor, hic tamen eam ex professo dirimere, & nostram sententiam sustinere videtur.

P. 1. Voluntas est libera, & indifferens immediate non tantum libertate contrarietatis, scilicet ad actum, & ad oppositum ejus, ad amorem & odium, volitionem & nolitionem: verum etiam est libera libertate contradictionis: atqui libertas contradictionis est ad agendum & non agendum, v. g. ad amorem, vel omissionem ejus: ergo voluntas etiam est libera ad puram omissionem.

Respond. A Arii Voluntatem exercere libertatem contradictionis mediate, & indirecte, mediante scilicet actu positivo, qui sit causa omissionis.

Contra est 1mo. Omissio est effectus negativus, & est mera privatio, vel absentia alicujus actus: atqui effectus negativus, privatio &c. non exigit causam positivam, vel positive agentem, sed sufficit causa negative se habens, seu non agens: ergo non requiritur actus positivus, qui esset causa omissionis.

Con-

Contra est 2do. Actus ille, quo intenditur omissio Sacri, est liber: sed si est liber, tunc etiam potest omitti: ergo etiam potest omitti. *Subs.* atqui potest omitti sine aliquo novo actu positivo imperante talem omissionem: adeoque in hoc casu jam daretur pura omissio: ergo ea foret possibilis. m. subs. p. si enim ad hanc omissionem secundam iterum novus requireretur actus, tunc fieret processus in infinitum, ut consideranti est manifestum.

P. 2. Non videtur ullum obstaculum, quin aliquis, qui posset dare eleemosynam, libere sine ullo actu positivo imperante omittat largitionem eleemosynæ: ergo.

P. 3. Quomodocunque objectum aliquod ut bonum proponatur intellectui, eam tamen non necessitat ad agendum: ergo non est ratio, cur non qualicunque objecto proposito possit suspendere omnem suum actum. A. videtur satis clarum; si enim voluntas semel necessitaretur ab objecto ad agendum, tunc non foret libera.

Objic. 1. Dum voluntas aliquid libere omittit, tunc est in actu- 366
ali exercitio, & actu secundo: sed dum est in actuali exercitio, & actu secundo, tunc debet necessario agere, & habere actum positivum: R. D. M. tunc est in actuali exercitio, & actu secundo negativo c. M. positivo n. M. & D. m. si voluntas est in exercitio positivo debet aliquid agere c. m. si est in exercitio negativo n. m. &c.

Instabis: Intellectus non potest esse in actu secundo sine actu positivo: ergo neque voluntas. R. N. c. & parit. Intellectus enim est causa necessaria, ac determinata unice ad agendum: econtra voluntas, ut potentia libera, est indeterminata ad agendum, seu potest agere, vel non agere.

Objic. 2. Omissio libera est a voluntate ut a causa sui: sed non esset a voluntate ut a causa sui, si foret sine omni actu positivo: ergo omissio libera non est sine omni actu positivo. m. constat; quia pura omissio, quæ est sine omni actu, est merum nihilum, & mera absentia actus: sed merum nihilum non est ab aliqua causa: ergo. R. D. M. omissio libera est a voluntate, ut a causa sui agente, & positive producente n. M. est a causa sui non agente c. M. omissio pura est tantum effectus negativus, ad quem sufficit, quod causa actu non agat.

Objic. 3. Voluntas se debet aliter habere in actu secundo, quam primo: sed per omissionem est in actu secundo: ergo per omissionem debet se voluntas aliter habere in actu secundo: consequenter cum in actu primo jam dicat puram omissionem & absentiam actus, in actu secundo debet aliquid ultra istam omissionem dicere, nimirum actum positivum. R. D. M. debet se aliter habere physice n. M. moraliter c. M. moraliter se aliter habet in actu secundo, quam primo; nam voluntas in actu primo spectata non fuit proxime, sed tantum remote indifferens ad agendum vel non agendum, cum tunc defuerit cognitio requisita. Quare in actu primo ante advertentiam rationis voluntas solam habuit *præcisionem*, vel *negationem* actus: in actu vero secundo habet *privationem* actus, quia tunc habet potentiam proximam ad agendum, & tamen non agit.

Objic. 4. voluntas non omittit aliquid, nisi ad illud omittendum fuerit mota: sed non potest esse mota, nisi habeat actum positivum: ergo voluntas non omittit aliquid, nisi habeat actum positivum. m. p. moveri voluntatem aliquo objecto, vel fine, est voluntatem amare illud objectum: sed amor est aliquis actus positivus: ergo. R. N. M. nam ideo voluntas omittit aliquam actionem, quia ad eam non est mota. Vel D. M. nisi sit mota interpretative c. M. formaliter n. M. Dum enim voluntas a bonitate objecti non movetur formaliter ad agendum, censetur interpretative esse mota ad non agendum.

Objic. 5. Omissio, ut sit libera, debet esse volita: ergo requirit actum positivum. R. N. a. Ad hoc, ut omissio sit libera, sufficit, quod ea sit interpretative, & moraliter a voluntate, in quantum hæc non agit in iis circumstantiis, in quibus habet totum actum primum proximum ad agendum.

Objic. 6. Omne nolle præsupponit aliquod velle: ergo cum etiam omissio sit aliquod nolle, saltem virtuale, præsupponit velle. R. D. a. omne nolle præsupponit velle tale, quale est nolle tr. a. aliud n. a. Omissio est nolle ad summum interpretativum: ergo etiam præsupponit tantum aliquod velle interpretativum.

Objic. 7. Voluntas, dum exercet suam libertatem, semper tendit in bonum: sed non potest in illud tendere, nisi per actum positivum prosequendo: ergo. R. D. M. dum exercet suam libertatem agendo c. M. non agendo n. M. &c.

Objic.

Objic. 8. *cum P. Viva.* Voluntas, quando non amat bonum cognitum, debet resistere suæ inclinationi, quam habet ad amandum bonum (habet autem maximam juxta Scotum, quem citat sine expresso loco, aut textu) sed resistentia ista non potest fieri sine actu positivo: ergo. Ante Resp. nota: *Scotum* quidem docere, quod voluntas habeat maximam inclinationem naturalem, & innatam ad beatitudinem, tanquam ad bonum, & perfectionem suam summam: hinc etiam ait, quod voluntas hoc appetitu naturali necessario appetat beatitudinem, sicut materia formam, lapis centrum &c. non autem dicit quod appetitu elicito, seu actu, & volitione positiva voluntas ita necessario beatitudinem prosequatur. H. N.

R. D. M. debet resistere suæ inclinationi naturali, quam habet maximam ad bonum, actu positivo n. M. actu negativo, seu non agendo c. M. Appetitui naturali, quem habet materia ad formam, satis resistitur actu negativo, dum agens formam, quam appetit materia, in hanc non introducit. Ita & voluntas sibi ipsi satis resistit, non ponendo actum, ad quem naturaliter, & appetitu innato inclinatur.

Neque nego, quod aliquoties objectum aliquod ita possit proponi per cognitionem, ut voluntati moraliter sit impossibile illius prosecutionem omittere sine actu positivo renitentiæ, præsertim si vim motivam objecti adjuvent habitus voluntatis, ac motus concupiscentiæ: ex hoc tamen non sequitur, quod in omni casu moraliter implicet omissio pura, præsertim tunc, ubi objectum non ita fortiter movet, neque adest tantus concupiscentiæ motus &c. Et esto, quod semper moraliter implicet pura omissio, erit tamen possibilis physice.

Objic. 9. *cum eodem P. Viva.* Quævis potentia per actuale suum exercitium debet de novo perfici: atqui voluntas per puram omissionem non perficitur de novo, imo per eam privatur aliqua perfectione, nempe actu positivo: ergo. R. D. M. debet de novo perfici perfectione conformi suo exercitio c. M. alia n. M. &. sic D. m. N. c. Licet enim voluntas per omissionem puram non perficiatur in ratione actus vitalis, vel positivi, cum ea nec vitalitatem, nec rationem entis positivi habeat: perficitur tamen per illam moraliter, quatenus in æstimatione morali magna perfectio est, ex mero beneplacito, &

dominio suo quoad hoc illimitato suspendere actum, quem potuisset ponere.

Dices *cum eodem:* Potentia, dum se exercet, debet se occupare circa suum objectum: sed voluntas, dum omittit, non se exercet circa suum objectum; nihil enim agit circa bonum, aut malum: ergo. M. p. quia nulla potentia potest versari extra suum objectum. R. D. M. debet se occupare circa suum objectum vel positive vel negative c. M. semper positive *subd.* si sit potentia naturalis, quæ tantum est ad agendum determinata c. M. si sit potentia libera, in cujus potestate est agere, vel non agere n. M.

Objic 10. cum aliis. Nulla potentia est ad non agendum: ergo & voluntas est ad agendum, non autem ad non agendum. A. constat; siquidem non actio convenit potius impotentiæ, quam potentiæ. R. D. a. nulla potentia est ad non agendum unice c. a. ad non agendum, simul & ad agendum n. a. Voluntas primario, & ex intrinseca sua ratione est ordinata ad agendum, ita tamen, ut non sit necessitata ad actionem, sed in ejus potestate libera sit, eligere actionem, aut eam etiam omittere. Cæterum

367. Nota sequentia: 1mo. Omissio pura est directe voluntaria, quia immediate pro principio negativo, & non agente agnoscit voluntatem: potest etiam indirecte voluntaria dici cum Thomistis, in quantum per directum voluntarium intelliguntur actus positive procedentes a voluntate agente, per indirectum illa, quæ procedunt a voluntate non agente, cum tamen agere posset. 2do. Omissio pura potest etiam *indirecte* causare habitum vitiosum, in quantum per omissiones impediuntur actus virtutum, qui causassent, vel conservassent habitus virtuosos, quibus stantibus fuissent impediti habitus vitiosi oppositi. 3tio. Omissio dicitur *peccatum actuale:* item potest intelligi sub dicto, facto, & concupito; quia negatio reducitur ad idem genus, in quo est affirmatio. Sic quia genitum est relatio, ita & ingenitum reducitur ad relationem: quare & negatio actus ad peccatum actuale reducitur &c. item cœcitas ideo dicitur actualis, quia actu privat visu. 4to. Omne privativum supponit aliquod positivum: nempe omissio supponit potentiam, potentem operari, quæ tamen hic non operatur. Deinde aliud est in moralibus, quam physicis: in moralibus non debet semper omnis malitia moralis fundari in aliqua entitate, sed sufficit, quod reducatur ad ipsam voluntatem tanquam causam mora-

moralem, quæ advertens obligationem præcepti non operatur, cum possit, & debeat. Ita Amicus apud Mastrium. 5to. De omissione potest in intellectu remanere memoria, sicut meminisse possumus mortis nostrorum amicorum, & aliarum privationum, ac negationum.

§. II.

Varia quæsita de omissione libera.

Quæres 1. Quænam ad omissionem puram requirantur, ut ea vere sit libera? 368

R. 1. Ut omissio sit voluntaria, & libera, requiritur potentia proxime expedita ponendi illud, quod omittitur. Ratio hujus est: quia nullus voluntarie dicitur illud omittere, quod non potest proxime ponere. Sic si carceri inclusus omittit Sacrum, illud non omittit libere, eoquod non habeat potentiam proxime expeditam ad audiendum sacrum: unde omissiones a dormiente, vel ebrio &c. factæ non censentur liberæ, saltem directe, & in se.

R. 2. Ad omissionem præcise liberam, & voluntariam non requiritur obligatio ponendi illud, quod omittitur. Ita Henno, & SSæ. communiter cum multis aliis contra quosdam TT.

Dixi: *Ad omissionem præcise liberam, & voluntariam*; si enim omissio non solum libera, sed & peccaminosa sit, tunc certe requiritur lex obligans ponendi illud, quod omittitur; nam omissio Sacri die festo non esset peccaminosa, si non esset obligatio audiendi missam.

Ratio autem hujus responsionis est: quia libertas omittendi desumitur unice ab indifferentia voluntatis, quam habet ad agendum, & omittendum aliquem actum: atqui hæc indifferentia manet, etsi nullum adsit præceptum obligans ad ponendum actum. Sic Petrus tam voluntarie omittit suas preces consuetas, dum ad eas dicendas v.g. ex voto obligatur, quam dum non obligatur: æque libere omittit auditionem Sacri die festo, ac non festo. Item Deus voluntarie omittit quibusdam dare gratias singulares, & tamen ad eas dandas non obligatur: ergo.

Quæres 2. An pura omissio possit esse peccaminosa, & meritoria? 369

R. 1. Potest esse peccaminosa. Communis. P. Potest esse voluntaria, & libera transgressio alicujus præcepti: ergo potest esse peccaminosa. Prima pars, quod possit esse voluntaria & libera, constat ex dictis: quod etiam possit esse transgressio præcepti, inde constat, quia potest per eam omitti actus præceptus, v. g. auditio Missæ: ergo.

R. 2. Non potest esse meritoria. Ita communis DD. quorum sententiam etiam Mastrius ut probabiliorem agnoscit, licet ipse in l. 3. contrariam, quæ admittit, omissionem posse esse meritoriam, ut probabilem sustineat. Ratio autem meæ assertionis est; quia ad actum meritorium requiritur, ut bonitas objecti sit directe amata, & volita: atqui per puram omissionem nihil directe amatur, aut intenditur: ergo. Verum hoc ad alium Tractatum pertinet: neque hic sum sollicitus, an sit meritoria, nec ne, dummodo detur.

370 Quæres 3. An etiam in Deo detur pura omissio libera? R. Affirmative. Ita Scotus 1. d. 47. q. un. n. 2. ubi dicit: *Huic* (permissioni) *non correspondet aliquid in ipsa voluntate divina, nisi non velle prohibere illud, sive non nolle, quod est* NB. *negatio actus divini positivi, & per consequens non est actus positivus.* Sed de hoc vide in lib. 1. Sententiarum, seu Tomo 2. hujus operis, ubi hæc quæstio jam est dissoluta.

371 Quæres 4. An, ut effectus positivus, qui sequitur ex omissione libera, sit voluntarius, requiratur obligatio illum impediendi?

R. 1. Ut tantum sit physice voluntarius talis effectus, non requiritur obligatio illum impediendi, dummodo ipse effectus per se, & ex natura rei sequatur omissionem. Ratio est: qui vult id, ex quo alterum necessario, & ex natura rei sequitur, censetur etiam illud velle, quod sequitur, cum sint naturaliter connexa: hinc, qui libere omittit manducare, censetur velle famem. Ita P. Henno. Dixi tamen: *ut effectus sit physice voluntarius*: quare

R. 2. Ut effectus ex omissione secutus etiam sit moraliter voluntarius, & imputabilis ad culpam, requiritur obligatio impediendi. Ratio est: si actus aliquis non est contra aliquam legem, tunc is non potest imputari ad culpam: ergo ad hoc, ut talis effectus, ex omissione secutus, sit imputabilis ad culpam, requiritur aliqua obligatio legis, quam quis non impediendo possit transgredi. Hinc

Dedu-

Deduces: Peccata hominum nullatenus esse Deo imputabilia, licet ea impedire omittat. Ratio est: quia Deus nulla lege adstringitur ad ea impedienda: imo Deus sibi ipsi legem imposuit, qua statuit causas secundas etiam male agentes nolle impedire in actibus suis, ne earum activitatem, & libertatem lædat.

R. 3. In casu, quo effectus tantum per accidens conjungitur cum omissione, is neque physice, neque moraliter est voluntarius, nisi adsit obligatio eum impediendi. Ratio est: quia seclusa obligatione impediendi talem effectum is nullo modo a voluntate omittentis procederet: ergo nullo modo esset voluntarius. A. p. non procederet a voluntate immediate, ut per se patet; cum a voluntate immediate sit omissio, & mediante omissione primum sequitur effectus. Neque procederet mediate, scilicet mediante omissione; hæc enim neque *physice* per se influeret in talem effectum, ut supponitur: neque etiam *moraliter* ad eum concurreret; nam obligatio impediendi talem effectum est unicum fundamentum causalitatis, & influxus moralis, quem hic & nunc voluntas mediante omissione in effectum prædictum exercere posset. Ratio rationis: quia ad hoc, ut omissio moraliter influat in aliquem effectum, debet habere moralem connexionem cum tali effectu: atqui sine obligatione impediendi talem effectum nulla habetur moralis connexio inter talem effectum, & omissionem: ergo.

Res declaratur exemplo: Video hominem, proxime aquis submergendum, ei tamen non possum succurrere sine æquali periculo deperdendi meam vitam: in hoc casu, si omitto succurrere, & inde talis homo submergitur, ejus submersio & mors neque physice, neque moraliter mihi est voluntaria; nam 1*mo*. mea omissio non est causa physica per se influens in mortem, & submersionem, sed potius aqua, aut gravitas corporis submergendi: neque 2*do*. moraliter influo, quia stante pari periculo, quod ego subire deberem, non est obligatio succurrendi: aliud foret, si commode, & absque discrimine meæ vitæ possem opem ferre; tunc enim ad id me obligaret charitas.

Objic. contra hanc ultimam Resp. 1mo Talis potuisset absolute impedire effectum: ergo non impediendo est causa ejus saltem negativa. R. D. c. est causa per accidens concurrens c. c. per se concurrens n. c. Effectus adscribitur causis per se concurrentibus, non 372

autem

autem illis, quæ per accidens tantum concurrunt, & præsertim quæ se mere negative, & permissive, non autem active habent.

Objic. 2. Ipsa omissio impeditionis est voluntaria: ergo & effectus ex ea secutus. R. N. c. & parit. Omissio immediate, & physice, ac per se a voluntate oritur tanquam causa sua negativa, econtra vero effectus tantum per accidens; quia non sequitur aliter a voluntate, nisi mediante omissione, quacum tantum per accidens conjungitur, ut supponit casus, de quo est assertio.

Objic. 3. Si aliquis sine omni obligatione impediret submersionem hominis, talis esset vera causa non submersionis: ergo si non impedit, est causa submersionis. R. N. c. & parit. Impediendo enim submersionem, & extrahendo hominem ex aqua vere physice, & per se influit in non submersionem, utpote quam physice causat: ast non impediendo non influit in submersionem immediate, & physice, nec mediate, aut moraliter, ut supra est dictum.

§. III.

De Actibus conjunctis cum omissione culpabili.

373 Dubium est, an actus conjunctus cum omissione culpabili semper sit peccatum? Potest autem actus dupliciter conjungi cum omissione: *primo* taliter, ut is sit causa directa, vel indirecta omissionis, vel saltem medium per se influens in eandem: ut si quis ideo omittat sacrum die festo, ut possit interea studere, ubi studium est causa per se, & motivum omissionis Missæ. *Secundo* potest actus positivus tantum concomitanter, & quasi impertinenter se habere ad omissionem, ita, ut nec causa per se, nec medium sit illius: ut si quis propter tempestatem pluviosam, vel nimium frigidam serio statuit omittere auditionem Missæ die Dominica; ne tamen interea domi otietur, vult studere, dare eleemosynam, orare &c. In hoc exemplo causa motiva omittendi sacrum est tempus pluviosum: studium vero &c. se habet tantum concomitanter, & per accidens ad omissionem; eoquod illud fuerit electum, & assumptum, postquam aliunde iste homo jam efficaciter fuit determinatus ad omittendam Missam. H. N.

Affero 1. Actus positivus, qui ita est conjunctus cum omissione culpabili, ut sit ejus causa directa, vel indirecta, semper est peccatum. Mastrius, Herincx, & alii. P. Actus ille, qui est causa per se peccati, est etiam ipse peccaminosus: atqui talis actus conjunctus cum omissione culpabili supponitur esse causa per se peccati: ergo & ipse est peccatum. M. est certa: quia ille actus necessario debet esse peccaminosus, qui per se in peccatum, & malum morale influit. 374

Notandum tamen, quod isti actus, aliunde ex objecto proprio non mali, qui taliter sunt causa culpabilis omissionis, participent suam totam malitiam ab ipsa omissione culpabili, nec specialem, ac distinctæ rationis malitiam contineant. Ratio hujus est: quia studium v. g. propter quod omittitur sacrum, est ex se, & ex objecto suo honestum: ergo totam suam malitiam tantum habet ex omissione, ad quam concurrit. Atque universaliter verum est, quod media, & causæ actionum pravarum ab his actionibus inficiantur, earumque malitiam participent, non autem distinctæ rationis malitiam sibi vendicent, nisi & ipsa illa media, vel causæ &c. sint ex se, & ex objecto suo inhonesta, ut fieret, si sacrum die dominica ideo aliquis omitteret, ut interea posset furari, vel libidini indulgere; tunc enim actus hic positivus furti, præter culpam omissionis Sacri, etiam contineret distinctam, ac sibi propriam malitiam oppositam justitiæ. Ex his

Deduces: Quod neque in confessione necessario dici debeat motivum, vel causa, propter quam omissum est Sacrum, dummodo illud motivum secundum se, & ex proprio objecto non sit moraliter malum. Quare, qui omisit sacrum ob studium, satisfacit, si dicat: omisi die festo sacrum; qui enim omittit sacrum ob studium, peccat unico peccato omissionis: ergo hoc confiteri sufficit.

Neque obstat, quod in tali casu ipsum studium sit malum, & participet malitiam omissionis; etenim actus illi, qui non ex proprio objecto sunt inhonesti, sed tantum ideo moraliter sunt mali, quia tanquam media, vel causæ in alios effectus pravos influunt, non debent explicari: sed sufficit, explicare complete externam violationem præcepti, ad quam prædicta media assumuntur; omnia enim sunt unum peccatum in genere moris, & media in actuali, & efficaci executione finis jam subintelliguntur. Sic etiam ille, qui ex efficaci intentione occidendi inimicum emit gladium, postea quæsivit inimi-

cum, & tandem omnino occidit: hic inquam satisfacit se accusando: occidi deliberate hominem, vel inimicum. Ita egregie observat P. Herincx.

375 Assero 2. Actus ille positivus, qui tantum concomitanter se habet ad omissionem culpabilem, cui conjungitur, non est moraliter malus. Herincx, & Mastrius, quorum ultimus plures alios pro se citat.

P. Si talis actus positivus esset malus, tunc ideo, quia esset vel causa, vel effectus omissionis peccaminosæ: sed nec est ejus causa, nec effectus: ergo. M. videtur esse certa; nam actus ponitur esse in se, & ex objecto honestus, v. g. studium, lectio, oratio &c. adeoque si esset talis actio mala, tunc ideo tantum, quia illa est causa omissionis malæ, vel ejus effectus. Igitur m. p. quoad 1mum membrum. Talis actus minime movet, & influit in omissionem, cum hæc intelligatur jam aliunde causata, scilicet per volitionem efficacem omittendi ob pluviam, vel frigus. Cujus ratio ulterior est: quia causa nulla influit in effectum jam antecedenter productum: atqui omissio illa sacri, saltem in proposito, & efficaci volitione hominis jam censetur producta ante electionem, & volitionem studii: ergo studium, & electio ejusdem minime est causa talis omissionis.

P. etiam 2da pars minoris principalis. Neque studium est aliquis effectus per se connexus cum omissione; non enim connectitur cum illa *physice*: cum omissio sacri possit esse sine studio, lectione &c. neque connectitur *moraliter*; nam non potest ostendi, in quonam fundetur ista moralis connexio. Certe non fundatur in præcepto prohibente studium; si enim hoc prohiberetur in tali casu, tunc eatenus, quatenus foret causa, vel medium omittendi sacrum: atqui jam probatum est, quod non sit causa omittendi sacrum: neque assumitur ut medium necessario omittendi sacrum, ut iterum suppono: ergo.

Ex quo habes, quod omissio sacri ad summum sit aliqua accidentalis occasio studii; nam quia homo tempore omissi sacri non potest esse sine omni actione, ideo eo tempore debet aliquam eligere, qualiscunque demum sit v. g. Lectio, studium, oratio &c. Neque actus ex eo, quod occasionem sumat ex malo, statim & ipse malus est; pœnitentia enim occasionem ex peccato commisso accipit, & tamen minime mala, imo optima est.

Con-

Confirm. assertio a Mastrio, & Herincx. Supposita mala voluntate omittendi sacrum, non tenetur homo esse otiosus, aut abstinere ab omnibus operibus honestis, & moraliter bonis: imo tunc melius est, actionem aliquam honestam exercere, quam omnino esse otiosum: ergo omittens sacrum non peccat per opera honesta tempore omissionis sacri peracta, & tantum concomitanter se habentia ad omissionem. Ex quo

Inferes cum P. Herincx, quod homini efficaciter resoluto ad omissionem sacri possit suaderi exercitium lectionis, orationis, aut aliarum similium honestarum occupationum interea peragendarum. Addit laudatus Scotista, quod ipse omittens possit hoc vovere, aut etiam Superior primario præcipiens v. g. auditionem sacri, possit secundario præcipere, ut, si quis omittat sacrum, tempus omissionis lectioni, aut orationi impendat. Ita ille.

Objic. 1. Etiam illi, qui paratus est, facere majus malum, v. 376
g. furtum 10. aureorum, licet suadere minus malum, furtum v. g. unius aurei, & tamen propterea furtum minus non est excusabile ab omni peccato: ergo a pari, quamvis alicui efficaciter resoluto ad omissionem sacri die festo possim suadere studium, aut orationem tempore omissionis sacri, illæ actiones propterea non excusabuntur a peccato. R. Tr. a. N. c. & parit. Quia furtum etiam minus in se est positive inhonestum ex suo objecto, non autem lectio, oratio, aut studium; hinc, dum suadeo lectionem exercendam tempore omissi sacri, non suadeo actionem tantum minus malam, sed positive honestam, & moraliter bonam.

Objic. 2. Dum præcipitur auditio Missæ, prohibentur simul omnia incompossibilia cum auditione ejusdem: sed lectio, & studium sunt actiones incompossibiles cum auditione Missæ: ergo, dum præcipitur auditio Missæ, prohibetur simul studium, & lectio facienda tempore Missæ audiendæ. R. D. M. Prohibentur omnia incompossibilia cum auditione Missæ, quæ se habent antecedenter, & sunt causæ, vel media influentia in omissionem c. M. quæ se habent ad omissionem ejus tantum concomitanter, eandemque non adjuvant, n. M. &c.

Objic. 3. In tali casu teneris non studere, ut Missam audias: ergo & ipsum studium est prohibitum, & malum. R. D. a. Teneris non studere, ut Missam audias, si aliunde non sis efficaciter resolu-

tus ad omittendam Miſſam c. a. ſi ſis aliunde efficaciter reſolutus n. a. &c.

Objic. 4. Actio applicans inſtrumentum ad exequendum homicidium eſt mala: ergo & hoc ſaltem erit malum, quod talis homo tempore ſacri maneat domi; per hoc enim exequitur quis voluntatem omittendi ſacrum, ſicut homicida per applicationem inſtrumenti exequitur voluntatem occidendi. R. N. c. & parit. Nam actio applicativa inſtrumenti, per quod occiditur homo, eſt actio per ſe influens in homicidium: contra vero manere domi non influit per ſe in omiſſionem Sacri, quam tanquam cauſa adæquata cauſat voluntas efficax omittendi: poſita autem voluntate hac efficaci prorſus ſe habet per accidens, quod homo maneat domi; hoc enim ſolum ideo fit, quia non poteſt eſſe nullibi. Quare æque omitteret ſacrum, ſi per impoſſibile nullibi eſſet, dummodo tantum non intereſſet Miſſæ.

Objic. 5. Ergo etiam non peccat Sacerdos, qui, poſtquam efficaciter decrevit in longa navigatione non dicere breviarium, illud voluntarie in mare projicit; hæc enim projectio ſe ſolum concomitanter habet ad omiſſionem breviarii, quam antecedenter jam efficaciter decrevit. R. N. illat. Hic enim Sacerdos per projectionem breviarii non ſolum ponit actum incompoſſibilem cum recitatione horarum canonicarum, ſed etiam poteſtatem ſibi adimit, impoſterum dicendi horas, etſi velit, & malitioſam ſuam voluntatem mutet: e converſo, qui ſtudet tempore Miſſæ, ita ſe habet, ut ſtatim poſſit ceſſare a ſtudio, & accedere Eccleſiam, poſito, quod malam ſuam voluntatem mutare velit. Hinc talis projectio ſe non ſolum habet ut aliquid concomitans omiſſionem, ſed ut aliquid antecedens, & neceſſitans ad eam. Et hæc eſt illa limitatio, ſub qua concluſio eſt intelligenda. Igitur tunc tantum actus incompoſſibilis cum obſervatione præcepti non eſt peccatum, quando homini integrum eſt, talem actum, cum libuerit, dimittere, & ſe applicare ad obſervantiam præcepti.

377 Antequam Diſſertatio hæc de libertate concludatur, quæres tandem, an voluntas in prima volitione, & intentione finis ſe ipſam moveat? Ut ſtatus hujus quæſiti magis capiatur:

Nota 1mo ex Goneto, duplex hic dubium eſſe: *primum* eſt, an homo ad primam intentionem finis, vel primam volitionem, quam habet initio vitæ moralis, dum nempe primo pervenit ad uſum rationis,

tionis, se moveat, vel a Deo specialiter moveatur, & applicetur? *secundum* dubium est, an voluntas indigeat hac speciali motione, & applicatione Dei nedum initio usus rationis, quantum ad primum actum voluntatis simpliciter, sed etiam pro omni actu, seu negotio, quod homo de novo incipit.

Nota 2. Ex eodem Gonet, dupliciter Deum movere, & applicare voluntatem ad agendum: 1mo motione, & applicatione quadam generali, quam præstat ut author universalis naturæ, & qua per præmotionem physicam omnes causas secundas in omnibus suis operationibus tam primis, quam sequentibus, tam necessariis, quam liberis movet ad agendum, & reducit de actu primo ad secundum. 2do. movet motione speciali, qua ut provisor, & motor specialis supplet defectum, & impotentiam alicujus causæ secundæ in particulari quodam casu, nempe in prima volitione &c. H. N.

R. ad quæsitum, & dico, ad quamlibet, etiam primam volitionem se movet ipsa voluntas creata. Est contra TTas.

P. breviter. 1mo. Voluntas creata juxta TTas. se movet ad quamvis volitionem secundam: ergo etiam ad primam, cum prima & secunda non differant essentialiter. *2do.* Voluntas, tanquam potentia libera, habet ex sua natura vim se ipsam movendi, & pro libitu suo reducendi ad actum secundum: ergo non indiget alia speciali motione a Deo facienda. *3tio.* Primam volitionem elicit ipsa voluntas creata juxta TTas: ergo etiam ad eam se movet; nam elicere volitionem est, ad eam se movere. *4to.* AAriorum sententia videtur supponere, quod ad productionem rerum creatarum requiratur aliqua actio, & motio prævia, quæ tanquam modus aliquis causam ab actu primo ad secundum reducat: atqui hic modus actionis, tanquam omnino inutilis jam in Philosophia est rejectus: ergo. *5to.* Prima volitio juxta AArios est libera, quia meritoria, ut ipsi fatentur: sed non amplius foret libera, si ad eam non moveret voluntas creata, sed Deus. *6to.* tandem nulla ratio, vel necessitas est confugiendi ad talem specialem motionem a Deo ponendam: ergo ea tanquam superflua merito rejici debet.

Objic. 1. cum D. Thoma 1. 2. q. 9. art. 4. Ut voluntas se ipsam moveat, debet esse in actu: atqui voluntas respectu primæ volitionis, quam elicit initio usus rationis, non est in actu: ergo. m. p. Voluntas solum censetur esse in actu, quando transivit de potentia ad 378

actum: atqui voluntas respectu primæ volitionis non censetur transiisse de potentia ad actum: ergo. m. iterum constat; quia ante primum actum volitionis, & voluntatis nullus alius actus volitionis præsupponi potest, per quem transierit de potentia ad actum. R. C. M. quod scilicet voluntas, ut se ipsam moveat, debeat esse in actu. N. m. nam per ipsam volitionem, quam primo elicit, ponit se in actu secundo, & transit de potentia ad actum.

Objic. 2. Primus motus alicujus rei adscribitur generanti: ergo & primus motus voluntatis adscribitur Deo, tanquam causæ productivæ voluntatis. A. p. Motus gravium deorsum adscribitur ipsi generanti, & agenti, quod producit talia gravia: ergo.

R. 1. Retorq. argum. In sententia TTarum. non solum primus, sed omnis motus gravium deorsum adscribitur generanti: ergo juxta ipsos non solum primus, sed etiam secundus, & omnis alius motus voluntatis debet adscribi Deo.

R. 2. D. a. Primus motus adscribitur generanti, quando res generata in se non habet propriam, & intrinsecam virtutem se movendi c. a. quando ipsa res generata in se habet virtutem intrinsecam, & propriam se movendi *subd.* tunc adscribitur generanti tanquam causæ remotæ c. a. tanquam causæ proximæ, & immediatæ n. a. Res generata per propriam virtutem suam intrinsecam est vera, proprie dicta, & immediata causa motus: generans vero in tantum causat talem motum, in quantum est causa causæ, & dat rei generatæ virtutem se movendi.

Dissertatio III.

DE NATURA ACTUUM HUMANORUM.

Consideratis jam actibus humanis, in quantum voluntariis, & liberis, nil restat amplius, quam ut eorum naturam, rationemque constitutivam discutiamus: Pro quo

379 Nota. Alium esse actum *hominis*, alium actum *humanum*; actus enim *hominis* dicuntur omnes operationes, quæ quomodolibet ab homine egrediuntur, etiamsi mere naturaliter, & sine deliberatione, advertentia, ac libertate fiant. Similes actus *hominis* sunt nutritio,

tritio, augmentatio, aut etiam motus manus, vel pedis, aut alterius membri indeliberate factus. Actus *humanus*, seu *moralis* in genere recte describitur, quod sit actus voluntatis libere elicitus, vel imperatus, cum advertentia rationis ad aliquam regulam honestatis: ex qua descriptione

Infertur 1*mo*. Hic actum humanum non distingui a morali, seu 38
illo, qui fit cum advertentia ad regulam morum, & honestatis; quamvis enim inter actus humanos possint numerari illæ quoque actiones, quas pueri eliciunt libere quidem, & cum cognitione commodi, vel incommodi naturalis, sine reflexione ad bonum, vel malum morale, scilicet ad virtutem, vel vitium, ut, dum saccharum præ sale eligunt: nihilominus hi actus in rigore Theologico non sunt humani; a Theologis enim illi solum actus humani considerantur, qui possunt esse meritorii, vel demeritorii, & per quos ad finem ultimum vel accedimus, vel ab eo avertimur: & hi soli sunt proprie dicti actus morales, & facti cum advertentia ad aliquam regulam honestatis.

Infertur 2*do*. Quod soli actus voluntatis seu eliciti, seu imperati sint actus morales, & humani. Ratio est; quia hi soli possunt esse liberi, consequenter etiam morales; nam libertas indifferentiæ vel est fundamentum, vel omnino ratio formalis constitutiva moralitatis actuum humanorum.

Infertur 3. Quod actus humani debeant elici cum advertentia ad aliquam regulam morum, & honestatis, a qua petunt regulari; ab hac enim regula omnem suam laudem trahunt, si ei conformantur, vel suum vituperium, si non sint conformes.

Infertur 4. Duplicem dari libertatem, *physicam* unam, *moralem* alteram. *Physica* est, quæ in agente præsupponit tantum cognitionem boni, aut mali naturalis, vel naturaliter delectabilis, & commodi sine reflexione ad honestatem, vel inhonestatem, aut indifferentiam in genere moris: talem libertatem judicant aliqui adesse in pueris, ubi necdum perfectum usum rationis obtinuerunt. Libertas *moralis* est, quæ in agente supponit cognitionem boni, & mali moralis, seu virtutis & vitii, vel saltem objecti nec boni, nec mali, sed indifferentis in linea morali. His præsupp.
ponitur

Arti-

Articulus I.

De Actuum Humanorum Natura: & de Regula eorum objectiva.

§. I.

In quo consistat moralitas, tanquam ratio formalis constitutiva actuum humanorum?

381 Assero: Moralitas actuum humanorum consistit in eorum libertate morali. Ita Herincx, Henno: nec dissentit Mastrius 2. d. 5. ut patet ex illis, quæ habet ibi n. 4. Est etiam Scoti 2. d. 40. q. un. §. *De secundo dico* n. 3. ibi: *Actus dicitur moralis, quia libere elicitus: & hoc est commune actui bono, & malo.* Similia habet etiam quodl. 18. n. 10.

P. 1. Illud est formale constitutivum actus moralis in ratione moralitatis, quod ipsum formaliter distinguit ab omni alio actu, qui non est moralis: sed libertas moralis actum moralem formaliter distinguit ab omni alio actu, qui non est moralis: ergo libertas moralis est formale constitutivum actus moralis in ratione moralitatis. M. patet; quia idem est constitutivum, quod est distinctivum: sic quia homo essentialiter in ratione hominis constituitur per rationalitatem, ideo per eam etiam essentialiter differt ab omni alio ente, quod non est homo. m. p. per hoc enim, quod actus voluntatis sit libere elicitus cum advertentia ad regulam honestatis, differt ab omni actu mere naturali, & necessario, ac aliis, qui non sunt proprie humani, & morales; ergo.

P. 2. In illo formaliter, & essentialiter consistit moralitas, ex quo tanquam radice promanant proprietates, & affectiones moralitati specialiter convenientes: sed hæ proprietates & affectiones promanant ex libertate morali: ergo. M. iterum constat ex Philosophia; nam proprietates, & affectiones alicui enti specialiter convenientes, ex ejus essentiali constitutivo, & prædicato differentiali promanant. m. p. Proprietates, & affectiones actus moralis, & humani sunt, quod is sit imputabilis ad præmium vel pœnam, laudem vel vituperium: sed hæc prædicata omnia competunt ei ratione libertatis moralis; ideo enim aliquis actus est laudabilis, vel vituperabilis in genere morali,

quia

quia est elicitus libere cum advertentia ad regulam honestatis: ergo. Ex his

Deduces 1. Moralitatem non esse aliquem modum, vel relatio- 382
nem a libertate distinctam. Ratio est: quia hic modus sine ulla ratione, & prorsus superflue superadderetur.

Deduces 2. Moralitatem esse meram denominationem extrinsecam, superadditam actui voluntatis physice spectato. Ratio est: quia moralitas est libertas actus: atqui libertas actus est denominatio extrinseca, ut dictum est n. 362. & seqq. Quare tota moralitas actus explicatur per denominationem extrinsecam, desumptam a potentia libera, quæ illum producit cum advertentia ad regulam morum.

Deduces 3. Moralitatem non esse intrinsecam, & essentialem ipsi actui voluntatis physice spectato. Ratio est: quia est mera denominatio extrinseca superveniens ei, & separabilis ab eo: prout colligitur ex dictis, ac amplius probabitur.

Deduces 4. Actum voluntatis physice necessarium, non esse moralem, quantumvis fiat cum advertentia ad regulam morum. Ratio est: quia caret libertate morali; ad hanc enim duo conjunctim requiruntur: *primum*, ut fiat cum advertentia ad regulam morum: *secundum*, ut eliciatur a voluntate proxime indifferente ad agendum, vel non agendum: atqui secundum deest in actu necessario: ergo.

Deduces 5. Toties mutari moralitatem, quoties mutatur advertentia ad regulam morum. Ratio est: quia toties mutantur denominationes extrinsecæ, quoties mutatur vel totaliter, vel partialiter forma, a qua desumuntur: atqui moralitas, seu libertas moralis est denominatio extrinseca, desumpta saltem partialiter ab advertentia ad regulam morum: ergo ea toties mutatur, quoties mutatur advertentia ad regulam morum. Sic possunt actus primo primi fieri de non moralibus morales, si scilicet superveniat advertentia rationis ad regulam honestatis. Sic unus actus potest ex bono, vel saltem non malo fieri malus: ut si die jovis ante 12mam nocturnam incipias comedere carnes, & hanc comestionem continues usque post eanden 12mam.; nam ante 12mam. actio hæc regulatur per regulam permittentem, cum die jovis sit permissum carnes comedere, post 12mam opponitur regulæ prohibenti, cum die veneris sit prohibita carnium comestio.

Denique idem physice actus potest plures habere moralitates, si sit elicitus, vel imperatus conformiter, vel etiam difformiter ad diversas regulas morum, per intellectum propositas. Taliter furtum rei sacræ, v. g. calicis habet duplicem moralitatem, & malitiam, quia præsupponit advertentiam ad duplicem regulam moralem, quarum una prohibet ablationem rei alienæ, tanquam inimicam justitiæ, altera Sacrilegium, tanquam oppositum Religioni. His probe notatis, fere omnes objectiones facile solvere potes.

§. II.

An Bonitas, & malitia sit de essentia actuum humanorum: & quid sit?

383 Nota 1. Bonitatem, & malitiam, uti & indifferentiam, de qua inferius, esse differentias essentiales ipsius moralitatis, quam in sensu, & æstimatione morali distinguunt in tres diversas species.

Nota 2. Hic indagari præcipue, an bonitas moralis sit intrinseca, & essentialis actui voluntatis, qui dicitur bonus moraliter: vel an sit tantum aliquod accidens eidem actui superadditum, & ab eo separabile? idem est de malitia morali.

Nota 3. Duplicem posse spectari bonitatem in actu humano. Una est *objectiva*, quæ desumitur ab objecto, & est ipsa tendentia in objectum honestum. Hæc bonitas juxta nos est tantum *fundamentalis.* Altera est bonitas formalis, quæ est convenientia, & conformitas actus ad regulam morum. Et de hac in præsentiarum agitatur controversia. H. N.

384 Assero 1. Bonitas, & malitia formalis actuum humanorum non sunt essentiales ipsis actibus humanis in se physice, & entitative spectatis. Scotus 1. D. 17. n. 4. Item quodl. 18. n. 16. ubi docet, quod idem omnino physice actus voluntatis possit de moraliter bono in malum transire: adeoque supponit, separabilem esse bonitatem, & malitiam ab actu voluntatis entitative, & essentialiter invariato: atqui quod est essentiale actui voluntatis, non potest ab eo essentialiter invariato separari, ut clarum est: ergo.

P. 1. Bonitas, & malitia moralis sunt tantum denominationes extrinsecæ, superadditæ actui physico voluntatis: ergo non sunt de

essentia

essentia intrinseca actus voluntatis. Ant. inferius magis declarabitur.

P. 2. Bonitas, & malitia moralis possunt penitus separari ab actu voluntatis, manente eadem physica entitate actus: ergo non sunt de essentia talis actus. A. p. Idem physice invariatus actus secundum dicta n. 360. *in probatione conclusionis* potest ex libero fieri necessarius, consequenter potest desinere esse liber: atqui si desinit esse liber, tunc ab ea separatur omnis moralitas, consequenter & bonitas, ac malitia moralis; nam sine libertate nec moralitas in genere, nec bonitas, aut malitia moralis in specie dari possunt: ergo.

P 3. Idem entitative actus potest de moraliter bono fieri malus: ergo bonitas, & malitia ei non sunt essentiales. A. p. Eadem entitative volitio v. g. dandi eleemosinam, potest prius imperari reflexe per alium actum internum voluntatis ex motivo honesto virtutis, v. g. misericordiæ: postmodum potest imperari per alium affectum pravum ex motivo inhonesto, v. g. inducendi aliquem ad peccatum grave: sed tali modo volitio illa transibit de bona in malam moraliter: ergo. m. constat; nam, dum imperatur ex motivo honesto, est bona: quando postmodum ex inhonesto, fit mala.

Hoc argumento moti passim varii Authores admittunt quidem, actum tam internum, quam externum *imperatum* voluntatis posse de bono transire in malum, adeoque illi non esse essentialem bonitatem, aut malitiam moralem: verum hoc negant de actibus voluntatis mere *elicitis*. Rationem hujus dant: quia actus honestus, & inhonestus habent essentialiter diversas intrinsecas tendentias in sua objecta; actus enim honestus, seu moraliter bonus, non debet quomodocumque prosequi bonum honestum, sed debet illud prosequi etiam ex hoc motivo, quia est honestum: atqui actus essentialiter attingens honestum ex motivo honestatis, non potest fieri inhonestus, cum non possit exuere tendentiam illam sibi intrinsecam. Sed contra hoc AAriorum assertum

P. Assertio 4. Potest in aliquo actu prius moraliter bono, & honesto permanere eadem tendentia in objectum honestum ex motivo honestatis, & tamen potest hic entitative idem actus ex bono fieri malus ob mutationem solius conscientiæ, & advertentiæ ad regulam morum: ergo &c. A. p. Ponamus Sacerdotem, qui prius ignarus, Ecclesiam esse interdicto subjectam, ex sancta intentione, & moti-

motivo honeſtiſſimo honorandi Deum, vult celebrare in ea Miſſam: poſtea vero audiens aliquid de interdicto, ob pigritiam culpabilem negligit indagare rei veritatem, continuatque ſuam intentionem, & volitionem celebrandi in honorem Dei: Hoc in caſu volitio hæc fuit ſemper habita ex eodem motivo honeſtatis, ſcilicet honoris Dei, & tamen poſtea ob ignorantiam vincibilem interdicti ex moraliter bona in malam, & graviter peccaminoſam tranſiit: ergo.

Dices: Cognitio interdicti, & periculum peccandi per volitionem celebrandi tempore interdicti enervavit omnem efficaciam motivi honeſti: ergo motivum honeſtum ſtante cognitione interdicti &c. non potuit amplius movere. R. N. a. Cum cognitione illa interdicti adhuc ſtat, & perſeverat ignorantia vincibilis ejusdem interdicti: quare non obſtante illa tenui ſcientia interdicti, & advertentia ad periculum peccandi poteſt intellectus, quamvis imprudenter, judicare, Eccleſiam non eſſe interdictam, neque eſſe illicitum, in ea celebrare. Ex quo fit, quod per hanc obſcuram cognitionem interdicti, & periculi graviter peccandi, motivum honeſtum non ſtatim enervetur. Poſſet etiam diſtingui conſequens: Motivum honeſtum ſtante cognitione certa, & perfecta interdicti non poteſt amplius movere c. c. ſtante cognitione tantum levi, & incerta *ſubd.* non poteſt amplius movere prudenter c. c. imprudenter n. c. Imprudenter hic homo ageret, quia non in certam cognitionem hujus rei venire laboraret.

De cætero gratis admitto interea, quod bonitas fundamentalis, & objectiva actus dicat ſpecialem illam tendentiam in motivum honeſtatis ſaltem implicite, & exercite, nego autem, quod bonitas formalis in hac tendentia conſiſtat. Quod ulterius

P. 5. Actus idem amoris Dei ſervata eadem tendentia in motivum honeſtatis, & in objectum materiale honeſtum, poteſt bonitatem ſuam moralem formalem perdere, ſi nempe tranſit ex libero in neceſſarium: ergo bonitas formalis non poteſt in ſpeciali tendentia conſiſtere.

P. 6. Malitia formalis actus humani non conſiſtit in ſpeciali quadam tendentia intrinſeca: ergo neque bonitas formalis. A. p. Idem actus phyſice invariatus poteſt ex non peccaminoſo fieri moraliter malus, mutata ſola advertentia ad regulam morum: ergo. A. p. Deſideria, & affectus terreni, ac impertinentes tempore orationis habiti iidem entitative invariati, poſſunt primo eſſe immunes a peccato,

to, & postmodum fieri moraliter mali, si nempe orans postea, non autem statim ab initio recordetur, hos actus impertinentes tempore orationis esse illicitos: ergo.

Respondet Viva: Actus inhonestus debet positive contraniti, & repudiare bonitatem, ac honestatem oppositam: atqui hæc contranitentia, & repudiatio dicit specialem, & intrinsecam tendentiam, actui peccaminoso essentialem: ergo. *Contra est*: Hæc P. Vivæ responsio supponit, quod voluntas non possit libere amplecti, aut prosequi unum ex duobus oppositis objectis, quin alterum positive repudiet, & ei resistat: sed hoc ipsum suppositum ex P. Viva relatum, jam satis est refutatum supra n. 360. Quare hic ulteriorem ejus refutationem omitto.

Objic. 1. Bonitas, & malitia etiam desumuntur ex objecto, & 385 tendentia in objectum: atqui illa, quæ desumuntur ex objecto, sunt intrinseca, & essentialia actui: ergo. R. D. M. Bonitas, & malitia objectiva desumuntur ex objecto, & tendentia in objectum c. M. bonitas, & malitia formalis *subd.* desumuntur ex objecto fundamentaliter, in quantum nempe tendentia in objectum præbet fundamentum, & substratum malitiæ formalis c. M. desumuntur formaliter ex objecto, seu objectum, & tendentia in illud sunt formalis malitia, vel bonitas n. M. Formalis bonitas moralis est quid subsequens actum voluntatis tendentem in objectum, & ab eo separabile.

Objic. 2. Aliqui actus humani sunt intrinsece essentialiter boni, alii essentialiter mali. Sic amor Dei, & actus virtutum Theologicarum sunt intrinsece boni: odium vero Dei, blasphemia, & alii similes actus peccaminosi sunt essentialiter mali: ergo saltem de aliquorum actuum humanorum essentia est bonitas, & malitia. R. D. a. aliqui actus sunt intrinsece, & essentialiter boni objective, in quantum tendunt in objectum intrinsece bonum, quale est Deus c. a. sunt intrinsece boni formaliter n. a. Etiam præfati actus possunt carere bonitate, & malitia formali. Sic amor Dei, & actus aliarum virtutum Theologicarum, si eliciantur necessario, non erunt formaliter boni bonitate morali: & odium Dei, ac blasphemia, si fiant sine advertentia ad eorum malitiam, non erunt actus formaliter mali, aut peccaminosi. Quare autem hi intrinsece mali dicantur objective, patebit amplius ex §. seq. Objectione prima.

Objic. 3. Ipse actus odii Dei physice, & in se spectatus prohibetur; ergo in se est formaliter malus; nam ideo prohibetur, quia in se malus est. R. N. a. prohibetur enim tantum actus odii libere, & cum advertentia ad regulam prohibentem elicitus: & hinc ille actus, qui sine libertate, & sine tali advertentia elicitur, non est peccaminosus.

Objic. 4. Actus odii Dei in se habet aliquam specialem rationem, ob quam petit prohiberi: sed hæc ipsa ratio specialis est ejus malitia formalis: ergo. R. N. m. Hæc enim ratio est tantum malitia fundamentalis, & objectiva, non autem formalis.

Objic. 5. Actus amoris Dei in se physice spectatus non est malus, nec indifferens: ergo debet esse bonus moraliter. R. 1. Retorq. argum. Amor beatificus in sententia AAriorum non est actus malus, nec indifferens: ergo debet esse actus moraliter bonus, & consequenter meritorius. R. 2. D. c. ergo debet esse bonus objective, & fundamentaliter c. c. formaliter n. c. Actus amoris Dei in se physice spectatus præscindit ab omni moralitate, consequenter & a bonitate morali: proinde importat solum bonitatem objectivam, & fundamentalem.

386 Assero 2. Bonitas, & malitia formalis, non sunt aliquæ relationes reales superadditæ actibus humanis: sed 2do. sunt meræ denominationes extrinsecæ.

P. 1ma pars. Ibi non datur relatio realis, ubi non habetur fundamentum, & terminus vere realis: atqui in actu formaliter bono, aut malo saltem non datur terminus vere realis: ergo. M. est nota ex communibus principiis Logicæ. m. p. Actus voluntatis in tantum dicitur bonus moraliter, in quantum est conformis regulæ morali, prout hæc per intellectum proponitur, sive ea interea a parte rei ita se habeat, sive non; quippe bonitas, & malitia moralis dependent unice a judicio practico intellectus, dictante hoc esse bonum, vel malum, licitum vel illicitum &c. ergo in actu formaliter bono saltem non datur terminus vere realis. Ex quo

Patet etiam 2da pars; si enim non est relatio realis, nihil amplius videtur restare, quam quod sit denominatio extrinseca. Id, quod ulterius

Confirm.

Confirm. 1. Aliæ moralitates sunt tantum meræ denominationes extrinsecæ: ergo & moralitas bonitatis, ac malitiæ in actibus humanis erit denominatio extrinseca. A. p. sic esse Judicem, esse Regem, esse Dominum, esse Servum, nihil aliud importat, quam denominationem extrinsecam, relictam ex institutione, electione, contractu, vel Lege; ideo enim Petrus est judex, quia est institutus a Superiore: ideo Ludovicus est Rex, quia est electus in Regem &c.

Confirm. 2. Moralitas actuum humanorum in genere est denominatio extrinseca: ergo etiam moralitates in specie, scilicet bonitas, & malitia erunt denominationes extrinsecæ.

Bonitas igitur formalis nil aliud est, quam denominatio extrinseca, per quam actus humanus denominatur libere elicitus, vel imperatus conformiter regulæ morali præcipienti, aut saltem consulenti, & approbanti, per intellectum propositæ. Hæc denominatio extrinseca partim desumitur ab indifferentia proxima potentiæ volitivæ, partim etiam à regula morali, ut cognita per intellectum. Malitia autem formalis moralis est denominatio extrinseca, qua actus humanus denominatur libere elicitus, vel imperatus non conformiter ad regulam morum: quod tunc fit, dum regula morum dictat, actum talem esse omittendum. Ex quo habes, quod etiam omissio possit esse formaliter mala, dum aliquid omittitur, quod regula morum dictat esse faciendum.

Objic. 1. Bonitas dicit veram habitudinem, & conformitatem, 387
quæ a parte rei datur: ergo debet consistere in aliqua relatione reali. R. 1. Retorq. Argum. Potestas judiciaria dicit veram habitudinem Judicis ad subditos, quæ a parte rei datur: ergo hæc potestas debet esse relatio realis. Consequentiam negabunt AArii. R. D. a. dicit veram habitudinem moralem c. a. habitudinem physicam n. a. Habitudines morales satis explicari possunt per denominationes extrinsecas, quæ etiam revera a parte rei existunt.

Objic. 2. Bonitas habet terminum vere realem: ergo etiam est relatio realis. A. p. Terminus hujus bonitatis est cognitio regulæ morum: sed hæc cognitio est terminus a parte rei existens: ergo. M. constat; nam actus debet regulæ morum cognitæ conformari. R. N. a. Ad prob. N. M. nam non ipsa cognitio, sed regula morum, seu lex &c. quatenus est per cognitionem proposita, & habet esse cogni-

tum,

tum, & objectivum in intellectu, est illud, cui conformari debet actus humanus, ut sit bonus: cognitio vero se tantum habet ut conditio applicativa regulæ morum, prout amplius dicetur §. seq. Deinde universaliter certum est, quod in objecto aliquo, vel actu nulla relatio realis resultet ex eo, quod terminet dictamen, vel cognitionem intellectus, aut alium actum vitalem. Sic murus ex eo, quod sit cognitus, vel visus, nullum dicit realem respectum, sed tantum denominationem extrinsecam ad visionem, vel cognitionem: ergo etiam actus humanus, eo quod per dictamen intellectus sit cognitus, vel regulatus, non dicet aliquem realem respectum, sed tantum denominationem extrinsecam ad dictamen intellectus.

Neque Conclusioni nostræ obstat Scotus, dum 1. d. 17. q. 3. §. *quantum ad istum* ait, quod posito recto dictamine, & actu per illud directo ex natura rei resultet relatio conformitatis, & bonitatis: R. enim, Scotum tantum velle, quod positis omnibus ad actum moraliter bonum requisitis, formaliter etiam adsit, & detur relatio *moralis* bonitatis, & conformitatis; quæ est mera relatio *secundum dici*, non autem est vera relatio realis: cujus ratio est; quia non habet extrema talia, ex quibus relatio realis resultare posset.

Objic. 3. Actus boni generant habitum bonum, & actus mali generant habitum vitiosum: ergo bonitas, & malitia sunt vera positiva entia realia; denominationes enim extrinsecæ nil efficiunt. R. D. a. Actus boni, materialiter, & fundamentaliter spectati, generant habitum bonum, pariter fundamentaliter spectatum c. a. Actus boni qua formaliter boni n. a. &c.

Objic. 4. Relatio mensurati ad mensuram est relatio prædicamentalis, & consequenter realis: sed moralitas, proinde & bonitas actus humani est relatio mensurati ad mensuram: ergo moralitas, & bonitas actus humani est relatio realis. m. p. Moralitas actus humani est relatio ejus ad regulam morum, a qua specificatur, & per consequens in morali sua perfectione, & bonitate mensuratur: ergo. R. D. M. Relatio mensurati ad mensuram vere realem, quæ mensurat secundum esse suum, quod habet a parte rei, est relatio realis Tr. M. quæ mensurat tantum secundum esse cognitum, & objectivum, quod habet in intellectu n. M. Actus autem humanus dicit tantum ordinem ad mensuram, quæ mensurat secundum esse suum cognitum; nam actus humani, ut sint boni, non debent aliter conformari

formari regulæ morum, quam eo modo, quo ista per intellectum proponitur.

Objic. 5. Malitia formalis peccati est aliqua privatio rectitudinis, quæ deberet inesse: atqui denominatio extrinseca non est privatio: ergo malitia formalis peccati non est denominatio extrinseca. M. patet ex Scoto 2. d. 37. q. 1. n. 6. §. *Concedo igitur juxta solutionem.* & ex communi sententia SS. m. per se liquet. R. D. M. est aliqua privatio rectitudinis physica n. M. est aliqua privatio moralis c. M. & D. m. Sed denominatio extrinseca non est privatio physica c. m. non est privatio moralis, saltem aliquoties n. m. Dum Scotus ait, malitiam, & rationem formalem peccati consistere in privatione, non intelligit privationem physicam, & stricte dictam, quæ omnes conditiones veræ, & proprie talis privationis habet: sed intelligit solum in actu, vel omissione absentiam, & negationem conformitatis cum lege, & regula morum per intellectum ostensa. Hæc autem privatio est moralis, & consistit in hoc, quod actus libere eliciatur, ubi lex cognita dictat, eum esse omittendum, vel quod actus libere omittatur, ubi lex, vel regula morum rite cognita dictat, talem actum esse eliciendum. Quo in sensu tota malitia formalis peccati, & privatio rectitudinis moralis absolvitur per denominationem extrinsecam, desumptam partim a voluntate proxime indifferente, partim a cognitione regulæ morum. Per hanc igitur denominationem extrinsecam actus peccaminosus denominatur *libere non conformatus* cum regula morum cognita, sicut & actus bonus denominatur *libere conformatus* cum eadem regula.

Petes: An omnes actus morales boni sint meritorii prœmii su- 388
pernaturalis? R. negative; quamvis enim nullus actus sit meritorius in ordine supernaturali, nisi sit honestus, & moraliter bonus, non tamen statim omnis actus moraliter bonus, & conformis regulæ morum est supernaturaliter meritorius. Ratio hujus est: quia ad actionem meritoriam præter honestatem moralem plures aliæ conditiones requiruntur, ac præcipue, quod talis actio procedat ex gratia divina supernaturali. Si ergo aliquis daret eleemosinam ex motivo honestatis, & gratia D. non simul concurreret ad istam actionem, ea non foret supernaturaliter meritoria, quamvis esset honesta, & moraliter bona. De hoc plura in Tractatu de Gratia, & merito.

§. III.

Quænam sit regula ultimata actuum humanorum?

Nota: Regulam ultimatam actuum humanorum esse, per cujus conformitatem illi dicuntur boni, & per cujus difformitatem, vel potius non conformitatem sunt mali. Noster Herincx D. 3. & q. 1. *de Actibus humanis* videtur asserere, quod hæc regula sit natura rationalis qua talis, seu quatenus operatur ex ratione, illasque actiones esse honestas, quæ congruunt naturæ rationali qua tali, quales sunt: amare Deum, honorare Parentes, esse misericordem, sectari castitatem, temperantiam &c. Id ipsum docuit Vasquez allegatus apud Viva. Scotus vero, D. Bonaventura, & multi alii dicunt, ultimatam regulam moralitatis esse legem Dei æternam. H. N.

389 Assero: Ultimata regula objectiva moralitatis est Lex Dei æterna. Quare eatenus actio aliqua est bona, quatenus conformatur huic legi per cognitionem ostensæ, & eatenus est mala, quatenus ei non conformatur. Ita cum multis aliis clare docet Scotus 2. d. 37. q. 1. n. 6. §. *Concedo igitur juxta solutionem quæstionis.*

P. 1. Authoritate Scoti cit. ait enim; *Voluntas enim debitrix est, ut omnem actum suum eliciat conformiter regulæ Superiori, scilicet secundum divinum præceptum: & ideo, quando agit discorditer ab illa regula, caret justitia actuali debita.* Similia plura affert, & probat suam sententiam authoritate S. Ambrosii L. *de Paradiso* ita loquentis: *Peccatum est cœlestium transgressio mandatorum* &c.

P. 2. alia authoritate. S. Paulus ad Rom. 4. dicit: *Ubi non est lex, nec prævaricatio.* & c. 7. *Peccatum non cognovi, nisi per legem.* Et D. Augustinus L. 2. *contra Faustum* definit peccatum, quod sit *dictum, factum, concupitum contra legem æternam.* Ex quibus sequitur, quod malitia moralis, & formalis peccati non possit haberi, nisi per oppositionem cum lege æterna: uti etiam observat Scotus loco laudato.

P. 3. Illa debet esse ultimata regula moralitatis, quæ a dictamine conscientiæ, & rationis proponitur ut regulans has actiones: sed hæc regula non potest esse alia, quam lex æterna: ergo. m. p. nam natura rationalis non est regula regulans, sed potius est regulabilis per istam regulam: item regula moralitatis sæpe obligat ad has potius actio-

actiones ponendas, quam alias: atqui talis obligatio ultimato solum potest provenire a lege æterna, non autem natura rationali. Ratio hujus est; quia illud, quod potest naturam rationalem obligare, debet esse quid superius natura rationali; obligatio enim in conscientia semper a Superiore descendit: atqui natura rationalis non est superior se ipsa: ergo.

Dices: Vim obligandi posse provenire a creatura; nam una creatura est superior altera, & jurisdictionem in aliam exercere, ac illi leges præscribere potest. *Contra est*: Omnis vis obligatoria, quæ inest præceptis, & legibus humanis, ultimato oritur ex lege Dei æterna, quatenus hujus virtute tenemur obedire legibus, & præceptis Superiorum etiam hominum. Unde ultimato omnis obligatio conscientiæ resolvitur in legem Dei æternam. Ex hoc

Deduces 1. Quod neque judicium prudentum, neque ipsa con- 390
scientia sint regula ultimata actuum humanorum; quia *1mo.* sunt mera conditio applicans, & ostendens nobis, quænam sit vera regula morum. 2. De essentia regulæ morum est, ut possit etiam obligare in conscientia: atqui potestas, & vis obligandi non residet in intellectu, aut ejus actibus, sed solummodo in voluntate: ergo.

Deduces 2. Leges humanas posse quidem etiam esse regulas directivas actuum humanorum, eas tamen non esse ultimatam, nec universalem talem regulam. Ultimata regula non sunt, quia ultimo vim obligandi aliunde, nempe a lege æterna accipiunt. Neque universaliter regulant, quia etiam dantur præcepta divina, & naturalia, quæ dispositioni, & potestati legislativæ humanæ non subsunt.

Deduces 3. Per legem æternam non solum intelligi decretum divinum obligans ad aliquid agendum; vel omittendum, sed etiam consulens, approbans, vel permittens; nam actus boni sæpe regulantur solummodo per consilium, & actus indifferentes per regulam permittentem.

Objic. 1. Odium Dei esset malum, etsi non esset prohibitum; 391
ergo odium Dei est malum ex ipsa disconvenientia ad rectam rationem, non ad legem prohibentem. R. D. a. esset malum fundamentaliter c. a. formaliter n. a. Fundamentaliter odium Dei est malum, in quantum ex natura sua exigit prohiberi: formaliter vero malum est, quatenus fit contra actualem prohibitionem.

Objic. 2. Odium Dei est intrinsece malum, & ideo est prohibitum, quia malum: ergo malitiam non a prohibitione, & lege, sed ab intrinseca disconvenientia ad rationem habet. R. Ex hoc solum haberi, quod odium Dei essentialiter exigat prohiberi, eo quod sit fundamentaliter malum: hæc autem exigentia prohibitionis provenit ex eo, quia odium Dei videtur pugnare cum recta ratione, & magnam etiam inperfectionem objectivam habet. Atque in hoc differunt intrinsece mala ab extrinsece malis: sic comestio carnis die veneris non est intrinsece mala, quia ex sua natura non est objective, & fundamentaliter mala, neque exigit essentialiter prohiberi, sicut odium Dei.

Objic. 3. Ergo si odium Dei non fuisset a Deo prohibitum, tunc aliquis non peccaret Deum odio habendo: atqui sequela videtur absurda: ergo. R. C. illat. Neque ex hoc videtur sequi absurdum, quia tunc odium Dei non esset contra legem, consequenter non haberet essentiale constitutivum peccati formalis. An autem Deus potuisset non prohibere odium Dei, est alia quæstio, quæ forte inferius, agendo de legibus, examinabitur.

Objic. 4. Quando aliquis ex conscientia erronea credit, se teneri ad mendacium, vel perjurium committendum, tunc mentiendo bene agit, & tamen non agit conformiter legi æternæ Dei; hæc enim prohibet mendacium, & perjurium: ergo. R. N. a. Ejus rationem D. lex æterna Dei prohibet mendacium, perjurium &c. directe *conc.* prohibet etiam reflexe *neg.* Quamvis lex æterna directe prohibeat perjurium, mendacium, & alios similes actus, illos tamen reflexe præcipit, quando ex conscientia invincibiliter erronea aliquis se putat ad tales actus teneri; nam & Deus lege sua æterna statuit, ut sequamur conscientiam, etiam errantem, dummodo error sit invincibilis.

Articulus II.

De bonitate, & malitia actus humani ex Objecto, & circumstantiis desumpta.

Postquam vidimus, quid sit bonitas, & malitia formalis in se, indagamus, quænam sint causæ extrinsecæ hujus bonitatis, & malitiæ. Quare

Nota

Nota 1. Ab objecto, & circumstantiis in actum humanum tantum 392
extrinsece, & causaliter refundi bonitatem, & malitiam, non autem formaliter, & intrinsece; nam objectum, & circumstantiæ respectu actus humani sunt tantum extrinseca quædam specificativa, non autem formalia, aut intrinseca constitutiva.

Nota 2. objectum in præsenti idem esse, ac *finem intrinsecum*; est enim illud, ad quod actus humanus ex natura, & intrinseca sua tendentia ordinatur. Sic actus largitionis eleemosinæ pro objecto suo habet sublevationem pauperis; ad hunc enim, ceu finem suum intrinsecum ex natura sua tendit, & ordinatur.

Nota 3. Circumstantiam, quam græci Peristasin vocant, esse illud, quod afficit actum humanum, in suo esse specifico morali jam constitutum, aliquid tamen ad ejus bonitatem, vel malitiam confert. Quare circumstantiæ actui morali non tribuunt primariam bonitatem, vel malitiam, sed eam jam præsupponunt, ei tantum accidunt, atque ea salva possunt abesse, vel adesse actui, prout ex dicendis amplius constabit.

Notanter autem dixi, quod circumstantia debeat aliquid conferre ad bonitatem, vel malitiam moralem, scilicet eam augendo, vel minuendo, aut diversam eidem speciem addendo; quia, si nihil conferat ad bonitatem, & malitiam moralem, erit quidem circumstantia in genere physico, non in genere moris: sic in genere moris non est circumstantia, quod homicidium sit factum sclopeto, vel gladio, eleemosina sit data Antonio, vel Francisco; ista enim impertinenter se habent ad bonitatem, vel malitiam moralem. Bene autem attenduntur hæ circumstantiæ, an quis nempe jejunaverit solo pane & aqua, vel an etiam comederit pisces, & vinum biberit: item an quis furto subduxerit rem alienam simpliciter, vel omnino sacram: an contra castitatem peccaverit cum soluta, vel ligata &c.; tales enim circumstantiæ ad bonitatem, & malitiam moralem multum faciunt, ut cuilibet patet.

Nota 4. Circumstantiam dividi in *aggravantem*, & illam, *quæ speciem mutat*. Circumstantia *speciem mutans* est ea, quæ superaddit actui humano novam, & specie, ac essentialiter distinctam bonitatem, vel malitiam in genere moris: ut si quis det eleemosinam, ut satisfaciat pro peccatis, hæc circumstantia finis extrinseci, & intentionis satisfaciendi pro peccatis, superaddit novam speciem moralem. Quare

actus hic duplicem distinctam speciem, & essentiam moralem continet, unam ex objecto, & fine intrinseco, quatenus tendit in sublevationem pauperis: alteram ex fine extrinseco, & intentione operantis, quæ dicitur circumstantia *Cur*, quatenus intenditur in satisfactionem pro peccatis: ratione prioris moralitatis, & bonitatis est actus misericordiæ, ratione alterius est actus pœnitentiæ, vel alterius virtutis. Idem etiam est de aliis similibus: ut si quis furetur rem sacram, ubi circumstantia *rei sacræ* superaddit furto distinctam speciem peccati Sacrilegii contra Religionem.

Circumstantia *aggravans* est illa, quæ tantum auget bonitatem, aut malitiam in eadem specie, ac proinde non addit specie distinctam: talis est major quantitas eleemosinæ. Est iterum duplex: una est *notabiliter* aggravans, altera *leviter* aggravans. De hac divisione circumstantiæ in notabiliter, & leviter aggravantem plura in Tractatu de Pœnitentia.

Nota 5. Circumstantiam ulterius secari in *formalem*, & *objectivam. Formalis* est, quæ se tenet ex parte actus: tales sunt major, vel minor intensio, duratio, libertas, facilitas, aut difficultas actus. *objectiva* est, quæ se tenet ex parte objecti: tales sunt major, vel minor quantitas eleemosinæ, major, vel minor indigentia illius, cui datur eleemosina, circumstantia loci, temporis, Personæ &c. H. N. sit

§. I.

An & quomodo Bonitatem, vel malitiam desumat actus humanus ab objecto, & Circumstantiis?

393 Assero 1. Actus humanus desumit bonitatem, & malitiam ab objecto, & circumstantiis. Ita communis. P. 1ma pars ex S. Scriptura: Oseæ 9. dicitur: *Facti sunt abominabiles sicut ea, quæ dilexerunt:* ergo S. Scriptura supponit, malitiam, propter quam homo fit Deo abominabilis, derivari ex objectis malis, quæ ab homine diliguntur.

Confirm. In genere naturæ actus specificantur ab objectis juxta commune axioma: ergo & in genere moris. Proinde si objectum in genere moris sit bonum, & actus in illud tendens erit bonus; si vero objectum fuerit malum, & actus malus erit.

P. 2da pars. Plus peccat, qui furatur majorem quantitatem pecuniæ quam ille, qui minorem surripit, & sic de aliis: ergo & circumstantiæ aliquam bonitatem, vel malitiam refundunt in actum moralem. Nihilominus

Observa, quod obiectum non tribuat actui humano bonitatem, vel malitiam in genere moris, prout illud est in se, sed prout substat cognitioni practicæ intellectus. Quare actus humanus bonitatem recipit ab objecto, si hoc est repræsentatum ut conforme rationi, & regulæ morum præcipienti, aut consulenti &c. malitiam vero ab eo accipit, si cognoscatur ut difforme regulæ morali. Idem etiam dicendum de circumstantiis, saltem objectivis. Hoc totum ex præcedentibus constat, & amplius colligetur ex Tractatu de Conscientia.

Objic. 1. Nec objectum, neque circumstantiæ objectivæ habent bonitatem, aut malitiam formalem: ergo neque illam dare possunt actui. R. D. a. non habent bonitatem formalem formaliter c. a. non habent eam causaliter, ac radicaliter n. a. 394

Objic. 2. Actus externus sæpe est objectum actus interni: sed actus externus, non potest dare bonitatem actui interno: ergo. m. p. Actus externus potius debet participare, & recipere bonitatem ab actu interno: ergo actus externus non potest dare bonitatem actui interno. Ante Resp. nota, actum posse dupliciter spectari: 1*mo*. prout est objective in intellectu, & concipitur. 2*do*. prout est a parte rei. Primo modo est objectum actus interni, & ei dat bonitatem: secundo modo est effectus actus interni, & participat bonitatem formalem ab actu interno. Quare in forma

R. D. M. Actus externus sæpe est objectum actus interni, prout habet esse objectivum in intellectu, & cognitione c. M. prout habet esse reale, & existentiæ a parte rei n. M. & d. m. Actus externus, prout habet esse reale, & existentiæ a parte rei, seu prout existit, non potest dare bonitatem actui interno c. m. prout habet esse objectivum in intellectu n. m. & cons.

Objic. 3. contra 2dam partem. Circumstantiæ sunt extrinsecæ actui, v. g. locus, tempus &c. ergo non possunt ei dare intrinsecam bonitatem. R. 1. Retorq. Argum. etiam objectum est extrinsecum, & distinctum ab actione bona. R. 2. N. c. Objectum enim, & circum-

cumstantiæ conferunt actui morali tantum bonitatem tanquam specificativa extrinseca: adeoque non debent ei esse intrinseca.

Objic. 4. Intensio, ac remissio actus non sunt volitæ: ergo saltem hæ circumstantiæ non dant bonitatem actui. R. D. a. non sunt volitæ signate, & reflexe c. a. exercite n. a. Non dicit quidem operans, saltem ordinarie, volo tantam intensionem, aut remissionem actus: nihilominus dum actualiter intendit, aut remittit actum, vult exercite ejus intensionem: quemadmodum & ille, qui elicit volitionem exercite eam vult, quamvis non dicat signate: *volo meam volitionem.*

Dices: Saltem intensio, & remissio actus non sunt cognitæ: ergo neque volitæ; quia nihil volitum, quin præcognitum. A. p. Nemo cognoscit, quot gradus intensionis habeat actus ille, quem elicit: ergo. R. D. a. non sunt cognitæ, præcise quoad numerum graduum intensionis, & remissionis c. a. quoad magnitudinem, vel parvitatem actus in communi n. a. Potest utique generaliter aliquis advertere, quod actus fiat cum magno, vel parvo fervore, & applicatione, licet nesciat, ad quos gradus determinate intendatur. Deinde ad agendum libere non est necessarium, ut ipse actus elicitus volitionis, neque ipse modus, & circumstantiæ ejusdem actus eliciti cognoscantur: sed sufficit, quod quis cognoscat ipsum objectum, in quod tendit actus volitionis, esse honeste, vel inhoneste appetibile. Sic ut Deum amem, etiam honeste & meritorie, non requiritur, ut actum amoris, quem eliciturus sum, præcognoscam, neque modos, & circumstantias se tenentes ex parte actus, sed sufficit prævie cognoscere, quod Deus honeste sit amabilis.

Porro bonitas, & malitia, quæ ex objecto in actum moralem refunditur, est primaria: illa vero, quæ tribuitur a circumstantiis qua talibus, est secundaria, & consequenter accidentalis, prout bene explicat Reiffenstuel in Theol. morali Tr. 2. d. 2. n. 10. & 11. quem vide.

Jam restat difficultas, quomdo objectum, & circumstantiæ debeant esse volitæ, ut in actum humanum possint refundere bonitatem, vel malitiam? hoc dubium ut solvatur

895 Assero 2. Ut objectum refundat bonitatem moralem in actum humanum, requiritur, ut ipsum objectum qua honestum sit directe voli-

volitum, & ipsa honestas objectiva tanquam ratio formalis moveat voluntatem ad actum. Herincx, Henno, Holzmann.

P. 1. Authoritate Philosophi, qui 2. Eth. 4. ad honestam, & moraliter bonam actionem requirit, ut *quis agat sciens, & eligens propter ipsa*, seu propter honestatem virtutis. Et l. 6. c. 12. dicit, aliquos agere justa, non tamen juste, quia non propter ipsa, id est, quia non propter honestatem, & bonitatem moralem justitiæ agunt.

P. 2. Qui facit actum justitiæ ex motivo alio, quam ipsius honestatis, non agit honeste, nec habet actum moraliter bonum: ergo ad hoc, ut habeat actum moraliter bonum, debet directe velle honestatem objecti, & propter ipsam elicere actum. A. p. Qui restituit debitum v. g. ex solo metu, non autem ex motivo justitiæ, & honestatis, is minime elicit actum justitiæ, aut moraliter bonum, ut fatentur omnes: ergo.

P. 3. Per se absurdum videtur, quod actus misericordiæ possit dari, nisi eliciatur propter motivum misericordiæ, & actus justitiæ, nisi ex motivo justitiæ fiat: ergo universaliter etiam absurdum videtur, quod possit dari actus formaliter honestus, & moraliter bonus, nisi eliciatur ex motivo honestatis. Ex his

Colliges 1. Etiam circumstantias non refundere bonitatem mo 396
ralem, & honestatem in actum, nisi & istæ circumstantiæ qua honestæ, seu propter suam honestatem intendantur, & amentur &c.

Colliges 2. Voluntatem non facere actum formaliter honestum tunc, dum exercet quidem aliquem actum ex objecto, vel circumstantiis bonum, nulla tamen habita ratione ipsius honestatis objectivæ. Ratio est: quia tunc honestas objectiva, utpote directe non quæsita, nec amata propter se, honestatem formalem in actum nequit refundere.

Nota tamen ex Henno, & Herincx, quod non semper *signate*, & *reflexe* debeat intendi honestas objecti, & circumstantiarum, v. g. dicendo: *Volo hunc actum exercere, volo dare eleemosinam, quia honestum est*; nam hoc est contra experientiam etiam doctorum, ac piorum hominum, qui tales reflexos actus non eliciunt, dum opera virtutum exercent. Sufficit ergo, quod honestas, & bonitas objecti saltem *implicite*, & *exercite* attingatur: quod fit, dum quis intendit dare eleemosinam, ut sublevet pauperis indigentiam: dum amat

Deum, quia id exposcit divina authoritas: dum facit aliqua opera, quia ita Deo placet, quia ita Deus, vel Superior jubet &c. Ratio est: quia eo ipso, quod dem eleemosinam propter sublevationem pauperis, ago propter specialem, & specificam honestatem misericordiæ; hujus enim honestas, & bonitas moralis in hoc consistit, & ad hoc ordinatur, ut sublevetur miseria pauperis. Præterea dum ago propter honestatem objectivam alicujus virtutis in specie, etiam implicite, & exercite simul ago propter honestatem in genere; siquidem genus, ceu superius, in omnibus suis inferioribus, ac speciebus includitur.

397 Objic. 1. Etsi largitio non appetatur propter honestatem, tamen est conformis rectæ rationi, & regulæ morum: ergo & moraliter bona. R. N. a. nam recta ratio, & regulæ morum dictant non solum, objectum honestum esse appetendum, sed etiam *honeste*, id est, sub ratione honestatis in illud esse tendendum; alias etiam ille, qui daret eleemosinam mere ex vana gloria, aut ex fine solum indifferenti, moraliter bene, & honeste ageret, quod nemo admittit.

Objic. 2. Ad actum formaliter honestum, & moraliter bonum non requiritur, ut directe intendatur ultimus finis: ergo neque requiritur, ut directe intendatur honestas. R. N. c. & parit. Honestas est objectum motivum proximum, & specificativum respectu actuum honestorum, & moraliter bonorum, finis vero ultimus est objectum tantum remotum respectu eorundem: hinc directe debet intendi honestas, & bonitas moralis talium actuum, non finis ultimus, sed sufficit, quod actus moraliter bonus non repugnet fini ultimo.

398 Assero 3. Ad actum moraliter malum non requiritur, ut malitia objecti sit directe volita, sed sufficit, advertere aliquo modo, actum esse ex objecto malum. Communis.

P. 1. ab experientia; Peccatores enim, saltem plerique, in objecto, & actu peccaminoso non amant, neque appetunt malitiam moralem, sed delectabilitatem, vel utilitatem. Sic luxuriosus non appetit voluptatem carnalem, quatenus prohibitam, & moraliter malam, sed quatenus delectabilem, & sensibus arridentem: Et fur non appetit rem alienam, ut sibi interdictam, & rem honeste non appetibilem, sed tanquam sibi utilem. Imo

P. 2.

P. 2. Malum qua tale non potest esse objectum volitionis directæ; nemo enim intendens in malum operatur, ut ait D. Dionysius, & superius est probatum: ergo malitia, & inhonestas objectiva non potest a peccatore esse directe volita.

P. 3. Peccatum non solum committitur, dum positive, & directe appetitur malitia moralis, sed etiam dum ea non vitatur: atqui sufficienter non vitatur, dum quis exercet actum ex objecto, vel circumstantiis moraliter malum, & prohibitum, etsi malitiam ejus moralem positive, & directe non appetat: ergo. M. constat; quia non solum amare, & appetere malitiam moralem, sed & eam non vitare, est rectæ rationi, & regulis morum maxime dissonum. m. iterum liquet; nam ad non evitationem mali nil amplius requiritur, quam facere illud, quod est malum, etsi illud qua malum non velis, sed alio ex capite, nempe quia sensibus gratum, quia utile &c.

P. 4. Etiam interpretative, vel indirecte velle actum ex objecto, aut circumstantiis moraliter malum, & prohibitum, est rectæ rationi oppositum, & consequenter peccaminosum: ergo ad peccatum, & malum morale non requiritur, ut directe intendatur malum morale, & objectum inhonestum. Ex his

Colliges 1mo. Illum peccare, qui intendit voluptatem carnalem tantum propter delectabilitatem suam &c. dummodo cognoscat, hanc voluptatem sibi prohibitam, & ex objecto malam esse. Ratio est: quia saltem indirecte, & interpretative vult ipsam malitiam moralem, annexam huic voluptati; vult enim voluptatem carnalem: ergo etiam saltem interpretative, & indirecte vult malitiam moralem, quam advertit esse conjunctam cum tali voluptate. 399

Colliges 2do. Ex hoc facile conjici, qua ratione in uno actu possit dari multiplex malitia formalis; quia potest voluntas velle aliquod objectum, cui multiplex malitia, & inhonestas est annexa, ut contingit in adulterio.

Objic. Ut ponatur actus moraliter bonus, debet bonitas moralis, seu honestas directe intendi: ergo &, ut fiat actus moraliter malus, & inhonestus, debet malitia moralis directe intendi. R. N. c. & parit. Honestas, tanquam bonum, est per se appetibilis, adeoque actu debet appeti, dum elicitur actus honestus: contra vero malitia moralis, qua talis, non est appetibilis: ergo ad hoc, ut

ut committatur actus malus, non requiritur, ut appetatur malitia qua talis. *2do.* Malitia moralis non solum non est appetenda, sed etiam vitanda: ergo jam satis peccatur, dum hæc malitia non vitatur, neque requiritur, ut ea directe appetatur. *3tio.* Plus requiritur ad actum moraliter bonum, quam malum; nam bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu: atqui defectus sufficiens est, si malitia moralis saltem indirecte, & interpretative intenditur: ergo.

§. II.

Brevis explicatio circumstantiarum moralium, præsertim finis extrinseci.

400 Circumstantiæ, quæ actum moralem vestire possunt, vulgari illo versu decantantur: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

Circumstantia *quis* non indicat ipsam Personam operantem, sed potius ejus conditiones, & qualitates, v. g. quod talis Persona sit publica, vel privata, consanguinea, vel affinis, conjugata, vel soluta, Religiosa, vel sæcularis; ex his enim, & similibus aliis qualitatibus specialis malitia, vel bonitas actui humano accedere potest.

Circumstantia *quid* non denotat objectum substantiale, & finem intrinsecum, quem attingit actus, v. g. sublevationem pauperis in actu misericordiæ, rem alienam in furto, sed potius objecti hujus quantitatem, qualitatem, ac effectum secundarium: ut si quis magnam eleemosynam largiatur pauperi, si percutiat quis non qualemcunque Personam, sed qualificatam v. g. Superiorem, Parentes, Clericum &c. si ex homicidio sequatur paupertas filiorum relictorum, quæ est effectus secundarius homicidii.

Ubi significat locum: sic locus sacer addit specialem malitiam homicidio, fornicationi, & emissioni voluntariæ, & peccaminosæ seminis &c. Item Sepultura non baptizati, aut excommunicati non tolerati in loco sacro, furtum ex loco sacro rei quodammodo ad eum locum pertinentis.

Quibus auxiliis indicat instrumenta, & media, quibus quis utitur ad exequendum actum moralem: ut si ope dæmonis utaris ad fornicandum &c. si rebus sacris abutaris ad magiam, & superstitionem.

Quo-

Quomodo explicat modum, quo quis exequitur actionem moralem, an intense, vel remisse, an ex vehementi passione, vel præmeditata malitia peccet, an dolo, & fraude puellam ad malum inducat &c.

Circumstantia *quando* significat tempus, quo actio peragitur, an nempe fuerit tempore debito, vel indebito &c.

Tandem circumstantia *cur* indicat finem, non intrinsecum, qui & *objectum actus*, ac *finis operis* dicitur, sed extrinsecum, qui est *finis ipsius operantis*, & nil aliud est, quam quædam intentio, & motivum, quod operans pro libitu suo actioni præfigit, quamvis hæc ad talem finem ex sua natura non ordinetur: ut si quis ex vana gloria det eleemosynam: oret, ut videatur, & laudetur ab aliis: si quis furetur, ut pecunia furto subducta possit puellam seducere &c.; hi enim fines omnes sunt accidentales, & extrinseci præfatis operationibus, utpote quæ ex natura sua non ad vanam gloriam, nec ad seductionem puellæ ordinantur, ut palam est. De hoc fine extrinseco plures sunt controversiæ, quarum leviores hic breviter adducam, duas autem principaliores latius examinabo paragraphis sequentibus. Igitur

Quæres: An, & quomodo actus desumat bonitatem, aut mali- 491
tiam a fine extrinseco?

R. 1. Si actus ex objecto indifferens refertur in finem bonum, erit & ipse actus bonus: vicissim, si refertur in finem malum, malus quoque actus erit. Patet exemplo: Si studeas ob vanam laudem, & existimationem, habebis actum vanæ gloriæ: si studeas, ut satisfacias superiorum voluntati, actus erit obedientiæ: si id facias propter salutem animarum procurandam, erit opus charitatis. Si tamen actus ex objecto alias indifferens, sit tantum mere imperatus ex fine bono, vel malo, tunc conservabit suam intrinsecam indifferentiam ex objecto, & habebit tantum bonitatem, vel malitiam extrinsecam, & accidentalem ex circumstantia finis extrinseci: sicut & actus ex objecto bonus, si imperatur ex alio fine bono extrinseco, v. g. si actus misericordiæ imperatur ex fine satisfaciendi pro peccatis, conservat suam bonitatem intrinsecam misericordiæ ex objecto, cui tantum extrinsece accedit bonitas finis extrinseci, nempe pœnitentiæ, & satisfactionis pro peccatis. Quare

R. 2. Actus ex objecto bonus potest desumere novam specie bonitatem a fine extrinseco. Ratio huius est: quia ab aliis circumstantiis potest nova specie bonitas tribui actui humano: ergo etiam a fine extrinseco, si per eum intendatur nova specie bonitas.

Confirm. Ideo actus humanus desumit bonitatem specificam ex objecto, quia in illud fertur: atqui etiam fertur in finem extrinsecum, cum propter illum operetur: ergo actus humanus etiam desumere potest bonitatem specificam ex fine extrinseco. Sic, qui jejunat ideo, ut possit dare eleemosymam, ultra actum temperantiæ exercet actum misericordiæ: & qui actus diversarum virtutum elicit, ut placeat Deo summo Bono, ultra bonitatem specificam illarum virtutum, habet bonitatem quoque Charitatis Dei. Ex hoc

402 Inferes, quod eadem actio humana possit habere duplicem speciem bonitatis, videlicet unam ex objecto, & alteram ex fine: ut fit, dum eleemosyna datur ad satisfaciendum pro peccatis. Hæc resolutio est contra Vasquez, putantem, quod talis actus habeat solam bonitatem finis, non autem objecti. Contra quem

P. 1*mo*. Talis actus potest pertinere ad duas specie virtutes, ut in exemplo posito ad virtutem misericordiæ, & pœnitentiæ: ergo etiam potest habere duas specie distinctas bonitates morales; quælibet enim virtus habet specialem bonitatem moralem, essentialiter distinctam a bonitate alterius virtutis.

P. 2*do*. Quandocunque idem actus habet plures specie distinctas conformitates ad rectam rationem, ac regulas morum, habet etiam plures distinctas bonitates morales: atqui actus humanus, qui ex objecto, & fine est bonus, potest habere plures specie distinctas conformitates ad rectam rationem, & regulas morum: ergo. M. constat; quia bonitas moralis consistit in illis conformitatibus: ergo si conformitates distinguuntur specie, etiam bonitates ita distingui petunt. m. iterum est liquida; siquidem ex objecto potest actus humanus conformari regulæ morum, qua dirigitur virtus misericordiæ, & ex fine operantis potest conformari regulæ morum, quam tenet pœnitentia: quæ sunt duæ specie morali distinctæ regulæ. Adeoque conformitates, quæ respondent his regulis, specie, & essentialiter distingui debent.

P. 3. Bonitas finis non destruit bonitatem objecti: ergo talis actus non solum habet bonitatem finis, sed & objecti. A. p. Tunc

solum

ſolum una forma deſtruit alteram in eodem ſubjecto, quando ei opponitur: atqui bonitas finis non opponitur bonitati: ergo.

Dices: Bonitas objecti, ut refundatur in actum moralem, debet appeti propter ſe: atqui dum quis appetit objectum ex fine extrinſeco tunc illius bonitas non appetitur propter ſe, ſed propter finem extrinſecum; nam ſi do eleemoſynam propter ſatisfactionem pro peccatis, ſublevationem pauperum non appeto propter ſe, ſed propter ſatisfactionem pro peccatis: ergo. R. N. m. Non implicat, quod bonitas intrinſeca objecti appetatur propter ſe, & ſimul extrinſece ordinetur ulterius ad finem aliquem extrinſecum, atque etiam propter hunc appetatur.

§. III.

An per finem bonum tollatur, aut ſaltem minuatur malitia actus ex objecto mali?

Quæritur: An furtum, quod committitur ex intentione dandi eleemoſynam: vel mendacium, quod fit ad ſalvandam vitam alterius, ſint licita, & honeſta ex eo, quia fiunt ob bonum, & honeſtum finem miſericordiæ, & charitatis &c.? Solet iſta quæſtio taliter proponi: an electio mali medii ob finem honeſtum honeſtetur, & fiat bona a tali fine? H. N.

Aſſero 1. Finis honeſtus non tollit integre malitiam actus, 403
alioquin ex objecto mali. Ita communis contra paucos, volentes, mendacium eſſe licitum ob gravem cauſam.

P. 1. Juxta commune, & tritum: *non ſunt facienda mala, ut eveniant bona:* ergo bonitas finis non tollit integre malitiam actus ex objecto mali; alias enim non eſſet ratio, cur non liceret facere malum propter finem bonum inde reſultantem. Ant. ex ipſo Apoſtolo ad Rom. 3. ỽ. 8. eſt deſumptum, ubi aſſerit, juſte damnari eos, qui dicunt: *faciamus mala, ut veniant bona.*

P. 2. Eccli. 34. dicitur: *Immolatio ex iniquo, oblatio eſt maculata*: ergo etiam eleemoſyna data ex iniquo, ſeu ex alieno per furtum ſubducto, eſt eleemoſyna maculata, & moraliter mala: ergo finis dandi eleemoſynam non tollit integre malitiam furti ideo facti.

P. 3. Si talis actus ex objecto malus, & propter bonum finem factus, foret licitus, tunc suam licititatem haberet vel ex objecto proprio, vel ex intentione finis boni? sed ex nullo capite licititatem aliquam desumere potest; non enim ex objecto intrinseco, quod supponitur esse malum: non ex intentione finis boni; hæc enim ipsa in nostro casu est mala, & illicita; siquidem illicitum est, ac contra rectam rationem, intendere, finem utut bonum assequi per media mala, & honestati contraria: atqui in nostro casu voluntas intenderet finem bonum assequi per media mala, & honestati contraria; intenderet enim sublevationem pauperis, ceu finem assequi per furtum tanquam medium &c.

404 Objic. Juxta Ascetas, & Patres bonum opus intentio facit: ergo quia in nostro casu bona habetur intentio ob bonum finem intentum, ideo etiam opus, ex tali intentione factum, erit bonum. R. N. suppos. conf. quod in nostro casu habeatur bona intentio; ad hanc enim requiritur non solum, ut bonus finis, sed etiam ut *bene* intendatur: atqui non intenditur bene, dum intenditur cum respectu ad media mala, & malos actus. Deinde est contra rationem bonæ, & virtuosæ intentionis, quod impellat ad actum malum, & honestati oppositum: item quod sit causa malæ electionis: sed intentio finis in nostro casu impellit ad actum malum, v. g. furtum, vel mendacium, proinde etiam est causa electionis malæ, qua eligitur furtum, vel mendacium: ergo talis intentio non potest esse bona.

Dices: Ergo intentio boni finis potest esse mala? R. Vel maxime potest esse mala, non quidem ab ipso fine præcise sumpto, sed ex respectu finis ad mala media.

Instabis: Ponamus, quod quis ab initio intendat honestum finem sine respectu ad mala media, postea tamen eligat malum medium: ergo saltem tunc erit bona intentio, & mala electio. R. D. c. erit bona intentio, & mala electio, ita tamen, ut bona intentio non sit causa malæ electionis c. c. ut sit causa n. c. Si postea medium malum eligitur, tunc simul fit nova intentio a priori distincta; prior enim, ceu bona, & honesta in electionem mali medii nequit influere. Reliquas objectiones solutas vide in Theol. morali. P. Reiffenstuel T. 2. D. 2. n. 16. & seqq.

405 Assero 2. Prioribus non obstantibus, videtur aliqualiter minui malitia actus, ubi ad finem bonum dirigitur. Communis contra non nul-

nullos. P. 1. ex D. Auguſtino, qui L. *contra mendacium* c. 8. ait: *Pejor eſt, qui concupiſcendo, quam qui miſerando furatur.* Et infra: *In ſuo genere aliis ejusdem generis peccatis leviora fiunt, quæ bono animo videntur admitti.*

P. 2. Ex communi ſenſu Doctorum, & indoctorum, qui judicant eſſe minus reum, minusque peccare eum, qui furatur, ut ſuccurrat pauperibus, quam illum, qui ideo ſurripit aliquid, ut inde ditetur &c.

P. 3. Ibi eſt minus peccatum, ubi eſt minor affectus ad malum: atqui ubi actus malus dirigitur in finem bonum, ibi eſt minor affectus ad malum, ſaltem qua tale: ergo. m. p. quia ille, qui dirigit actum malum in finem bonum, talem actum non appetit ſub ratione mali, & quatenus malum, ſed quatenus ſervit ad finem honeſtum aſſequendum, conſequenter ſub ratione quodam ſaltem apparente honeſti.

§. IV.

An Actus ex Objecto bonus relatus in finem malum ſit ſimpliciter, & ex toto malus?

Quæſtio eſt: An actus alioquin virtuoſus, & habens objectum bonum, ſit ex toto malus, ſi ex malo fine fiat: v. g. an largitio eleemoſynæ. quæ utique objectum bonum habet, ſit totaliter mala, ſi fiat ex fine, & intentione vanæ gloriæ, apud homines conſequendæ? Hæc controverſia etiam taliter proponi ſolet: An idem actus humanus poſſit ſimul & ſemel eſſe moraliter bonus, & malus; bonus quidem ex objecto, malus vero ob finem malum, vel aliam circumſtantiam extrinſecam malam? Pro quo

Nota 1. Hic bene eſſe diſtinguendum inter actum intentionis, 406
quo actus ex objecto bonus intenditur ob finem malum, & inter actum a tali intentione imperatum. Ponamus, Petrus habet hunc actum: *Ego volo confiteri, ut gloriam conſequar apud Confeſſarium.* Hic eſt actus intentionis: ipſa vero confeſſio eſt actus imperatus a priore mala intentione vanæ gloriæ.

Nota 2. Etiam actus internos, & elicitos voluntatis poſſe aliquoties ab aliis actibus voluntatis pariter elicitis imperari. Sic contritio eſt actus elicitus voluntatis, & tamen poteſt imperari ab alio actu

voluntatis, v. g. a timore mortis, & pœnæ æternæ: ut si aliquis gravis peccator in periculo mortis constitutus graviter timere incipiat infernum, & ex hoc timore voluntas sibi ipsi imperet, ut se serio applicet ad contritionem eliciendam ex motivo amoris Dei super omnia: ubi actus contritionis, licet sit elicitus a voluntate, imperatur ab alio actu ejusdem voluntatis.

Nota 3. Non esse dubium, quin ipsa intentio, quæ intendit actum bonum ob finem malum, sit ex integro mala. Hinc iste actus intentionis: *volo confiteri ob vanam gloriam*, est totaliter malus. Ratio hujus est: quia *bonum ex integra causa & malum ex quolibet defectu:* vi cujus axiomatis communiter recepti, & ex D. Dionysio desumpti requiritur, ut actus habeat integritatem perfectam omnium, quæ tali actui intrinsece debentur vi regulæ morum: sed vi regulæ morum actui intentionis intrinsece debetur, ut non solum feratur in bonum honestum, sed ut etiam honeste illud appetat, & non ordinet ad malum finem; nam regula morum maxime prohibet, virtutem, v. g. pœnitentiam, orationem &c. ordinare ad vitium, & finem pravum: quod ipsum amplius patet ex dictis §. præc.

Quare quæstio unice remanet de actu, per talem intentionem malam imperato, in casu, quo actus orationis, confessionis, attritionis, vel alterius virtutis imperatur ab intentione mala, ita tamen, ut actus imperatus adhuc ex proprio motivo virtuoso eliciatur, ut si ex vana gloria imperetur quidem confessio, & consequenter etiam attritio, sine qua confessio valida haberi nequit, attritio tamen non ex motivo vanæ gloriæ, sed ob Deum, ut justum peccati vindicem, immediate eliciatur. Quæritur igitur, an talis attritio sit ex integro mala, eoquod ab intentione mala vanæ gloriæ fuerit imperata? Et sic est de aliis. H. N.

407 Assero. Idem actus imperatus voluntatis sive internus, sive externus, potest simul esse bonus formaliter ex objecto, & simul *venialiter* malus ob intentionem mali finis, a qua imperatur. Ita ex SS. Herincx. p. 3. D. 3. q. 3. Bosco *Theolog. Sacrament.* p. 3. D. 7. sect. 7. n. 97. Idem quoque tenent alii, Cajetanus, Lugo, Viva &c. contra plerosque SS. & TTas.

P. Actus attritionis, vel contritionis, qui requiritur ad confessionem validam, est necessario honestus, & moraliter bonus: atqui iste actus potest sæpe a fine extrinseco malo actus imperantis venia-

liter

liter vitiari: ergo actus honestus, & moraliter bonus potest ob finem extrinsecum actus imperantis simul esse inhonestus, & venialiter vitiosus. M. inferius ostendetur in refutatione Responsionum Adversariorum. m. p. potest aliquis sibi imperare confessionem, peragendam ob vanam gloriam consequendam, vel alium finem venialiter malum: in hoc casu confessio adhuc esset valida, proinde, & attritio debet esse actus moraliter bonus, & tamen foret simul venialiter mala ob finem malum extrinsecum actus imperantis confessionem, consequenter & attritionem, tanquam medium ad confessionem.

Confirm. Actus attritionis, etsi sit ab intentione vanæ gloriæ imperatus, tamen habet totam integritatem eorum, quæ ei debentur ex objecto: ergo etiam habet bonitatem ex objecto: nam bonitas ista resultat ex integritate illa, quam habet pro suo proximo fundamento. A. p. Actus attritionis enim tendit in objectum bonum, scilicet in peccata, quatenus sunt detestabilia &c. & simul tendit in illud bene, ac ex motivo, & fine bono, scilicet ob spem veniæ, ac quia per ea Deus offenditur, tanquam justus Vindex, vel misericors Remuneratur: ergo habet totam integritatem, quæ actui debetur ex objecto.

Rdebis. 1mo. cum Sylvestro apud Bosco allegatum n. 98. & cum 408 Hurtado apud Lugo *de Fide* D. 10 sect. 5. n. 94. talem confessionem, quæ fit ex intentione vanæ gloriæ capiendæ, esse omnino invalidam, sacrilegam, & graviter peccaminosam. *Contra est:* Hæc responsio est contra communem sensum tam indoctorum, quam doctorum. Certe nullus Confessarius ex vana gloria capessenda confessum obligat, aut cogit ad repetendam confessionem sic factam, dummodo ea aliunde sit integra, & adsit dolor debitus. Ast

Replicabis: Ipse dolor ad Sacamentum requisitus nequit consistere cum intentione vanæ gloriæ: nam dolor hic debet esse supernaturalis, ac moraliter bonus: atqui actus moraliter bonus nequit conjungi cum aliqua circumstantia, etiam extrinseca, moraliter mala: cum bonum sit ex integra causa, malum ex quolibet defectu. Sed iterum

Contra est: Ex hoc sequeretur, quod omnes confessiones essent invalidæ, quæ fierent cum circumstantia aliqua venialiter mala, vel in quibus committeretur peccatum veniale: proinde confessio illa esset invalida, quæ fieret tempore indebito, ut, dum quis confiteretur ea hora, qua Prælatus sub veniali prohibuit fieri confessionem:

 vel,

vel, dum quis confitetur ex vano respectu impulsus, aut teporem, & aliam quamcunque levem culpam confitendo admittit &c. In his enim, & aliis similibus casibus plurimis confessio, & attritio conjungerentur cum culpa veniali: atqui nullus audet tales confessiones invalidas, & sacrilegas pronunciare: ergo. Majorem audacter concedit Hurtadus apud Lugonem laudatum. Verum ex hac ipsa concessione merito infert Cardinalis Lugo non parum argui falsam eam doctrinam, quæ tam duras, & difficiles sequelas admittit contra communem praxin, & sensum fidelium.

409 R. dent alii 2do. In casu probationis solam confessionem externam imperari ex malo fine vanæ gloriæ, quia ea sola conducit ad comparandam existimationem apud Confessarium: attritio autem tanquam actus internus non servit ad acquirendam gloriam, aut æstimationem apud alterum. Quare attritio solum conducit ad sacramentum valide recipiendum, & ex hoc fine bono præcise imperatur.

Contra hanc responsionem sic insto cum Lugo, & Bosco: Quamvis attritio immediate, & directe non conducat ad vanam gloriam comparandam apud Confessarium, servit tamen ad hunc malum finem mediate &c. ergo: A. p. Attritio saltem servit, & facit, ut confessio externa sit intendibilis, & eligibilis propter vanam gloriam: ergo saltem mediate servit ad hunc finem malum. A. p. Si enim confessio externa esset debitis requisitis, v. g. dolore, proposito destituta, & sic sacrilega, tunc ego eam non eligerem propter vanam gloriam; nam non vellem cum tanto incommodo, & tam gravi peccato sacrilegii bonam existimationem, & gloriolam istam consequi: ergo &c.

Paucis: Qui eligit propter vanam gloriam confessionem non sacrilegam, mediate saltem propter hunc finem malum etiam eligit omnia illa, quæ confessionem reddunt non sacrilegam: atqui attritio etiam est inter illa, quæ reddunt confessionem non sacrilegam: ergo, qui eligit confessionem non sacrilegam propter vanam gloriam, mediate etiam eligit attritionem propter vanam gloriam: adeoque etiam attritio inficitur ex malo fine vanæ gloriæ.

410 Respond. 3. Henno: Actum attritionis talem, imperatum ex vana gloria, esse quidem supernaturalem, & disponere ad recipiendam gratiam sanctificantem, non autem esse moraliter bonam, sed

esse

esse formaliter malam. Rationem dat: quia ad hoc, ut aliquis actus sit supernaturalis, & dispositio ad gratiam, sufficit, quod is sit honestus ex objecto, seu circa objectum honestum versetur, etsi formaliter non sit honestus, imo formaliter, & totaliter inhonestus ob aliquam circumstantiam malam adjunctam.

Contra est: Per se videtur imperceptibile, & absurdum, quod ille actus, qui est ex integro formaliter peccaminosus, possit esse supernaturalis, & procedere ex gratia divina, ac disponere ad gratiam sanctificantem: ergo & ista responsio videtur imperceptibilis, & absurda. *Contra* est 2. quando aliquis actus requiritur tanquam dispositio ad gratiam, non requiritur tanquam dispositio physica, sed moralis, consequenter tanquam impetratoria, & meritoria de congruo: ergo debet habere bonitatem non solum physicam, & objectivam, sed & moralem, ac formalem; quod enim formaliter bonum non est, non est meritorium.

Objic. 1. *Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu*: ergo attritio, si fiat ex fine vanæ gloriæ, non potest esse bona, sed est totaliter mala. R. D. a. perfecte bonum non solum ex objecto, sed & ex omnibus circumstantiis, est ex integra causa c. a. bonum tantum ex objecto *subd.* est ex integra causa eorum, quæ spectant ad objectum c. a. quæ sunt extra objectum n. a. Sufficit, quod talis actus sit integer ex objecto, quod omnino debet esse rationi consonum, & nullum habere defectum. 411

Objic. 2. Attritio debet esse supernaturalis, & procedere ex gratia: ergo non potest esse imperata ab actu malo; implicat enim, quod gratia concurrat ad actum malum, qualis est ille, qui imperatur ab actu malo. R. N. c. Rationem D. implicat, ut gratia divina concurrat ad actum imperatum, quatenus est malus, & quatenus est imperatus *conc.* ad actum malum, non qua malum, sed quatenus est bonus ex objecto *neg.* Eo ipso, quod actus attritionis est honestus ex objecto, est dignus, ut Deus per gratiam suam ad illum concurrat, esto etiam, quod sit simul vitiatus per actum imperantem ex vana gloria.

Objic. 3. Virtus juxta D. Augustinum l. 2. *de libero arbitrio.* est *bona qualitas mentis, qua nemo male utitur*: atqui in nostra sententia virtute pœnitentiæ aliquis male uteretur ad vanam gloriam comparandam: ergo. R. D. M. est bona qualitas mentis, qua nemo male uti-

tur, id est, nemo utitur virtute, efficiendo actum ex objecto, & fine intrinseco malum c. M. id est, nemo utitur virtute, efficiendo actum malum ex fine extrinseco, aut alia circumstantia extrinseca n. M.

Objic. 4. Non potest idem actus esse ex objecto malus, & ex fine extrinseco bonus: ut patet in mendacio, quod fit ad conservandam vitam innocentis: ergo neque potest idem actus simul esse bonus ex objecto, & malus ex fine.

R. N. c. & parit. Nam mendacium ex objecto per se est malum, & ex intentione finis boni, per quam imperatur, non potest fieri bona; quia & ista intentio est mala, quæ proinde non potest denominare mendacium bonum, prout patet ex §. præc. Ast attritio, imperata ex vana gloria, saltem adhuc retinet objectum bonum, in quod tendit, & sic ex objecto potest esse bona.

Dices: Ideo actus imperans mendacium ob vitam innocentis conservandam est malus, quia causat malum, scilicet mendacium: ergo etiam ideo actus attritionis est malus, quia causatur, & imperatur ab intentione mala vanæ gloriæ. R. N. c. & parit. Nam causare malum, simpliciter est malum: hinc non solum prohibetur ipsum malum morale, seu peccatum, sed & causa talis mali: & sic non solum peccat ille, qui actu furatur, mentitur &c. sed etiam ille, qui suadendo, aut alia ratione talem hominem inducit ad furandum, & mentiendum. Contra vero non statim est malum illud, quod habet causam malam, & ex peccato sequitur; etenim si homo iniquus ex mala intentione Petrum inducat ad dandam eleemosynam, faciendam orationem, inde oratio, & eleemosyna non sunt malæ, sed manent, & sunt bonæ. Sic peccata commissa sæpe sunt causæ impellentes ad pœnitentiam, & humiliationem tanquam actus optimos. Insuper, sicut detestanda omnis causa, ad peccatum, & malum inducens, ita & optandum est, ut ex omni malo bonum oriatur, ut taliter aliquo modo compensetur malitia causæ.

Instabis: In nostro casu attritio esset causa mali, & peccati; esset enim medium, & consequenter causa ad peragendam confessionem venialiter malam, & obtinendam vanam gloriam. R. D. a. Attritio in se spectata, & ex tendentia sua intrinseca, seu ex objecto esset causa mali n. a. attritio, ut imperata a mala intentione c. a. Attritio talis ex se, & suo objecto, ac modo tendendi in illud est totaliter bona; non enim intendit aliquod malum, nec habet motivum

malum,

malum, ut jam superius est dictum. In quantum autem actus attritionis substat intentioni vanæ gloriæ, & ab ea imperatur, in tantum est medium ad finem malum. Unde & tota malitia, quæ inest attritioni, in eam derivatur ab ista intentione, non autem ab objecto, ex quo manet bona.

Objic. 5. Math. 6. dicitur: *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est;* ergo actio ex objecto bona, imperata ex vana gloria, non est meritoria, consequenter nec moraliter bona. R. D. c. actio ex objecto bona, & imperata ex vana gloria non est meritoria, quando ea præcise, & unice ex vana gloria tanquam motivo ponitur c. c. quando ea etiam, & quidem immediate ponitur ob honestatem objectivam talis actionis, quæ etiam positive intenditur n. c. Sunt aliqui, qui per suas actiones nil aliud quærunt, quam vanam gloriam, laudem, & æstimationem humanam, & propter hanc unice operantur: & hi ex integro male agunt, eoquod nullam honestatem pro motivo operationis suæ habent: proinde quoque cum Hypocritis jam *receperunt mercedem suam.* Sunt autem & alii, qui quidem principaliter intendunt vanam gloriam, sed simul etiam intendunt honestatem objectivam ipsius actus imperati ex vana gloria, ut contingit in attritione, quæ etiam elicitur ob motivum quoddam honestum, ob Deum nempe offensum: & hi, licet ob quæsitam vanam existimationem multum de merito suo perdant, illud tamen totum non amittunt.

Objic. 6. Actus meritorius, & supernaturalis non potest imperari ab actu malo: sed attritio est actus meritorius, & supernaturalis, & intentio vanæ gloriæ est actus malus: ergo actus attritionis non potest imperari ab intentione vanæ gloriæ. R. 1. proprie loquendo nullus actus voluntatis vere imperat, sed voluntas mediante actu intentionis imperat sibi ipsi media debita assumenda in ordine ad finem. R. 2. N. M. Si enim Superior malus etiam ex malo fine v. g. vanæ gloriæ, & authoritatis suæ inaniter ostentandæ gratia potest imperare actus supernaturales v. g. confessionis, proinde etiam attritionis: cur non etiam id possit intentio mala? Deinde dato, quod intentio sit aliquo modo causa actus imperati, est tamen causa ejus solum inadæquata: atqui causa inadæquata potest esse imperfectior suo effectu, ut ex Philosophia constat: ergo etiam intentio

mala,

licet fit imperfectior actu fupernaturali, tamen in hunc tanquam caufa inadæquata influere poteft.

412 Petes: An etiam tunc actus maneat ex objecto formaliter bonus, quando imperatur ex intentione finis mortaliter peccaminofi confequendi, v. g. dum quis intendit, & imperat fibi eleemofynam dandam virgini, ut eam fic facilius poffit inducere ad actum turpem? R. negative: & ob hanc caufam in conclufione folum dixi, quod idem actus poffit effe fimul bonus ex objecto, & NB. *venialiter* malus ex fine extrinfeco.

Ratio hujus eft 1*mo.* Quia recta ratio dictat, eum actum effe penitus malum, etfi objectum bonum habeat, qui affumitur tanquam medium ad confequendum finem mortaliter malum; hic enim tantæ eft turpitudinis, ut omnem bonitatem ex objecto transfundendam impediat: Contra vero non eft ita contra rectam rationem, quod actus aliquis ex fe bonus quandoque dirigatur in finem leviter malum, prout patet in actu attritionis, de quo *in probatione conclufionis.*

2*do.* Si finis venialiter malus, vel quævis circumftantia leviter mala ftatim ex integro vitiaret actus noftros bonos, & eos totaliter malos redderet, tunc miferrima noftra effet conditio, & vix ullum actum bonum elicere poffemus, eo quod ob fragilitatem noftram nimiam peccata venialia, faltem femideliberata, fefe fere ubique immifceant, præfertim apud illos, qui in via virtutis necdum funt perfecti: quæ fequelæ effent nimis duræ, divinæ bonitati, & fragilitati noftræ non adeo confonæ. Verum talia incommoda non fequuntur, etfi finis mortaliter malus vitiet ex integro actum imperatum; nam peccata mortalia, & tales intentiones graviter malæ longe facilius evitantur, quam peccata venialia.

Nihilominus advertas, fi finis malus fefe folum concomitanter habeat ad actum bonum, tunc eum non vitiare ex integro actum bonum, ut dictum fupra. Impedit tamen meritum ejus: quia peccatum mortale pro eo inftanti, quo actu committitur, videtur in voluntate extinguere omne meritum etiam de congruo, ut advertit Viva. Ex dictis

Deduces, quod actus ex objecto poffit effe moraliter bonus,
413 & meritorius de condigno, etfi fimul venialiter vitietur per aliquam circumftantiam extrinfecam, v. g. loci, temporis &c. de his enim circumftantiis eadem eft ratio, ac de fine extrinfeco.

Arti-

Articulus III.

An actus humanus externus superaddat actui interno distinctam bonitatem, vel malitiam in ordine ad essentiale prœmium, vel pœnam?

Nota 1. Per actus externos hic intelligi omnes eos, qui a volun- 413
tate imperantur: cujusmodi sunt actus intellectus, appetitus sensitivi, sensuum, & membrorum externorum, quatenus imperio voluntatis subjiciuntur; sub ea enim ratione possunt habere aliquam moralitatem, & honesti, vel inhonesti vocari; siquidem non sola volitio interna dandi eleemosynam est moraliter bona, verum & ipse actus externus, quo datur eleemosyna, bonitatem aliquam in genere moris sibi vendicat: iterum non solum desiderium furandi est malum, sed & ipsa externa actio furti moralem malitiam habet, ac lege est prohibita.

Nota 2. Quæstionem esse, an actus voluntatis externi & mere imperati possideant specialem sibi ipsis propriam bonitatem, vel malitiam formalem, hancque superaddant bonitati, vel malitiæ actuum internorum? H. N.

Assero: Actus externi libere a voluntate imperati propriam, 414
& formalem bonitatem superaddunt bonitati, vel malitiæ actuum internorum. SS. communiter contra Herincx.

P. 1. Authoritate Scoti, qui nostram sententiam ex professo defendit quodlib. 18. art. 3. Idem etiam videtur asserere 2. d. 42. q. 4. n. 2. ℣. *secundo dico.* Ubi admittit, quod actus externi possint esse recti, vel non recti rectitudine, vel irrectitudine participata a voluntate. Quando autem Scotus ait, bonitatem & malitiam in actibus externis, & imperatis esse solum *materialiter*, tunc to *materialiter* idem sonat, ac *dependenter*, & *secundario*; quamvis enim actus externus habeat propriam, & formalem malitiam, ea tamen est solum participata ab actu interno, & ab hoc dependens, adeoque secundaria.

P. 2. Authoritate D. Augustini, qui l. 13. *de SS. Trinit.* c. 5. ait. *Mala voluntate sola quilibet miser efficitur, sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur:* ergo juxta S. Augustinum actus malus exter-

externus superaddit actui interno aliquam malitiam novam, seu non præhabitam, ratione cujus implens pravum desiderium fit miserior, quam ille, qui non potest implere.

P. 3. Actus externus habet aliam, & propriam convenientiam, vel non convenientiam ad rectam rationem, & regulam morum, quam actus internus: ergo habet & aliam, ac propriam bonitatem, vel malitiam formalem, quæ in illa convenientia &c. consistit. A. p. Actus externus eleemosynæ actu sublevat miseriam indigentis, desiderium internum dandi eleemosynam non sublevat actu miseriam proximi: item furtum actuale externum actu lædit jus proximi, nudum desiderium furandi non lædit illud: atqui ille actus, qui actu sublevat proximi miseriam &c. videtur aliam convenientiam habere ad regulam morum, quam ille, qui non sublevat actu: ergo.

Nec Respondeas, convenientiam illam esse mere objectivam, non formalem; nam quod actu, & formaliter sublevat proximum, actu, & formaliter convenit cum recta ratione.

Confirm. Actus internus, & externus voluntatis in decalogo prohibentur diversis, & distinctis præceptis: ergo etiam habent distinctam malitiam formalem; si enim unam, eandemque haberent, ad quid ista diversa præcepta in eodem decalogo? A. p. Sic enim non solum prohibetur actus internus, & desiderium adulterii præcepto nono: *Non concupisces uxorem proximi tui*, sed & prohibetur actuale adulterium externum præcepto sexto: *Non mœchaberis.* Item præcepto decimo prohibetur desiderium internum rei alienæ his verbis: *Non concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia, quæ illius sunt.* & præcepto septimo: *Non furtum facies*, prohibetur ipse actus externus furti: ergo. Accedit Glossa, quæ in cap. 20. *Exod.* ℣. *Non mœchaberis.* dicit: *Qui ergo opus adjicit voluntati, iniquitatem addit iniquitati.*

P. 4. Ideo actus internus est formaliter bonus, vel malus, quia libere, & advertenter ad regulam morum elicitur: ergo etiam actus externus poterit esse formaliter bonus, aut malus, quia libere, & advertenter ad regulam morum imperatur. Neque obest, quod libertas actui externo solum competat per denominationem extrinsecam; nam & actui interno haud aliter, quam per denominationem extrinsecam convenit: sola est distinctio, quod actui interno libertas,

tas, & moralitas primario, & immediate, actui externo mediate, & secundario, ac participative tribuatur.

P. 5. Actus externus homicidii injusti debet in confessione exprimi. quare homicida non satisfacit, dicendo: *volui occidere hominem*, sed debet dicere: *occidi*. Id, quod colligitur ex praxi, & sensu fidelium, atque ex Decreto Alexandri VII. in quo anno 1665. sequentem inter alias propositionem Ord. 25. damnavit: *qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto, dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam*: ergo actus externus dicit etiam specialem malitiam formalem. C. p. quia per se loquendo in confessione non debent exprimi, nisi peccata formalia, ergo.

Respondent. aliqui: Confessionem actus externi tantum esse necessariam, quia eam præcipiunt Christus, & Ecclesia. Verum hæc responsio se ipsam refutat, quia a Christo, & Ecclesia per se non præcipitur confessio alicujus alterius rei, quam peccatorum formalium.

R. dent alii 2do. Ideo confitendos esse actus externos malos, ut per eoum explicationem actuum internorum intensio, & efficacia intelligatur. *Contra* est. Aliunde satis potest explicari efficacia, & intensio actuum internorum, v. g. dicendo: *desideravi intensissime & efficacissime occidere meum inimicum*: ergo, qui ita confiteretur, non deberet explicare actum externum: quod tamen est contra communem sensum fidelium. Deinde aliæ circumstantiæ solum aggravantes non sunt necessario confitendæ: ergo neque intensio.

Objic. 1. S. Scriptura, & SS. PP. videntur assere , quod Deus 415
solum intueatur voluntatem efficacem hominis, non autem actus ejus externos: ergo actus exerni non habent distinctam bonitatem, aut malitiam, meritum, vel demeritum, a bonitate, malitia, merito &c. actus interni. R. D. a. videntur asserere, quod Deus intueatur solum voluntatem efficacem in ordine ad bonitatem, & malitiam primariam, & ad præmium, ac pœnam substantialem c. a. in ordine ad bonitatem, & malitiam secundariam, quantitatem, ac excellentiam præmii, & excessum pœnæ n. a. Videatur Reiffenstuel Theol. morali. tr. 1. D. 2. n. 32. seq.

Objic. 2. Ex nostra sententia sequitur, quod ille, qui violenter per alium impeditur ab actu externo virtuoso, v. g. a. largitione

eleemosynæ, non habeat meritum respondens huic actui externo: sed hoc videtur absurdissimum: ergo. m. videtur per se clara; non enim est præsumendum, quod Deus me velit privare aliqua mercede propter injuriam mihi illatam.. R. C. M. N. m. Certe ille, qui efficaciter intendit suscipere aliquod Sacramentum, aut lucrari indulgentias, & per vim impeditur, ne actu Sacramentum suscipiat, aut lucretur indulgentias, nec gratiam ex opere operato, seu Sacramentalem, nec fructum indulgentiarum percipit. & in hoc etiam juxta AArios nulla absurditas est: ergo a pari nulla absurditas est, quod aliquis per vim impeditus a danda eleemosyna, non percipiat præmium huic externæ dationi respondens. Et quamvis sic violenter impeditus ab actu externo eleemosynæ, aliquod damnum patiatur, hoc tamen multo cum fœnore facile recuperari potest, si hanc ipsam vim patienter, & cum resignatione in Divinam voluntatem toleret, vel si intensiores actus internos aliarum virtutum interea eliciat, utpote qui actus interni semper plus meriti habent, quam externi.

Objic. 3. Actus externus non habet aliam libertatem, quam habet actus internus: ergo neque habet aliam moralitatem, quam habet actus internus. R. N. a. Actus externus suam libertatem, & moralitatem habet quidem dependenter ab actu interno: hæc tamen ipsius actus externi libertas est alia, quam libertas actus interni; siquidem & creatura suum esse participat, & habet dependenter a Deo, quo non obstante esse Dei, & creaturæ essentialissime distinguuntur. Quod autem libertas actus externi non sit eadem cum libertate actus interni, patet inde, quia ut dictum est n. 382. toties alia est libertas moralis, quoties alia est advertentia ad regulam morum, vel quoties actus per aliam regulam morum regulatur: atqui actus externus per aliam regulam morum regulatur, quam internus, ut ostendunt nostræ probationes: ergo.

Dices: Actus externus esset tantum liber denominatione desumpta ab actu interno voluntatis: ergo non haberet aliam libertatem, quam actus internus. R. N. a. Denominatio enim libertatis in actu externo desumitur ultimato, & principaliter ab indifferentia proxima voluntatis, & advertentia ad regulam morum, quatenus nempe voluntas stante illa advertentia, proxime potest mediante actu interno imperare actum externum, aut non imperare.

Objic.

Objic. 4. Actus externus fit necessario: ergo non fit libere. A. constat; posito enim actu interno efficaciter imperante actum externum, hic necessario sequitur. R. D. a. actus externus fit necessario, necessitate consequente c. a. antecedente n. a. Hinc talis actus est adhuc mediate liber, mediante scilicet actu interno: atqui libertas mediata sufficit ad meritum, vel demeritum, ut observat Scotus q. 18. *quodlibet.* §. *De secundo in isto articulo.*

Objic. 5. Actus externus elicitur a potentiis necessariis, v. g. ab oculo: ergo non potest esse formaliter liber. R. D. a. elicitur a potentiis necessariis, & tamem libere imperatur a voluntate c. a. non sic libere imperatur a voluntate n. a. & D. c. ergo non potest esse liber, quatenus est actus elicitus a potentia necessaria c. c. quatenus est actus libere imperatus a voluntate n. c.

Objic. 6. Si formalis malitia posset esse in actu externo, tunc os, manus, oculus &c. dicerentur peccare: sed hoc est contra communem loquendi modum, juxta quem voluntati soli, ut causæ, adscribitur peccatum: ergo. R. N. M. Actus enim isti non aliter sunt liberi, aut voluntarii, quam quatenus procedunt a voluntate: ergo neque aliter sunt peccaminosi, quam quatenus a voluntate imperantur. Proinde voluntas, imperans hos actus, dicitur peccare, non autem potentiæ externæ, quæ tantum eos eliciunt. Deinde voluntas, tanquam domina suorum, & aliarum potentiatum actuum, sola tenetur his dare rectitudinem: ergo sola illa peccat, si rectitudinem non det; non autem peccant reliquæ potentiæ, quia ipsæ non deficiunt.

Petes: Quomodo distinguantur actus internus, & externus? 416
R. Eos distingui specie inadæquata morali. Ratio est: quia habent diversas rectitudines, vel irrectitudines, conformitates, vel difformitates ad diversas, & in æstimatione morali distinctas regulas morum. Non autem distinguuntur specie morali adæquata; quia mutuo subordinantur, & unum completum, ac adæquatum actum moralem constituunt. Vide laudatum Reiffenstuel n. 34.

Petes. 2. An actui externo bono respondeat essentiale, vel 417
tantum accidentale prœmium; *Nota*: Essentiale prœmium est visio beatifica, & fruitio, ad quas etiam reduci videtur gaudium, ex tali visione resultans: prœmium accidentale sunt gaudia, & bona quædam alia, v. g. Aureolæ Sanctorum &c. jam

R. 1. Quidquid sit de hoc, an actui externo respondeat præmium essentiale, vel accidentale, dummodo habeat propriam bonitatem moralem, tunc enim jam salva est nostra conclusio.

R. 2. Probabiliter, si cætera adsunt, quæ ad meritum de condigno requiruntur, actui bono externo respondere etiam præmium aliquod essentiale, ita, ut ille, qui actum internum, & externum simul posuit, intensiorem propterea visionem, & fruitionem sit habiturus, quam alter, qui solum actum internum ejusdem intentionis, & efficaciæ habuit. Ratio est: quia habet sufficientem libertatem, ac bonitatem moralem, ita, ut possit fundare meritum, & præmium essentiale, neque videtur aliquid obstare tali merito, & præmio. Idem cum proportione responde de actibus malis in ordine ad pœnam essentialem, quæ est pœna damni, ac consistit in privatione visionis, ac fruitionis beatæ &c. Nihilominus præmium, & pœna, respondens actibus internis, est multo major, quam illa, quæ sequitur actus externos: ratio est; quia actibus internis primario, & immediate, externis vero solum secundario, & mediate convenit bonitas, & malitia moralis.

Articulus IV.

An detur actus moralis indifferens?

§. I.

An detur actus indifferens ex objecto, seu secundum speciem?

418 Nota 1. Juxta SSas triplicis generis actum moralem dari, scilicet *positive honestum*, *positive inhonestum*, seu peccaminosum, & tandem *medium*, seu *indifferentem*, qui nec positive honestus, nec positive peccaminosus sit. *Positive honestus*, & bonus est, qui est conformis regulæ morum præcipienti, aut suadenti: *positive inhonestus*, malus, ac peccaminosus est, qui non est conformis regulæ morum præcipienti, vel prohibenti: actus tandem *medius*, seu *indifferens* est, qui non est præceptus, neque prohibitus per aliquam regulam morum, sed tantum permissus.

Nota 2. Quæstionem esse, an detur actus tam ex objecto, quam ex circumstantiis indifferens? D. Thomas admittit actum indifferen-

differentem ex objecto, & negat ex circumstantiis, seu in individuo; SSæ. vero potiores cum non paucis RR., inter quos etiam est Viva, defendunt actum indifferentem tam ex objecto, quam circumstantiis.

Nota 3. Quid sit actus ex objecto, & ex circumstantiis indifferens. Actus igitur *ex objecto indifferens* est ille, qui habet objectum mere indifferens, seu tale, quod a regula morali non proponitur ut præceptum, aut prohibitum, nec ut positive suasum, sed ut mere permissum: qua permissione stante licite quidem talis actus fieri potest, non tamen erit positive honestus, si fiat; quia non est conformis regulæ morum præcipienti, aut suadenti: neque erit positive malus; quia non erit difformis regulæ præcipienti, aut prohibenti. Actus ex objecto indifferens dicitur etiam *quoad speciem*, vel *ex genere indifferens*; quia moralitas, quæ desumitur ex objecto, & fine intrinseco, est quasi specifica, ac primaria, a qua actus moralis primario specificatur, ut dictum est immediate ante n. 395. & videri potest apud Reiffenstuel T. 2. *De Actibus human.* d. 2. n. 10.

Actus *indifferens ex circumstantiis* est ille, qui neque quoad aliquam circumstantiam extrinsecam, v. g. finem extrinsecum, & intentionem operantis, est conformis, aut difformis alicui ex prædictis regulis morum. Actus ita indifferens ex circumstantiis vocatur quoque *indifferens in individuo*, & hoc ideo, quia actus aliquis in individuo non potest elici, nisi sit vestitus suis circumstantiis.

Nota 4. Controversiam esse, an aliquis actus libere elicitus, vel imperatus cum debita advertentia ad regulam morum, possit esse medius, & indifferens? nam plures dari actus indifferentes, id est, tales, qui nec boni, nec mali sint in genere moris ob defectum advertentiæ, & libertatis moralis, apud omnes est in confesso, & ex quotidiana experientia constat; sæpe enim caput movemus, fricamus cutem, sputum ejicimus, quin cogitemus, an hæ actiones sint honestæ, vel inhonestæ. Insuper illi actus, qui fiunt sine advertentia ad regulam morum, & sine libertate morali, non sunt actus morales: atqui hic unice controvertitur, an aliquis actus vere moralis possit esse indifferens?

Nota 5. Certum quoque esse, posse dari actus indifferentes quoad bonitatem meritoriam, vel malitiam demeritoriam, seu tales, qui nec sint meritorii, vel demeritorii, etsi sint cum advertentia ad re-

gulam

gulam morum libere eliciti; sic enim opera mere naturalia, etiam moraliter bona, nec habent meritum, quia sunt mere naturalia, nec habent demeritum, quia non sunt opera mala. Ita infideles multa faciunt opera honesta dando eleemosynam, administrando justitiam &c., quæ tamen opera, quia mere sunt naturalia, non habent meritum in ordine supernaturali, neque sunt demeritoria; quia demeritorium non est, quod peccatum non est: atqui actiones illæ, utpote honestæ, non sunt peccata, prout colligitur ex 25. propositione Baji confixa, quæ sic habet: *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.*

Hinc solum quæritur, an præcise in genere moris possit dari actus indifferens, & ita constitutus, ut nec positive bonus, nec positive malus, seu peccaminosus sit? Et in hoc sensu

419 Assero: Dantur actus morales, qui ex objecto, & secundum speciem sunt indifferentes, quatenus nempe eorum objectum, & finis intrinsecus est moraliter indifferens. SSæ. communiter contra non nullos alios SSas. P. Datur objectum, quod neque præcipitur, aut suadetur, neque prohibetur, sed pure permittitur, ut: ambulare per hortum, fricare barbam, abigere muscam &c.: ergo etiam dantur actus ex objecto indifferentes. A. per se constare videtur. conf. fluit; si enim objectum est bonum, tunc bonitatem: & si est malum, tunc malitiam transfundit in actum: ergo etiam, si objectum est indifferens in genere moris, tunc indifferentiam moralem transfundit in actum se occupantem circa tale objectum.

Dices 1. Scotus 2. d. 7. q. Un. n. 12. §. *Ad solutionem istius quæstionis. ✝. quælibet istarum malitiarum.* tenet, omnem actum moralem esse vel bonum, vel malum ex objecto suo, nec dari actum medium, & indifferentem: ergo hæc nostra assertio est contra Scotum. R. Scotus cit. loc. per actum bonum intelligit actum non malum, quo sensu & actus indifferens dici potest bonus; nam & hic non est positive malus: adeoque ex adducta sententia Scoti male infertur, non dari actum ex objecto indifferentem. Et hanc explicationem approbant quoque Vasquez, Suarez & Aversa apud Mastrium.

Dices 2. Actus indifferens necessario debet esse conformis rectæ rationi: sed actus conformis rectæ rationi est bonus: ergo. M. constat; si enim non est conformis rectæ rationi, tunc est difformis, & malus. R. D. M. debet esse conformis rectæ rationi præcepti-

tivæ, aut suasivæ n. M. permittenti c. M. & D. m. sed actus conformis rectæ rationi præceptivæ, aut suasivæ est bonus c. m. permittenti n. m. &c.

§. II.

An detur actus etiam in individuo indifferens?

Assero: Potest dari actus moralis in individuo indifferens, qui 420
nec positive bonus, nec peccaminosus sit. Scotus 2. d. 41. q. Un. cum suis. D. Bonaventura 2. d. 41. art. 1. q. 3. Alensis, Vasquez, Viva, & hoc teste communior RR. contra TTas, qui putant, etiam actus illos, qui versantur circa objectum indifferens, dum actu, & in individuo eliciuntur, bonos, aut malos debere fieri ex circumstantia finis; dicunt enim, hominem esse obligatum, ut omnes actiones suas, etiam secundum speciem, & objectum indifferentes, referat ad finem positive bonum, & honestum: si ergo huic obligationi, & regulæ morum præceptivæ conformiter agit, & actionibus suis etiam ex objecto indifferentibus bonam intentionem, & honestum finem præfigit, tunc illæ saltem ex circumstantia finis, & in individuo erunt bonæ: si autem agit difformiter huic regulæ præceptivæ, & omittit, finem bonum, & positive honestum apponere vel minimæ actioni ex objecto indifferenti, tunc per se peccat venialiter; quia agit contra regulam morum præceptivam in materia levi. Et hoc est totum ipsorum fundamentum, quod partim per probationes, partim per solutionem objectionum est eliminandum.

Dum D. Amort in sua Theol. Eclectica Tomul. 3. Disp. I. *de Actibus human.* pag. 216. S. Bonaventuram, & Scotum in Adversariorum, non nostra sententia esse affirmat, plane a veritate abludit. S. Bonaventura loc. supra cit. nostram sententiam ex instituto defendit, & totus in eo est, ut inter actum bonum, & malum etiam medium, seu indifferentem tueatur. Ubi etiam asserit: *Indulgetur naturæ fragili, & infirmæ, ut multa talia* (scilicet indifferentia) *possit facere: nec Deus requirit ab homine in tali statu distractionis, & miseriæ, quod omnia, quæ facit, referat ad se.* Scotus vero loco pariter supra laudato n. 4. ait: *Sunt ergo multi actus indifferentes non tantum secun-*

dum esse, quod habent in specie naturæ, sed etiam secundum esse, quod habent in esse morali. Jam

P. Assertio 1mo. Ex una parte obligatio referendi omnes nostras actiones, etiam ex objecto indifferentes, ad finem positive honestum est valde gravis: ex altera parte hæc obligatio non satis probatur: ergo ea non datur. conf. per se clara est; quia obligatio gravis in genere moris non datur, neque asserenda est, nisi ea sit satis efficaciter probata.

Ant. inprimis probatur quoad 1mum membrum. Hæc obligatio est gravis 1*mo.* quia sæpissime recurrit, & afficeret innumeras vitæ nostræ actiones. 2*do.* quia ea, si non observaretur, multiplicaret in immensum peccata venialia; statim enim quis peccaret, si sine habita bona intentione festucam levaret, barbam fricaret, modicissimum quid legeret propter solam delectationem sciendi, cutem fricaret pure propter sedandum pruritum, muscam abigeret solum ad vitandam molestiam, per fenestram prospiceret in hortum animi recreandi causa &c. atqui hæc sunt satis dura, & gravia onera, quæ animas pias, & perfectionis studiosas nimium gravarent, ac scrupulis, & anxietatibus continuis vexarent.

P. etiam 2dum. membrum ejusdem Ant. hæc obligatio non satis probatur. Nam 1*mo.* omnes rationes, quas AArii. pro se adducunt, facile possunt solvi, ut ostendet §us. sequens. 2*do.* Hanc obligationem plurimi, etiam doctissimi, adhibita quoque multa indagine non agnoscunt: imo eam passim ignorant alii homines pii, & timorati, & si ipsis proponitur, mirantur tanquam rem prorsus peregrinam, & incognitam: quare & similes actiones passim faciunt absque ulla intentione, per quam eas ad altiorem finem honestum ordinarent: nec tamen in hoc se peccare credunt: nemo etiam facile eos peccati condemnat, quamvis utique perfectius agerent, si bonam intentionem præmitterent.

Confirm. ratione S. Bonaventuræ. Hæc obligatio omnia ad Deum, vel honestum finem referendi non est conformis naturæ nostræ fragili, & multis distractionibus obnoxiæ: quare ei videtur esse indultum, ut multa possit facere sine bona intentione: ergo.

P. 2. Authoritate. S. Hieronymus Epist. 89. c. 5. agens de Sacramentis antiquæ Legis ait: *Neque enim indifferentia sunt inter bonum, & ma-*

& malum, sicut Philosophi disputant: bonum est continentia, malum est luxuria, inter utrumque indifferens ambulare, egerere alvi stercora, capitis naribus purgamenta projicere &c. hoc nec bonum, nec malum est; sive enim feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam. Nota verba: *sive feceris, sive non feceris*; hæc enim indicant actum, seu actuale exercitium actus in individuo.

Respondebis: S. Doctor tantum vult, quod illa opera non sint bona supernaturaliter, & meritoria, non autem eis denegat bonitatem, & honestatem naturalem. *Contra est*: S. Hieronymus in allegato textu loquitur de bonitate secundum acceptionem Philosophorum: atqui Philosophi non egerunt de bonitate supernaturali, & meritoria, sed de naturali. Deinde esto, quod S. Doctor principaliter intenderit, talia opera indifferentia non habere bonitatem supernaturalem, & meritoriam: per hoc tamen non probatur, eum non intellexisse bonum in acceptione Philosophorum; alias enim eos frustra citaret.

Accedit S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 3. quæ est contra Julianum. num. §. *ad hæc quomodo.* 94. ubi sic ait: *quemadmodum quisquis supplicio haud dignus est, non idem statim laudem, & prædicationem meretur, eodem modo, nec quisquis laude, & prædicatione dignus non est, idem confestim pœnam quoque meretur.* Ubi admittit aliquem actum indifferentem, & medium, qui neque sit laudabilis, neque reprehensibilis: adeoque qui neque naturaliter sit honestus, vel inhonestus; siquidem & actus naturaliter honestus est laudabilis, & naturaliter inhonestus reprehendi meretur. His authoritatibus adde Doctorem Seraphicum laudatum.

P. 3. potest dari omissio mere indifferens: ergo & actus sic indifferens. A. constat; nam potest quis ex sola commoditate, & libertate, nullo fine honesto sibi præstituto, omittere actum bonum non debitum, v. g. aliquam orationem, ad quam nullo præcepto obligatur: atqui talis omissio est mere indifferens, seu nec bona, nec peccaminosa; bona enim non est, quia caret fine, & motivo positive honesto &c. videantur dicta n. 395. & seq. neque talis omissio est peccaminosa: quia non est contra aliquod præceptum. Et hinc neque est materia absolutionis, prout ipsa praxis Confessariorum demonstrat, qui non audent absolvere afferentem meras omissiones actuum supererogatoriorum, & non præceptorum. Consequentia pariter primi enthymematis, & paritas videtur esse clara: & proba-

probatur ulterius. Si datur omissio indifferens in individuo, tunc potest dari volitio indifferens in individuo, qua volo omissionem illam indifferentem actus non præcepti, & qua dico: *volo modo ob commoditatem omittere preces non præceptas*: sed hæc volitio est actus voluntatis: ergo si datur omissio in individuo indifferens, datur etiam actus in individuo indifferens. m. de se liquet: M. p. Hæc volitio, qua volo omissionem mere indifferentem, tendit in objectum secundum se, & suas circumstantias indifferens: ergo & ipsa volitio est indifferens; specificatur enim ab objecto, & circumstantiis, quas respicit. Ex his tandem

Deduces, quod saltem per accidens possit dari actus indifferens, dum scilicet aliquis ex opinione probabili, vel ex errore crederet, non esse obligationem referendi omnes actiones ad finem positive honestum, & sic ex motivo meri commodi, aut delectationis, absque ulla reflexione ad honestatem, aut bonitatem moralem ageret. Ratio hujus est: si aliquis ex errore putet, non prohiberi mendacium ad salvandam vitam alterius, certe talis mentiendo non peccaret: ergo etiam si aliquis ex conscientia invincibiliter erronea, vel omnino ex probabili opinione ductus, crederet, non esse obligationem hanc actionem referendi in finem honestum, & illam sine tali relatione, & amore honestatis perficeret, non peccaret. Neque etiam bene, & honeste ageret; nam ad actionem positive honestam requiritur, ut illa fiat ex motivo, & intentione honestatis, ut dictum est n. 395. ergo solum ageret indifferenter.

§. III.

Solvuntur Objectiones contra §um. præcedentem.

421 Objic. 1. Apostolus 1. ad Corinth. 10 ℣. 31. ait: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et sæpissime S. Scriptura energice inculcat, ut Deum diligamus *ex tota fortitudine, ex tota virtute, ex omnibus viribus*: ergo nulla actio est exercenda, nisi ordinetur ad colendum, & amandum Deum.

R. 1. Hoc argumentum probare nimium; probat enim omnes actiones nostras debere elici ex motivo charitatis Dei, & nullam esse actionem moraliter bonam, nisi ex motivo charitatis fiat: quam

pesti-

pestiferam doctrinam Ecclesia sæpius damnavit, ut ex sequentibus propositionibus damnatis constat. Prima est inter Bajanas ordine 16. sic habens: *Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate.* Altera est iterum Bajana numero 38. *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur: aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum S. diffusa Deus amatur.* Tertia est Paschasii Quesnelli num. 49. profligata a Clemente XI. per Bullam *Unigenitus*, quæ sic habet: *Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum, sine amore Dei.* Vide succinctam declarationem propositionum damnatarum editam ab Admod. Rev. P. Massæo Kresslinger p. 2. fol. 99. & seqq. ubi integrum catalogum reperies similium propositionum ab Ecclesia merito rejectarum.

R. 2. D. a. Omnia debent fieri ad gloriam Dei, & Deus debet ex toto corde amari negative c. a. positive *subd.* aliquoties, & per aliquos actus in vita c. a. semper & per omnes actus n. a. Præceptum charitatis, quod nos stringit, est partim negativum, partim affirmativum: qua negativum obligat semper, & pro semper, & adstringit nos, ne aliquid amemus, aut exerceamus, quod Deo esset contrarium, & nos a divina amicitia avertere posset: qua affirmativum non obligat semper, & pro semper, sed tantum adstringit ad aliquos actus in vita eliciendos: prout omnes norunt, esse præceptum aliquoties in vita eliciendi actum charitatis Dei.

Dices: Deus est dominus plenissimus omnium nostrarum actionum: ergo eæ omnes debent ad Deum ordinari. R. iterum sicut prius D. c. debent ordinari ad Deum negative, in quantum nulla fit, quæ esset graviter offensiva Dei c. c. positive *subd.* omnes omnino actiones, & omni tempore n. c. aliquæ, & eo tempore, quo stringit speciale præceptum c. c. Deus ex sua benignitate indulgens nostræ imbecillitati, noluit nos adstringere, ut semper positive per actus nostros in ipsum tendamus, sed contentus est, si id fiat aliquoties, & sæpius, dum nempe speciale urget præceptum.

Objic. 2. Omne verbum otiosum est peccatum: ergo & omnis 422
actus otiosus: prout loquitur D. Hieronymus in Psal. 16. dicens: *Si de verbis otiosis redditur ratio, quanto magis de operibus, quæ majoris sunt momenti.* subd. atqui omnis actus in individuo indifferens est otiosus, hoc ipso, quia non refertur in finem honestum: ergo.

R. N. m. subsumptam; nam verbum, & opus otiosum est, quod neque ad finem positive honestum, neque ad commoditatem aliquam

naturæ saltem permissam, & in genere moris indifferentem ordinatur. Quare verbum otiosum a S. Hilario dicitur *inutile dictum*, a S. Hieronymo vocatur verbum, quod sine utilitate & loquentis, & audientis profertur, seu quod omni omnino utilitate, & commodo etiam naturali caret: atqui actus indifferentes sunt saltem utiles ad aliquam commoditatem, & delectationem naturalem permissam, quamvis non positive honestam, neque intentam propter finem honestum. Quare non facile quis dicet, me agere otiose, dum muscam naso insidentem abigo, licet nullum alium finem honestum intendam. His tamen actibus, qui fiunt ob solam commoditatem, & delectationem naturæ permissam, utendum est cum debito moderamine, & sine dispendio temporis: secus enim ratione excessus fierent peccaminosi, sicut & actus boni ratione alicujus circumstantiæ, & excessus aliquando vitiari possunt.

423 Objic. 3. S. Augustinus L. 2. *De Peccatorum meritis, & remissione.* c. 18. ait: *Mirum est, si voluntas potest in medio consistere, ut nec bona sit, nec mala: aut enim justitiam diligimus, & bona est, & si magis diligimus, magis bona: aut si omnino non diligimus, non bona est: quis vero dubitet dicere, voluntatem, nullo modo justitiam diligentem, non modo esse malam, sed etiam pessimam voluntatem?* ergo non datur actus voluntatis medius, & indifferens.

R. cum P. Viva, Herincx, & aliis, S. Doctorem loc. cit. loqui de voluntate ipsa, quæ nullo modo justitiam diligit, seu nunquam honeste, & bene agit: talis utique voluntas non est in statu quodam medio, & indifferenti, sed mala, imo pessima est; eoquod homo, qui nunquam ex amore, & motivo honestatis bene agit, necessario se debeat inquinare multis peccatis, saltem omissionis. Hæc autem non sunt contra nos.

Dices: S. Augustinus solet per voluntatem intelligere ipsos actus voluntatis; ergo dum negat, voluntatem posse esse indifferentem, etiam negat actus voluntatis indifferentes. Item dum dicit, voluntatem esse malam, quæ non diligit justitiam, vult esse positive malum istum actum, qui non elicitur ex amore, & intentione honestatis, seu justitiæ.

R. Etsi S. Doctor per voluntatem sæpius intelligat actus voluntatis, tamen id non facit in præsenti textu; alioquin sequeretur contra AArios., quod actus ille, qui non fieret ex fine, & motivo positive honesto, non solum esset malus, sed pessimus; ait enim

S. Do-

S. Doctor, quod voluntas, quæ nullo modo diligit juſtitiam, non ſolum mala, ſed & peſſima ſit. Verum hæc ſequela non poteſt ſuſtineri, cum actus in bonum finem non directus ad ſummum juxta AArios quoque, ſit leve quoddam, & veniale malum, non autem ſit peccatum peſſimum.

Inſtabis: Idem S. Auguſtinus Epiſt. 19 ait: *Cavendum, ne ſicut Philoſophi quædam facta hominum media dicamus inter recte factum, & peccatum, quæ neque in recte factis, neque in peccatis numerentur, urgeamur eo, quod obſervare legis ceremonias non poteſt eſſe indifferens, ſed aut bonum, aut malum.* Ecce hic expreſſe loquitur de actu indifferenti, quem & negat.

R. Hæc verba non proferuntur a S. Doctore aſſertive, ſed per modum objectionis ſibi factæ a D. Hieronymo, contra quem defendit, legis ceremonias poſt mortem Chriſti aliquo tempore fuiſſe licitas, & indifferentes, ſeu nec bonas, nec malas. Imo cit. loco. S. Auguſtinus aperte favet noſtræ ſententiæ: *tum.* quia defendit, obſervationem ceremoniarum legalium poſt Chriſti mortem per aliquod tempus fuiſſe actionem indifferentem: *tum*, quia ſententiam illam Philoſophorum, adſtruentium actum indifferentem, approbat, dum dicit, ſuæ, & Apoſtolicæ doctrinæ non obeſſe Philoſophorum dicta, & exempla, quando hi veritatem dicunt. Verba ipſa S. Auguſtini, quæ ad allegatam objectionem ſibi propoſitam reponit, ſunt iſta; *Ego vero Apoſtolis non tam exemplum Philoſophorum timeo, quando & illi in ſua diſputatione veri aliquid dicunt.*

Si opponantur alii textus SS. Patrum, tunc ii explicentur de immoderato quodam exceſſu, qui fit circa actiones indifferentes cum diſpendio temporis: vel loquuntur de caſu, quo urget aliquod præceptum ad actionem omittendam; tunc enim actio contra prohibitionem facta, non erit indifferens, ſed omnino poſitive mala: vel 3tio. dicunt, tales eſſe malos *negative*, ſeu tales, qui non habent poſitivam bonitatem, quamvis per hoc non aſſerant, illos actus eſſe poſitive malos. Opponantur ipſis quoque SS. PP. pro nobis allati.

Objic. 4. Innocentius XI. damnavit hanc propoſitionem ordine 8. 424
Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem non eſt peccatum, modo non obſit valetudini; quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui. Item ordine 9. quæ ſic habet: *Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum penitus caret culpa, & defectu veniali*: ergo actio, quæ non ordinatur

ad

ad finem positive honestum, sed exercetur ob puram delectationem, & commoditatem naturalem, est positive mala, & non est indifferens.

R. N. c. universaliter intellectam; ex eo enim, quod una, vel altera actio, exercita propter meram delectationem naturalem, sit positive mala, non statim sequitur, omnem actionem sic factam, debere esse positive malam: sicut ex eo, quod unus, vel alter homo sit peccator gravis, non statim inferre licet, quod omnes homines sint peccatores graves.

Sunt aliquæ voluptates, & delectationes, quæ ex se a natura institutæ sunt ad relaxationem animi, aut corporis, uti est delectatio, quam sentimus ex olfactione floris, ex auditione concentus musici &c. siquidem natura indulgens conditioni humanæ multum fragili, & aliis oneribus, ac tædiis onustæ, voluit benigne concedere tales delectatiunculas innocentes, & moderatas ad refocillationem aliquam. Quapropter siquis olfaciat florem propter solam delectationem, inde resultantem, non peccat; quia sic non pervertit ordinem, & finem a natura intentum, vel saltem permissum: cum & ipsa natura per se ordinet similes actiones ad delectationem, & relaxationem animi, & corporis.

Sunt etiam aliæ voluptates, quæ a natura per se non ordinantur ad oblectationem, vel commoditatem animi, & corporis, sed ad alium distinctum, & diversum finem: si ergo in his actionibus sola voluptas pro fine, & motivo habetur, peccatur, quia invertitur ordo a natura intentus; cum natura ordinarit, voluptatem his actionibus adjunctam debere solum tanquam medium servire, & intendi propter alium altiorem, & meliorem finem. Similes voluptates sunt, quæ reperiuntur in cibo, & potu, & in usu venereorum; prima enim ideo a natura est addita cibo, & potui, ut homo facilius iis uteretur ad sustentandum proprium individuum: altera vero operi conjugali adjuncta est, ut sic facilius portentur onera matrimonii satis gravia, & per consequens mediante matrimonio, & opere conjugali propagetur genus humanum.

Adde, quod in his duabus voluptatibus difficile sit modum tenere, adeoque conveniens fuerit prohibere, ne eæ propter se intendantur. Et præsertim voluptas ex opere conjugali est nimium animalis, & pudenda homini, ac proinde indigna, ut propter se intendatur. Ex quibus tandem sequitur, eum, qui voluptates has

duas

duas ex cibo, & potu, ac uſu venereorum exurgentes propter ſe intendit, & non ulterius ordinat, primam quidem ad conſervationem proprii individui, alteram ad propagationem ſpeciei humanæ, peccare ſaltem venialiter; quia inordinate agit, & finem, ac ordinem a natura intentum invertit. Vide Adm. R. P. Maſſæum Kreſslinger in ſuccincta declaratione propoſitionum damnatarum part. 2. fol. 236. &. Reiffenſtuel ibi citatum.

Dices cum D. Thoma 2. 2. q. 161. art. 6. in C. *Omnia delectabilia, quæ in uſum hominis veniunt, ordinantur ad aliquam vitæ hujus neceſſitatem, ſicut ad finem:* ergo nulla delectatio, etiam in olfactione floris, poteſt propter ſe intendi, ſed debet ulterius ordinari ad aliquam vitæ neceſſitatem ſublevandam.

R. 1. D. a. Ad aliquam vitæ neceſſitatem ex præcepto, vel conſilio ſublevandam n. a. ſecus c. a. Dato, quod omnes actiones noſtræ habeant pro fine aliquam neceſſitatem naturæ; harum tamen neceſſitatum ſublevatio eſt aliquid indifferens, ac neque præcipitur, neque conſulitur in plerisque caſibus, ſed mere permittitur, ut patet in olfactione floris, quam omittendo neque contra præceptum, neque contra conſilium ago: proinde ſublevatio talis neceſſitatis eſt mere indifferens.

R. 2. Dato, quod omnia ordinentur ad ſublevationem alicujus neceſſitatis, hæc tamen ſublevatio conſiſtit ſæpe in ipſa relaxatione animi, aut corporis, vel in commoditate naturali. R. 3. Dato, quod remote tanquam ad finem mediatum omnia poſſint reduci ad neceſſitatem naturalem ſublevandam: non tamen per hoc ſequitur, quod finis immediatus, & a natura permiſſus non poſſit eſſe quandoque delectatio, aut commoditas naturæ moderata. Vide etiam reſponſionem ad Objectionem 7timam.

Objic. 5. Homo debet altiori modo operari, quam Beſtiæ: er- 425
go non poteſt operari propter ſolam delectationem, aut commoditatem naturalem; nam propter hanc & beſtiæ operantur. R. N. c. Etſi homo habeat actum indifferentem ob ſolam delectationem naturalem, tamen operatur altiori modo, quam beſtiæ; quia debet attendere ad regulam morum ſaltem permittentem, & debet attendere, ne excedat debitum moderamen a ratione præſcriptum: quod non faciunt beſtiæ in operationibus ſuis.

Dices 1. Homo, dum agit, debet agere ut homo: sed non agit ut homo, nisi agat ob finem humanæ naturæ consentaneum, qualis est unice positive honestus: ergo homo debet in actionibus suis intendere finem positive honestum; alias non agit ut homo, sed ut bestia. R. Negando, quod finis humanæ naturæ consentaneus unice sit ille, qui est positive honestus; etenim & finis permissus convenit naturæ humanæ, quia non pugnat cum recta ratione.

Dices 2. Omnis actus hominis, qua talis, debet esse prudens: ergo etiam debet esse honestus. R. D. a. debet esse prudens negative, ac permissive c. a. positive n. a. Actus indifferens est prudens negative, & permissive, quatenus non est positive imprudens, seu quatenus non est contrarius dictamini prudentiæ prohibenti talem actum, vel potius proponenti illum ut prohibitum: non autem debet esse prudens, seu non debet esse conformis dictamini prudentiæ positive suadenti, vel præcipienti talem actum, sed tantum permittenti.

Dices 3. Homo, qua talis, est Viator, tendens ad Deum tanquam terminum suum: sed Viator censetur positive aberrare a via, nisi semper progrediatur versus terminum: ergo & homo censetur aberrare a via, & consequenter peccare, nisi semper, seu per omnes actiones tendat ad terminum suum, seu Deum. R. Retorq. Argum. Sed viator non errat positive, dum aliquoties in via quiescit, & positive non progreditur, dummodo non aberret a via, nec periculo errandi se committat: ergo etiam homo viator non errat in via ad Deum, dum aliquoties quiescit, & per operationes in hanc viam non tendit positive &c. Ex qua retorsione patet etiam, quid respondendum sit directe, nempe negandam esse minorem.

Dices 4. Artifex peccat contra artem, dum facit opus inutile ad finem artis: ergo & homo peccat contra finem suum, dum facit opus inutile ad hunc suum finem ultimum. Atqui actus indifferens est opus inutile ad finem ultimum; ergo. R. N. c. & parit. Artifex, ut artifex, seu ut exercens suum artificium, faciens opus aliquod inutile ad finem artis, ideo peccat contra artem suam; quia taliter violat aliquod præceptum artis: Ast homo, etiam ut homo operans, dum ponit actum indifferentem, non violat aliquod præceptum in genere moris, ut probationes nostræ ostendunt: ergo tunc non peccat. Probent igitur AArii. prius, quod adsit præceptum,

ptum, omnes noftras actiones ex fine pofitive honefto eliciendi, & ad honeftatem virtutis elevandi.

Dices 5. Rex agit indigne, exercendo actionem vilem, quia Princeps ad altiores actus eft ordinatus: ergo & homo agit indigne & peccaminofe, exercendo actionem indifferentem, quia homo ad altiores actus, & fines virtutis eft ordinatus. R. Hanc paritatem iterum effe pro nobis; nam Rex non femper agit indigne, dum fe aliqualiter recreat, & ceffat a fummis regni negotiis, fed tantum tunc errat, quando exercet actiones defpicabiles, ac pofitive ftatum fuum indecentes, vel dum, fe demittendo ad minora quædam exercitia, negligit illa, quæ Regis funt: Ita pariter homo non peccat, dum paulifper ceffat a virtutum exercitio, & fe actione quadam indifferente recreat, dummodo non exerceat actiones pofitive inhoneftas, aut eum a debito virtutum exercitio impedientes.

Cæterum hæ, & fimiles paritates probant nimium; probant enim, quemlibet obligari ad actiones omnes, & fingulas conformandas fuæ dignitati, ftatui, & qualitati: ex quo fequeretur, quod homo baptizatus, per gratiam ad ftatum fupernaturalem elevatus, femper deberet fupernaturaliter agere, feu meras actiones fupernaturales elicere, & homo juftus, ac in charitate exiftens, omnes actus fuos deberet ex motivo charitatis operari: aft iftæ fequelæ rejiciuntur: ergo & ipfæ iftæ paritates, ex quibus tales fequelæ oriuntur, rejici petunt.

Objic. 6. Quandocunque juxta nos aliquis habet actum indiffe- 426
rentem, debet eum ponere moderate, & debet fimul attendere ad regulam morum permittentem: fed tali modo ponit actum pofitive honeftum: ergo. m. p. Qui operatur cum moderamine, & juxta præfcriptum regulæ permittentis, operatur ex hoc motivo, quod operatio, quam ponere intendit, non fit prohibita, nec offenfiva Dei: fed tali modo ponit actum pofitive honeftum, nempe ex motivo pofitivæ honeftatis: ergo.

R. N. m. ad prob. N. M. Fateor, quod actio illa, quæ pofitive elicitur ex hoc motivo: *quia conformis eft voluntati divinæ permittenti*, vel: *quia non eft offenfiva Dei*, fit pofitive honefta, cum pro objecto motivo habeat conformationem voluntatis creatæ cum voluntate divina, vel evitationem offenfionis divinæ, quæ motiva omnino funt honefta: Sed nego, & pernego, quod ad omnem actum,

 quem

quem nos dicimus indifferentem, requiratur, ut is ex hoc motivo procedat; sufficit enim, si quis tantum advertat, quod actio in his circumstantiis, & cum tali moderamine elicita, sit permissa, & non sit offensiva Dei, etsi deinde talis actio intendatur ex alio motivo, v. g. recreationis, oblectationis. Sic etiam ad peccatum sufficit, ut tantum advertatur malitia, & prohibitio actionis, v. g. furti, etsi hæc non eliciatur ex motivo prohibitionis, & malitiæ moralis, sed potius ob utilitatem ex re furtiva speratam. Hæc bene nota ad multas instantias diluendas.

Dices 1. Ad actum moraliter honestum, & bonum requiritur, ut bonitas, & honestas objecti positive intendatur tanquam motivum: ergo etiam ad actum indifferentem requiritur, ut permissio, seu licentia actionis positive intendatur tanquam motivum agendi. R. N. c. Actus enim bonus tanquam excellentior, & perfectior ad sui constitutionem plus exigit, quam actus mere indifferens, qui est imperfectior saltem negative, quatenus caret bonitate, & honestate positiva morali.

Dices 2. Homo, qui actum ponit indifferentem, saltem ita est dispositus, ut istum actum non poneret, si sciret, eum esse illicitum, aut offensivum Dei: ergo pro motivo habet licentiam, ac permissionem talis actus, & evitationem offensionis divinæ. R. d. a. est ita constitutus interpretative c. a. formaliter, per affectum, & actum formalem voluntatis n. a. Ratio responsionis colligitur ex dictis n. 395. ubi ad actionem positive honestam exegimus, ut honestas directe intendatur tanquam motivum: qualiter eam non intendit, qui tantum interpretative in illam fertur.

427 Objic. 7. confirmando prius argumentum. Saltem simpliciter honestum est, intendere moderatam corporis commoditatem, vel animi, aut corporis oblectationem; hæc enim honestas spectat ad charitatem sui ipsius, quæ dictat, ut homo in quibusdam rebus parvis indulgeat naturæ, eam relaxando, ejusque indigentiis succurrendo: vel certe spectat ad virtutem Eutrapeliæ, quæ ad honestam hominis recreationem seriis jucunda solet miscere: ergo actus illi, qui juxta nos dicuntur indifferentes, & fiunt ex motivo oblectationis, & commoditatis moderatæ, sunt positive honesti.

R. N. a. & ejus probationem; nam si similes actiones pertinerent ex se ad aliquam virtutem, & honestatem, tunc neque essent

ex

ex objecto, & secundum speciem indifferentes: sicut dare eleemosynam, orare, pœnitentiam agere sunt actiones ex objecto neutiquam indifferentes, quia ex se ad certam aliquam virtutem, & honestatem spectant. Quare hæc objectio est contra ipsos AArios, qui solent admittere actum indifferentem secundum speciem. *2do.* Ad virtutem charitatis sui ipsius pertinent solum ea naturæ oblectamenta, & commoda, quæ vel omnino, & unice necessaria, vel admodum opportuna sunt ad sustentationem vitæ, ac conservationem convenientem proprii individui. Alia vero naturæ levamina, quibus carere sine damno aliquo possumus, lex charitatis nec præcipit, neque consulit, aut suadet; non enim sunt ex se digna affectu positivo: unde solum permittuntur. *3tio.* Eutrapelia positive honestat jocos, & recreationes alias tantum pro illis circumstantiis, in quibus possunt esse materia prudentis consilii, aut præcepti, non item in aliis, in quibus illæ, si moderate fiant, sunt mere indifferentes. *4to.* Non nego, quod sæpe tales actiones indifferentes possint ad aliquam similium virtutum per *intentionem operantis*, & *finem extrinsecum reduci:* nego autem, quod ex fine intrinseco, & proprio objecto semper pertineant ad aliquam earum virtutum. Ex his

Concludes, sententiam AAriorum vel ideo non subsistere, quod ejus Patroni adigantur, abire in extrema prorsus opposita; aliqui enim eorum etiam minimas actiones, quas nos indifferentes asserimus, dicunt esse peccata: alii vero eas pronunciant esse actus virtuosos.

Objic. 8. Obligatio referendi omnes actiones ad finem positive honestum, non est nimis ardua, neque fragilitati humanæ inconveniens: ergo ea datur. A. p. Ex una parte obligatio hæc se non extendit ad tam multas actiones; certe enim se non extendit ad illas, quæ sine deliberatione, & advertentia fiunt, prout pleræque ex iis, quas indifferentes dicimus, fieri solent: ex altera parte non requiritur semper intentio actualis, & explicita, sed sufficit virtualis, & implicita, quæ utique facilis est: ergo. 428

R. N. a. Dato, quod plures similes actiones indeliberate fiant, possunt tamen & aliæ plurimæ fieri deliberate, impellente, & movente sola commoditate, & delectatione naturali. Item ad peccatum veniale sufficit semiplena deliberatio, & advertentia, quæ sæpissime adest, & propter quam saltem nimium quantum multiplicari deberent peccata venialia in sententia AAriorum. Quam au-

tem difficile ſit, conſtanter retinere intentionem bonam, noverunt omnes rei aſceticæ periti; ſæpius enim ob inconſtantiam voluntatis noſtræ, & varietatem actionum humanarum abrumpi ſolet.

429 Objic. 9. *Bonum ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu:* atqui actus, qui non fit ex amore honeſtatis, habet aliquem defectum; deeſt enim ei relatio ad finem honeſtum: ergo talis actus eſt malus. R. D. M. malum ex quolibet defectu bonitatis debitæ c. M. ex defectu bonitatis indebitæ n. M. & D. m. Actus, qui juxta nos eſt indifferens habet defectum bonitatis indebitæ c. m. debitæ n. m. & conſ. Ut actus ſit poſitive malus, debet juxta Scotum carere bono, vel bonitate debita vi alicujus regulæ morum: ſi autem talis bonitas non eſt debita, tunc erit tantum negative malus, ſeu indifferens.

430 Quæres: An actus, quem indifferentem dicimus, ſaltem ſit imperfectio moralis poſitiva?

Nota 1. Licet admittatur, actum indifferentem ſemper dicere imperfectionem poſitivam in genere moris, tamen nihil admitti contra doctrinam præcedentem; hæc enim ſolam rationem peccati ab actu indifferente excludit, utpote defendens actum ita medium, qui nec poſitive bonus, nec poſitive peccaminoſus ſit.

Nota. 2. Aliud eſſe peccatum, & aliud eſſe imperfectionem moralem; nam omne peccatum, etiam veniale, inducit culpam, & reſpondentem pœnam in altero mundo. Unde etiam omne peccatum veniale materia eſt confeſſionis: contra mera imperfectio in foro conſcientiæ non inducit culpam etiam levem, neque eſt materia confeſſionis.

Nota 3. Duplicem eſſe imperfectionem moralem: una eſt *negativa*, quæ conſiſtit in carentia, vel omiſſione majoris perfectionis hic, & nunc poſſibils: e. g. quando quis amat Deum vel proximum, ſed non ita intenſe, & perfecte, ſicut poſſet, ſi vellet toto conatu cooperari gratiæ acceptæ, quamvis interea eliciat actum ex omni parte poſitive bonum: vel ſi quis omiſſo ſtatu vitæ melioris, eligit minus bonum. Hæc imperfectio *negativa* neque reprehenſionem meretur, neque diſplicentiam divinam inducit niſi aliquando major in ea quædam inordinatio interveniat, & contra conſilium Dei &c. hic & nunc practice, & moraliter obſervabile, & efficaciter inculcatum agatur, & taliter tranſeat in poſitivam imperfectionem, ut ex dicendis colligetur. Ratio

hujus

hujus eſt: quia Deus ob ſuam, quam erga noſtram imbecillitatem habet, clementiam non ſemper ita impenſe deſiderat a nobis id, quod perfectius eſt, neque poſitive in omnibus circumſtantiis improbat modum agendi minus perfectum. Quare & in æſtimatione morali aliquis non ſtatim cenſetur poſitive reprehenſibilis, ſi non faciat ſemper, quod perfectius eſt.

Imperfectio *poſitiva* eſt omiſſio, vel actio libera, facta contra conſilium hic, & nunc a Deo vel Superiore clare, & efficaciter propoſitum, & practice obſervabile, ſeu tale, quod moraliter ob nimiam difficultatem non eſt impoſſibile. Ex quo habes

Talem imperfectionem poſitivam incurri, quando a Deo, vel Superiore proponitur alicui prædicto modo, abſque omni tamen præcepto, majus Dei beneplacitum, cui tamen homo deliberate non obſequitur, non habens in præſenti aliam excuſationem, quam illam vulgarem: *Non obligor.* In exemplo: aliquis ſentit inſpirationem internam, efficaciter incitantem, ut propter Deum abſtineat ab aliquo actu indifferente, e. g. ab auditione Muſicæ. Si ergo talis homo non obſtante hac efficaci inſpiratione negligit iſtam mortificationem, ex ſolo hoc capite, quia non obligatur ad eam, incurrit imperfectionem poſitivam, agendo contra majus divinum beneplacitum, hic & nunc ſatis energice propoſitum, & practice, ac moraliter obſervabile. Item tales imperfectiones committunt illi Religioſi, qui nulla cauſa urgente tranſgrediuntur ſtatuta ſuorum Superiorum ex hoc ſolo capite, quia non obligant in conſcientia: eſto enim, non obligent ad culpam in foro conſcientiæ, nobis tamen inſinuant clare per Superiores legitimos Dei beneplacitum.

Ejuſmodi actio, vel omiſſio poſitive imperfecta merito diſplicet Deo, & reprehenſionem meretur: 1*mo.* quia eſt aliqua valde vituperabilis inordinatio, Dei beneplacitum rite cognitum, & practice obſervabile poſthabere ſuæ libertati, & ſuo commodo, & illud ſine cauſa ſufficiente negligere. 2*do.* Etiam Principi, aut Patri merito diſplicet, ſi ſubditus, aut filius non ſolum ſuum præceptum, ſed etiam conſilium bonum, aut beneplacitum energice, & clare manifeſtatum, ac practice obſervabile ex mera ſua libertate negligit: ergo pariter diſplicebit Deo, ſi ipſius conſilium, & beneplacitum, etiam ſine præcepto obligante nobis tali ratione manifeſtatum, negligimus. 3*tio.* Sancti fere omnes tales imperfectiones poſitivas reprehendunt: imo

&eæ

& eæ non raro ſunt in cauſa, cur ampliores gratiæ ſubtrahantur homini, ſic illiberaliter cum Deo agenti. H. N.

431 Reſolvo: Actus indifferentes poſſunt conjungi, & ſæpe conjunguntur cum aliqua imperfectione poſitiva. Ita Admod. Rev. P. Maſſæus Kreſslinger ſuperius jam cit. Ratio hujus eſt: Poſſunt fieri aliqui actus indifferentes illo tempore, & circumſtantis, in quibus inſpiratio divina, vel conſilium Dei, aut ſtatutum Superiorum clare cognitum efficaciter ſuadet contrarium, ubi certe imperfectio poſitiva non evitatur.

An vero omnis actus indifferens neceſſario ſit conjunctus, ſaltem per ſe loquendo, cum aliqua imperfectione, res multum eſt dubia. P. Ulloa, & ipſum ſecutus Clar. P. Dichel in ſuis octo Problematis *problemate* 4. *fol.* 208. tenent ſententiam affirmativam. Ratio ipſorum eſt, quia clarum eſt conſilium Dei in S. Scriptura expreſſum, vi cujus monemur, ut omnia, conſequenter etiam opera ex objecto indifferentia, ad finem honeſtum referamus. Sic 1. Corinth. 10 ṽ. 31. *Sive manducatis ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Huic igitur conſilio contrarium facit, qui vel unum actum indifferentem ſine ordine ad finem honeſtum, & Deum elicit.

Contra vero Clar. P. Antonius Mayr, cui & ego ſubſcribo, videtur potius oppoſitam tenere. Et ratio ſententiæ hujus negativæ eſſe poſſet: quia ex una parte ſententia affirmativa imponit gravem obligationem, ſub imperfectione poſitiva, alias incurrenda, omnia referendi ad finem honeſtum: ex altera parte hæc obligatio non ſatis probatur: ergo talis obligatio non eſt admittenda.

Prima pars Enthymemat. P. Nam etiam imperfectio poſitiva eſt malum ſatis notabile, cuivis perfectionis ſtudioſo multum timendum, poſt ſe trahens diſplicentiam divinam, reprehenſionem in genere moris, ſubtractionem gratiarum &c. adeoque ſat gravis foret obligatio, ſi quis ſub imperfectione poſitiva, alias incurrenda, adſtringeretur ad finem honeſtum præfigendum omnibus ſuis actionibus etiam ex objecto indifferentibus. Accedit, quod hæc imperfectio facile contraheretur, eoquod ad illam ſufficeret advertentia etiam ſemiplena, ſicut & ad peccatum veniale talis ſemideliberata advertentia ſufficit. Proinde & adverſa ſententia nimium multiplicaret imperfectiones poſitivas.

Secun-

Secunda pars vero primi enthymem. inde ſuadetur, quia ſententia illa D. Pauli, quam AArii. pro ſe adhibent, non poteſt in toto rigore verborum accipi; alias ſequeretur, quod non ſolum ad finem honeſtum, ſed etiam ad finem ſupernaturalem, nempe ad gloriam Dei omnes actiones noſtras referre deberemus, quod tamen vix AArii. admittent. 2do. Etiam Deus ſuadet nobis, ut eum diligamus ex toto corde, ex totis viribus, & tamen nec juxta Clariſſimum P. Dichel ille, qui Deum non diligit ex omnibus viribus, ſeu ſecundum poſſibilem omnem intenſionem, & perfectionem, ſtatim imperfectionem poſitivam contrahit; ergo a pari, quamvis moneamur, omnia ad Dei gloriam referre, non tamen ſtatim cenſemur, imperfectionem poſitivam contrahere, ſi unam, vel alteram actionem indifferentem, breviſſimo tempore durantem, non ſic referamus. 3*tio*. Conſilium tam ſtrictum, & tam univerſale, obligans ſub imperfectione poſitiva, non eſt naturæ humanæ fragili, multis diſtractionibus occupatæ, conveniens: adeoque non eſt practice obſervabile. Quamvis igitur Deo per ſe magis placeat, ſi juxta monitum D. Pauli omnes omnino, etiam minimæ actiones indifferentes ad Ejus gloriam referantur, id tamen ab homine non ita rigide deſiderare videtur in omnibus circumſtantiis, ut aliquam etiam leviſſimam vel breviſſimam actionem, non ſic ad finem altiorem relatam, improbet tanquam imperfectionem poſitivam, ſaltem tunc, quando nec inſpiratio interna efficaciter urget, neque monitum S. Pauli clariſſime proponitur, vel ſi tantum ſemiplena advertentia habetur ad monitum Apoſtoli.

Hæc tantum obiter: quia nullum Authorum inveni præter P. Mayr, & Dichel, qui ſententiam iſtam examinaret, & quia Scotus loco pro Concluſione citato tantum defendit actum medium talem, qui nec poſitive bonus, nec poſitive peccaminoſus ſit: quæ Scoti aſſertio adhuc ſubſiſtit, ſive talis actus ſit imperfectio poſitiva, ſive non ſit ut ſupra eſt dictum.



Tractatus II.

DE CONSCIENTIA.

Tractatus hic, uti est scitu dignissimus, & summe necessarius, ita aliquas inter Scholasticos maxime difficiles controversias numerat: quas ut recto ordine examinemus, in duas hunc Dissertationes secabimus: quarum prior Conscientiam in genere, & potiores ejus species declarabit; altera vero unice Conscientiam probabilem, ejusque usum exponet. Quare sit

Dissertatio I.

DE CONSCIENTIA IN GENERE, ET PLERISQUE EJUS SPECIEBUS.

432 Conscientia juxta omnes Theologos est regula proxima, & immediata actuum humanorum, ut patebit ex dicendis; Lex enim æterna, tanquam regula remota, & ultimata actuum moralium, non obligat, nisi in quantum est proposita, ac quasi promulgata per dictamen conscientiæ.

Est autem conscientia aliquis actus intellectus; nihil enim aliud est, quam judicium practicum intellectus, dictans, aliquid esse bonum, vel malum, vel indifferens in genere moris.

Potest dividi in *consequentem*, & *antecedentem*: *Consequens* est mere speculativa, ac versatur circa actus humanos jam factos, & præteritos: quos, si reprobat tanquam malos, & peccaminosos, dicitur *remorsus Conscientiæ*: si vero eos approbat tanquam bene, & virtuose factos, vocatur ab Apostolo 2. *Corinth.* 1. *Testimonium Conscientiæ nostræ.*

nostræ. *Antecedens* est, quæ prævenit nostras actiones, & dictat ea, quæ agenda sunt, tanquam bona, & quæ omittenda, tanquam mala. Et hæc est practica; quia dirigit praxin, nempe operationem nostræ voluntatis. De hac in præsenti Dissertatione fere unice quæritur. Sit itaque

Articulus I.

Quid, & quotuplex sit Conscientia: & quale debeat esse ejus ultimum Dictamen?

§. I.

Natura, & Divisio Conscientiæ.

Conscientia est dictamen intellectus practicum, dictans, quid sit 433 agendum tanquam honestum, aut saltem indifferens, vel non agendum tanquam inhonestum. Est in re communis Doctorum.

Dicitur 1mo. *Dictamen*; nam Conscientia est quædam intimatio regulæ remotæ, seu Legis. Quare ipsa Conscientia ratione sui non habet vim obligativam formaliter, sed tantum ratione legis, quam proponit; ipsa enim conscientia est tantum conditio applicans vim obligatoriam legis, ut colligitur ex dictis n. 389. & seqq. Dicitur 2do *Practicum*, ob rationem jam superius insinuatam. Reliquæ particulæ ex se patent.

Ad propositum nota, duplex posse considerari dictamen intellectus: unum *speculative practicum*, quod & simpliciter *speculativum* dici solet: Alterum *practice practicum*, quod & absque addito plerumque vocatur *practicum*. Dictamen *speculativum*, seu *speculative speculativum* est, quo in genere, & communi, id est, abstrahendo a particularibus circumstantiis saltem aliquibus, judicatur, aliquid esse licitum, vel illicitum. Talia dictamina generica sunt ista: *licitum est, pingere die festo: illicitum est, non tribuere cuivis suum.*

Dictamen *practicum*, vel potius *practice practicum* est, quo judicatur, etiam respectu mei, & in individuo, ac in his circumstantiis illud objectum esse licitum, vel illicitum, præceptum, vel non præceptum, sicque respectu mei, & quidem in his circumstantiis dari obli-

obligationem ponendi, vel omittendi illam actionem moralem. Et sæpe potest contingere, ut illud ipsum, quod per judicium speculativum judicatur esse bonum, & licitum, per dictamen practicum reprobetur tanquam illicitum. Sic quamvis judicium speculative practicum dictet, gladium depositum esse reddendum suo Domino; nihilominus judicium practice practicum vetat reddi in casu particulari, quo Dominus furiosus prævidetur, recepto gladio sibi, aut alteri necem illaturus. De dictamine practice practico præcipue hic agimus.

Iterum dictamen intellectus potest secari in *directum*, & *reflexum*. Dictamen *directum* est, quo quis absque reflexione supra aliud dictamen, seu supra alium actum intellectus, immediate judicat, hoc objectum in se inspectum, esse licitum, vel illicitum, præceptum, aut prohibitum. *Reflexum* est, quod se reflectit supra aliquod dictamen directum præcedens, & actionem aliquam pronunciat licitam, vel illicitam eatenus, quatenus hæc fuit per dictamen directum cognita. Ostendo rem in exemplo: Pictor deliberat secum, an liceat pingere die festo? hic, si opinionem, quæ dicit, actionem pingendi non esse prohibitam, teneret ut probabiliorem, quam oppositam, secum ita (saltem implicite, & virtualiter) discurrit: *Omne opus non servile est licitum die festo: sed pingere (ut mihi probabilius apparet) est opus non servile: ergo pingere est licitum die festo.* In hoc syllogismo major est quidem certa; sed minor solum est probabilis, aut ad summum probabilior, quam opposita sententia: & consequenter conclusio quoque erit solum probabilis, ac incerta, cum conclusio quoad vim inferendi sequatur debiliorem præmissam. Habito hoc ad summum probabiliori dictamine directo, intellectus assurgit, & assumpto alio principio reflexo, format judicium reflexum hoc modo: *Illud opus hic & nunc est mihi licitum die festo, quod ego pensatis omnibus pensandis prudenter judico esse licitum; sed ita judico esse licitum opus pingendi: ergo mihi hic & nunc die festo est licitum opus pingendi.* Et hæc conclusio est dictamen ultimum, ac reflexum conscientiæ, & quidem moraliter certum; major enim est indubitata omnibus, qui terminos penetrant: quid enim erit licitum in re morali, si illud non liceat, quod pensatis omnibus apparet prudens? minor pariter est certa; nam, cum evidentiam, & certitudinem in hac vita de objectis agibilibus vix unquam possimus habere, sic saltem erit pru-

dens,

dens, sequi, & eligere ea, quæ apparent probabiliora. Ex quo habes, quod illa actio, quæ per judicium directum apparuit tantum ut probabilius licita, possit per dictamen reflexum judicari certo licita: de quo plura §o. sequenti.

Conscientia directa, & speculativa ratione motivi, ex quo for- 434 matur, dividitur in 5. membra, scilicet in *rectam*, *erroneam*, *scrupulosam*, *dubiam*, & *probabilem*.

Conscientia *recta* est, quæ dictat, esse licitum, quod a parte rei est licitum: & illicitum, quod a parte rei est illicitum. Hæc conscientia quoque dicitur *vera*, & *certa*: *vera* quidem, quia est conformis objecto secundum se: *certa* autem, quia operantem nunquam fallit, nequidem errore speculativo. Ad dictamen conscientiæ rectæ duo requiruntur: *primum* est, ut principia, & motiva, ex quibus concludit, sint vera, & certa, qualia sunt Lex naturalis, divina, & humana: *secundum* est, ut illa principia certa rite applicentur; nam & ex principiis certis non debite applicatis, erronea, & falsa conclusio inferri potest: ut si dico: *Lex naturalis, & divina dictat, parentibus esse obediendum in iis, quæ præcipiunt; sed mei parentes præcipiunt mihi mendacium, aut furtum: ergo debeo ipsis obedire, ac mentiri, aut furari.* Conscientia hæc est erronea, & irrecta; quia ratio humana male applicat istud principium: *Parentibus esse obediendum*; in hoc enim subintelligitur: *si parentes legitime præcipiunt*, vel, esse obediendum in rebus licitis, non autem in illicitis.

Conscientia *erronea* est dictamen intellectus ex principiis falsis, vel veris falso applicatis, creditis tamen pro veris deductum, quo nempe intellectus absque probabili fundamento falso judicat, aliquid esse faciendum tanquam honestum, quod tamen non est honestum, vel aliquid esse omittendum tanquam moraliter malum, quod tamen revera tale non est.

Conscientia *dubia* est, quæ formaliter nihil concludit, aut judicat, sed ita fluctuat inter duas contradictionis partes, ut neutram determinate affirmet, aut neget.

Conscientia *scrupulosa* est inanis apprehensio, alicubi peccatum esse, ubi tamen non est. Denique

Conscientia *probabilis*, seu *opinativa* est judicium intellectus, quo quis ex gravi, quamvis non penitus certo motivo assentit uni parti

determinate, fed cum formidine de oppofito: differt a confcientia dubia, quod dubitans neutri parti contradictionis affenfum præftet; opinans vero uni parti ob fundamentum probabile, & grave pofitive affentiat, licet non ita fortiter, quin retineat formidinem partis oppofitæ. Hæc de dictamine confcientiæ directo, modo ad reflexum, & ultimum. Quare fit

§. II.

Quomodo dictamen Confcientiæ ultimum, & practice practicum debeat effe conftitutum?

Per dictamen ultimum confcientiæ intelligimus illud, quod immediate, & proxime actionem moralem regulat: & de hoc quæritur an debeat effe certum, vel an fufficiat probabile, formidolofum, ac dubium? Pro quo

435 Nota 1. Aliam effe formidinem ex parte voluntatis, & aliam ex parte intellectus. Formido, quæ in voluntate datur, eft ipfe metus, ac timor, & fuga mali alicujus imminentis: de hac formidine jam alibi actum eft. Formido intellectus, quam hic unice confideramus, eft judicium actuale reflexum fupra actum opinativum, & probabilem, quo intellectus cognofcit, rem, quam opinatur, ob fallibilitatem motivi, & ob probabilitatem fententiæ oppofitæ poffe fe aliter habere, ac ipfe judicat. Vel brevius: Formido hæc eft judicium reflexum, quo judicatur, affenfui, & opinioni probabili fubeffe periculum erroris, & falfitatis, & quidem non omnino remotum, fed fuo modo propinquum. Et hæc eft *formido actualis intellectiva.* Eft etiam alia *aptitudinalis,* quæ eft aptitudo caufandi formidinem actualem. Formido aptitudinalis identificatur omni opinioni, & affenfui probabili: formalis vero ab hac feparari poteft, ut ex Logica conftat.

Si autem quis velit contendere, formidinem intellectualem non tam effe judicium intellectuale, quam paffionem quamdam fubfequentem judicium probabile, non multum me ei opponam; nam ad propofitum meum idem operabitur talis paffio, quod præftat judicium reflexum; fiquidem & paffio illa faciet intellectum formidare, an non fit falfus affenfus opinativus elicitus.

Nota

Nota 2. ex dictis: dubium esse suspensionem omnis actus positivi inter duo extrema contradictoria: e. g. proponuntur intellectui hæ duæ propositiones objectivæ: *licitum est die festo pingere*, *non est licitum die festo pingere*. Si in hoc exemplo ob incertitudinem utriusque intellectus judicium suum circa utramque propositionem objectivam suspenderet, diceretur dubitare. Huic autem dubio non obstaret aliud determinatum judicium reflexum, quo intellectus affirmaret ipsum dubium, e. g. dicendo: *sum dubius, an licitum sit, die festo pingere, nec ne*; hæc enim propositio affirmat quidem existentiam dubii, non autem affirmat, nec negat licentiam pingendi die festo, sed eam in suspenso, & dubio tanquam rem incertam relinquit.

Nota 3. Dubium non esse quamcunque apprehensionem utriusque partis oppositæ; alias enim ille, qui tentatur in fide, statim etiam in ea dubitaret, & peccaret graviter; nam sic tentatus habet apprehensionem utriusque membri contradictorii, scilicet Articuli fidei, & falsitatis ei oppositæ. Neque dubium proprie est inquisitio nuda, & sola veritatis in hac, vel illa materia; nam hæc fieri potest in materia fidei absque peccato, quamvis aliquis non possit dubitare in materia fidei absque peccato. Quare, ut advertunt La Croix, & noster P. Holzman, dubium tali apprehensioni utriusque extremi, & indagationi veritatis superaddit aliquam dispositionem animi, qua saltem implicite, & virtualiter, ac interpretative reputat rem, de qua dubitat, esse incertam. Et ideo ille dubitat proprie de fide, ac peccat maxime contra veracitatem divinam, qui ea dispositione animi argumenta, fidei articulis opposita, ruminat, acsi ea essent alicujus momenti, & quodammodo incertam redderent fidei nostræ veritatem.

Nota 4. Dubium dividi in *positivum*, & *negativum*: *Positivum* est, quando intellectus suspendit assensum ob rationes valde graves pro utraque contradictionis parte. *Negativum* est, quando pro nulla contradictionis parte occurrunt rationes graves assensu dignæ. Præterea dubium etiam secatur in dubium *juris*, & *facti*, de qua divisione inferius.

Nota 5. Aliud quoque dubium esse *speculativum*, & aliud *practicum*. *Primum* versatur circa actionem aliquam in communi, & genere: *alterum*, seu *practicum* respicit actionem hic & nunc in particulari eliciendam, & dubitat, num in his, & istis circumstantiis talis

actio

actio licite in individuo possit elici. Sic cum proportione divide quoque formidinem in speculativam, & practicam.

Nota 6. Dubium, & formidinem actualem distingui. Ratio est: Dubium non præsupponit judicium determinatum directum circa unam contradictionis partem, de qua dubitatur, quia est suspensio talis judicii: ast contra formido supponit judicium determinatum. 2do. Formido est judicium, ac dictamen positivum intellectus, dubium non est judicium positivum intellectus. Omnia patent ex dictis: Si tamen velis defendere identitatem inter formidinem, & dubium, meo intento potius proderis, quam nocebis. H. N.

436 Assero: dictamen ultimum, ac practicum conscientiæ, quod immediate præcedit, & regulat actionem honestam, ac moraliter bonam, debet excludere omne dubium, & formidinem actualem gravem de inhonestate formali actus. Hanc conclusionem alii etiam sic proponunt: Ultimum, seu proximum dictamen conscientiæ de formali honestate actus debet esse moraliter certum. Ita ex nostris tenent Sporer, Herincx, Mastrius, Marchantius in suo tribunali, Adm. Rev. P. Massæus Kresslinger in *disquisitione Theologica* edita anno 1712. Holzman. Idem etiam sentiunt La Croix & hoc teste DD. omnes communiter contra aliquos apud eundem citatos. Verum ut hæc conclusio rite penetretur, & probetur, prius eam cum laudato Adm. R. P. Kresslinger explico. Igitur

Dicitur 1. *Dictamen ultimum, ac practicum:* siquidem facile concedo, dictamen *speculativum*, vel *mediatum*, ac *remotum* posse esse dubium, aut graviter formidolosum, dummodo per principia reflexa impediatur, ne tale dubium, vel formido etiam irrepat in dictamen conscientiæ proximum, ultimum, ac practicum. Dicitur 2. *formidinem actualem*; non enim litigo multum, an judicium conscientiæ ultimum etiam debeat esse immune ab omni aptitudinali formidine. Dicitur 3. quod debeat excludere omnem formidinem *gravem* pro altera contradictionis parte; nam formidinem levem possumus contemnere tanquam scrupulum inanem, quin alia nova fundamenta reflexa excogitemus. Dicitur tandem 4. *de inhonestate formali actus:* scilicet non debet adesse dubium, vel formido practica, an hæc actio hic & nunc elicienda sit formale peccatum: gratis autem concedimus, posse remanere dubium, an non saltem sit materiale peccatum. His præsuppositis

Prob.

Prob. Assertio 1. Qui dubitat, vel graviter formidat, num sua actio sit formaliter peccaminosa, & tamen eam facit, committit se voluntarie periculo peccandi: ergo hoc ipso per talem actionem peccat, & non bene agit; nam & se committere periculo peccandi, formale peccatum est. A. p. nam, qui ita dubitans, vel graviter formidans agit, non habet securitatem saltem moralem, quod suæ actioni non insit formalis malitia, adeoque necessario se committit periculo peccandi, nisi per aliud dictamen moraliter certum, ac securum excludat tale dubium. Quare Scotus q. 2. *Prologi* n. 15. loquens de dubio practico recte ait: *In tali casu* (nempe dubii practici) *hominem ab operatione debere se abstinere ideo, ne dum se exponit periculo, incidat in peccatum.*

Dices: Hoc esse tantum periculum remotum, quod vitare non tenemur. *Contra est*: est periculum proximum, quod hic & nunc adesse cognoscitur ex gravi fundamento; supponitur enim talis homo dubitare, vel formidare ex gravi causa, an non sua actio, quam agere intendit, sit hic & nunc formaliter illicita.

P. 2. Qui cum dubio, vel gravi formidine practica de honestate suæ actionis ageret, censeretur interpretative, & virtualiter velle malitiam formalem suæ actionis: sed talis, qui interpretative, & virtualiter vult malitiam formalem, vel peccatum formale, jam peccat; cum ad peccandum etiam sufficiat voluntarium virtuale, & interpretativum: ergo. M. patet; talis enim homo graviter formidans, an non sua actio sit inhonesta, & si per aliud principium, & dictamen reflexum non elidat istam formidinem, ita est virtualiter, & interpretative dispositus, ac secum quasi taliter ratiocinatur: *sive hæc actio sit peccatum, sive non, eam tamen faciam*, quod utique nil aliud est, quam interpretative, & virtualiter velle malitiam, ac peccatum formale. Ex quibus

Sequitur, ad actum formaliter honestum neque sufficere dictamen ultimum mere probabile, vel probabilius *cognitum ut tale*. Ratio est 1*mo*. si tale dictamen cognoscitur ut probabile, tunc cognoscitur ut tale, cui subesse potest, & non raro subest falsum; proinde & merito formidari actu debet, num non & actualiter hic & nunc sit falsum, ac per consequens ea actio, quam probabiliter asserit licitam, sit revera formaliter illicita. 2*do*. Ultimum dictamen conscientiæ debet esse tribunal irrefragabile, coram quo homo con-

demnetur ut nocens, vel absolvatur ut innocens: atqui dictamen mere probabile, vel etiam probabilius, non est irrefragabile, cum possimus illud negare: ergo.

Confirm. Quando habeo dictamen etiam probabilius, vel cognosco simul reflexe, quod cum dictamine probabiliori possim licite, & prudenter agere, vel non cognosco? Si non cognosco, tunc meum dictamen manet inter meros terminos probabilitatis, & est fallibile, adeoque hominem cum illo operantem exponit periculo formaliter peccandi: si autem reflexe cognosco, quod cum tali dictamine prudenter possim operari, tunc hoc judicium reflexum est ultimum dictamen, & quidem moraliter certum, quod me dirigit in agendo: ergo adhuc ad bene agendum prærequiritur dictamen ultimum certum.

Porro hoc dictamen non debet esse metaphysice, vel physice certum, sed sufficit, si sit moraliter certum. Ita communiter omnes contra Palavicinum, qui requirit dictamen metaphysice evidens. Ratio hujus est: *1mo.* Impossibile est, de omnibus agibilibus habere dictamina metaphysice, vel physice evidentia, aut certa: ergo sufficit, habere semper dictamina moraliter certa; nam Deus non jubet impossibilia. *2do.* Moralis certitudo sufficienter excludit omne rationabile dubium, & formidinem prudentem de opposito: ergo certitudo moralis tollit etiam sufficienter periculum peccandi. Proinde & ille, qui operatur cum morali certitudine, vere operatur *ex fide*, seu ex conscientia, ex qua omnis operatio, ut sit recta, procedere debet, juxta illud D. Pauli ad Rom. 14. *Omne, quod non est ex fide* (id est, ex conscientia) *peccatum est.*

437 Objic. 1. Qui operatur ex judicio probabiliori, prudenter operatur: ergo non peccat. R. D. a. qui operatur ex judicio probabiliori proximo, & ultimo, prudenter operatur n. a. qui operatur ex judicio probabiliori speculativo, & remoto, ac superaddit dictamen proximum certum, ex principiis reflexis certis deductum c. a. Si judicium ultimum, & practicum sit mere probabile, & quidem cognitum ut tale, tunc non est prudens; quia illud dictamen non est prudens, quod operantem exponit periculo formaliter peccandi.

Dices 1. Judicium probabile est actus prudentiæ, saltem imperatus: ergo, qui ex judicio probabili, aut omnino probabiliori operatur, prudenter agit. R. D. a. est actus prudentiæ in illis circum-

stantiis,

ſtantiis, in quibus hominem exponit periculo proximo formaliter peccandi n. a. in aliis c. a.

Dices 2. Judicium probabile de honeſtate actionis excludit omnem conſcientiam peccati; etenim etiam per dictamen probabile abſolute affirmo: e. g. *licitum eſt, die feſto pingere: licitum eſt Judici, condemnare innocentem probatum publice ut reum, etſi eum Judex privata ſcientia ſciat innocentem*: ergo. R. N. a. Talis enim cum formidine gravi dicit: *eſt mihi licitum, pingere die feſto*: adeoque non excludit omnem formidinem de peccato.

Dices 3. Dictamen ultimum, & practice practicum, quo aliquis Pictor judicat, ſe non peccare pingendo die feſto, debet fundari in dictamine ſpeculativo probabili: ergo & ipſum dictamen ultimum practice practicum erit mere probabile; nam quale eſt fundamentum, tale etiam eſt illud, quod in fundamento fundatur. R. D. a. debet fundari in dictamine ſpeculativo probabili, id eſt, debet pro objecto ſuo habere dictamen ſpeculativum probabile, & actionem huic dictamini ſpeculativo ſubſtantem c. a. debet in illo fundari tanquam in principio aliquo, ex quo tanquam præmiſſa deducatur concluſio, & judicium reflexum practice practicum n. a. Judicium practice practicum, eo ipſo, quod debeat eſſe moraliter certum, non poteſt deduci ex aliis principiis, aut præmiſſis, quam moraliter certis: reſpicit tamen in una præmiſſa dictamen ſpeculativum probabile tanquam objectum ſuum; nam ideo ultimum judicium conſcientiæ in præfato caſu dicitur reflexum, quia ſe ſupra dictamen ſpeculativum tanquam ſuum objectum, ſaltem partiale, reflectit.

Objic. 2. Ex noſtra ſententia ſequeretur, quod duo oppoſita judicia poſſint ſimul eſſe in intellectu; per judicium enim ſpeculativum dicerem v. g. *non eſſe certum, quod liceat pingere die feſto*: per judicium autem practicum affirmarem, *eſſe certum, quod liceat pingere die feſto*: ſed hoc eſt impoſſibile: ergo. M. conſideranti liquet. R. D. a. ſequeretur, quod ſimul poſſint eſſe in intellectu duo judicia oppoſita, quæ non verſantur circa idem objectum eodem modo conſideratum c. a. ſecus n. a. Prius judicium, ſeu ſpeculativum, pro objecto reſpicit actionem pingendi in ſe præciſe inſpectatam: dictamen vero practicum eam reſpicit non ſecundum ſe, ſed ut ſubſtantem jam dictamini directo, & per illud affirmatam, ut probabilius licitam. Deinde dictamen directum reſpicit ſemper honeſtatem materialem, & obje-

& objectivam actionis: dictamen vero proximum, & reflexum respicit honestatem formalem, quæ utique sunt duo distincta: & sæpe actio, quæ est materialiter, & objective inhonesta, potest esse formaliter honesta, ut ex dicendis n. 446. & seqq. patebit; mendacium enim, quod certo materialiter, & objective est malum, potest esse formaliter honestum, & bonum, si mentiens invincibiliter putet, talem actum mendacii esse honestum, & virtuosum.

Objic. 3. Qui operatur ex dictamine invincibiliter erroneo, non peccat: & tamen talis non habet judicium certum, imo nequidem probabile: ergo ultimum dictamen, ad vitandum peccatum requisitum, non debet esse moraliter certum. R. D. a. Talis non peccat ob dictamen invincibiliter erroneum directum n. a. ob aliud dictamen certum, quod simul cum erroneo adest saltem exercite, aut implicite c. a. Qui agit ex conscientia invincibiliter erronea, saltem exercite, & implicite habet hoc dictamen: quandocunque ago illud, quod mihi indubitanter, & invincibiliter apparet bonum, aut licitum, non pecco. Et hoc dictamen est certum.

Objic. 4. Rudes non formant sibi ejusmodi dictamina ultima certa: ergo semper peccarent, neque unquam bene agerent, si nostra sententia esset vera. R. N. a. Nam & tales judicant sæpissime absque hæsitatione, suas actiones esse licitas, & ideo eas sine ullo remorsu peragunt: adeoque habent dictamen ultimum immune ab omni dubio, & formidine, & suo modo moraliter certum. Imo apud tales saltem exercite, & implicite adest prædictum dictamen: *Non pecco, dum operor illud, quod absque hæsitatione, & formidine judico, esse licitum.*

Neque dicas: Talia dictamina ultimata, quæ nos adstruimus, non advertuntur a nobis: ergo non adsunt. R. D. a. non advertuntur a nobis signate tr. a. exercite, & implicite n. a. Dum scribimus, semper datur reflexio, & attentio ad regulas scribendi saltem exercita, quamvis eas reflexiones, & attentiones ad tot regulas pro quavis litera non discernamus signate, & nova quadam reflexione superaddita. Sic etiam Cytharædus, dum ludit Cythara, continuo reflectit ad regulas artis suæ, quamvis signate non discernat, nec advertat suam attentionem, & reflexionem; quod inde patet: quia talis interrogatus, cur modo sic, vel sic ludat, statim posset respondere, & actionis, ac lusus sui regulam, ac rationem reddere.

Objic.

Objic. 5. Peccator per Sacramentum Pœnitentiæ justificatus non peccat, etsi habeat timorem gravem, ne iterum peccet imposterum: ergo etiam ille non peccat, qui operatur cum timore gravi, ne in hac sua, quam exercet, operatione peccet. R. N. c. & parit. Peccator justificatus, timens, ne imposterum iterum peccet, habet timorem mere speculativum, fundatum in periculo remoto, & in fragilitate naturæ, quam non potest deponere: Contra vero ille, qui timet, an non peccet in ista actione, quam modo absque necessitate ponere intendit, & quam facile omittere potest, habet formidinem practicam, fundatam in periculo proximo peccandi: quod, cum facile possit, etiam tenetur vitare.

Objic. 6. Si semper ultimum dictamen conscientiæ debet esse certum, tunc possumus esse certi, nos non peccasse & sic possumus esse certi de statu gratiæ: item non dabuntur peccata occulta, aut dubia, neque scrupuli: sed hæ sequelæ sunt contra sanam Theologiam: ergo. R. N. sequelam majoris. Etsi enim certi simus moraliter, nos in hoc vel illo actu procedere ex certo dictamine, & recte secundum illud agere: non tamen sumus certi, quod hoc fecerimus in omnibus nostris actionibus, quia ob imbecillitatem nostram sæpius se immiscere potest temeritas, ignorantia vincibilis. 2. Non ita perceptibiliter semper formatur dictamen reflexum; sæpe ambigimus, an illud rite formaverimus. 3. Non raro operamur cum timore peccati materialis, ex quo postea exurgere potest dubium, an non omnino cum formidine peccati formalis operati fuerimus. 4. Etiamsi habuerimus semper optima dictamina, tamen non scimus, an nostras actiones secundum eas regulaverimus. Certe multi hæsitant post factum, an non illud committendo apprehenderint gravem malitiam. 5. Potest etiam esse dubium, an omnibus tentationibus, quæ hominem continuo lacessunt, debite restiterimus. Videatur La Croix l. 1. n. 52. & 53.

Objic. 7. Dictamen conscientiæ speculativum non debet esse certum: ergo neque dictamen ultimum, ac practice practicum. R. N. c. Dictamen speculativum non debet proxime dirigere actionem moralem licitam eliciendam, bene dictamen practice practicum.

Objic. 8. Ad inhoneste agendum, & peccandum non requiritur dictamen moraliter certum, sed sufficit probabile: ergo & ad honeste agendum. R. Tr. a. N. c. nam ad bonum requiritur plus, quam

 ad

ad malum, ut jam sæpius est dictum. Imo etiam, dum aliquis peccat, censetur semper, saltem implicite adesse aliquod judicium certum reflexum, quo intellectus judicat, hic & nunc esse obligationem aliter agendi, aut abstinendi ab actione.

Neque dicas, sic semper adesse plenam advertentiam malitiæ, neque dari ullum peccatum semideliberatum. R. enim sub dist. semper adesse plenam advertentiam malitiæ alicujus *conc.* omnis malitiæ *neg.* Sæpe ob aliqualem inadvertentiam non advertitur gravitas malitiæ, etsi a parte rei sit revera materia gravis: & interdum non attenditur tota malitia levis secundum omnes circumstantias, non obstante, quod in utroque casu certo aliqua saltem malitia cognoscatur. Et hinc etiam in nostro casu potest dari semideliberata actio, quando nempe vel gravitas malitiæ omnino, vel etiam levis malitia non secundum omnes circumstantias aggravantes cognoscitur. Ex his

438 Colliges 1. Ultimum dictamen practicum, impediens peccatum, debere esse certum saltem certitudine adhæsiva, qua quis sine gravi, & prudenti formidine, ac dubio de inhonestate formali actus, judicat hanc actionem, quam facere intendit, esse licitam; si enim certitudinem istam adhæsivam non haberet, tunc talis homo se exponeret proximo periculo peccandi, & virtualiter censeretur velle peccatum, ut probationes nostræ ostendunt. Imo resolutiones objectionum evincunt, dictamen hoc ultimum conscientiæ esse etiam certum certitudine formali, certitudo enim formalis, & objectiva nil aliud est, quam infallibilitas actus, qua actui ex natura sua repugnat esse falsum; atqui dictamen hoc ultimum ita est constitutum, & ex talibus principiis deductum, ut saltem moraliter repugnet, illud esse falsum: ergo saltem moralem certitudinem formalem habet. Verum quidquid sit de hoc; nostra conclusio subsistit, si tantum judicium ultimum conscientiæ gaudeat certitudine adhæsiva, & immune sit ab omni prudenti formidine, & dubio de inhonestate formali actus. Dixi, si immune sit a *prudenti* formidine: nam imprudentem formidinem non debet intellectus necessario per principia reflexa certa excludere, sed potest illam prudenter contemnere sine excogitatione alterius principii.

Colliges 2. Non requiri, ut dictamen remotum, & directum sit moraliter certum. Ratio hujus jam est data: quia illud non est proxima

xima regula actuum humanorum, & quia dubia, ac formidines, quæ ſunt in dictamine remoto, & ſpeculativo, poſſunt per principia reflexa certa in dictamine proximo elidi.

Colliges 3. In omni conſcientia ſpeculativa, etiam dubia, & erronea, adeſſe ſimul ſaltem exercite aliquod judicium, ſi non formaliter, certe virtualiter reflexum, ac practice practicum, dictans, utrum ſtante tali dubio, errore, ſcrupulo operandum ſit vel non. Ita P. Stoz apud noſtrum Holzman allegatus.

Quæres: Quomodo conſcientia differat a Syntherеſi, & ſcientia 439
morali? R. In hoc differre, quod conſcientia ſit dictamen aliquod, dictans, quid hic & nunc in particulari caſu, & in individuo ſit faciendum, vel omittendum: Syntherеſis vero, & Ethica, ſeu ſcientia moralis non dictent, quid hic & nunc in particulari caſu determinate agendum ſit &c. Nam Syntherеſis eſt habitus cognoſcitivus primorum principiorum moralium, in communi, & in genere tantum dictans, quid bonum & quid malum: quare tantum habet dictamina generica, qualia ſunt iſta: *bonum eſt faciendum, malum fugiendum. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Cuilibet eſt jus ſuum tribuendum.* Ethica vero, ſeu ſcientia moralis, occupatur circa concluſiones ex primis principiis practicis deductas. Totum hoc patebit in ſequenti diſcurſu: *Omne malum eſt fugiendum: ſed adulterium eſt malum: ergo adulterium eſt fugiendum: ergo, ne committam adulterium, non licet mihi hic & nunc cum hac conjugata habere copulam.* Ubi major eſt actus Syntherеſeos: minor vero, & concluſio prima ſunt actus ſcientiæ moralis, ſeu Ethicæ: concluſio vero ultima dictans, quid hic & nunc in individuo, & particulari caſu agendum ſit, eſt actus conſcientiæ.

Articulus II.

De Conſcientia erronea.

Præmitti hic ſolet brevis explicatio conſcientiæ rectæ; quia vero de ea nihil notabile, aut diſputabile occurrit, ad alia propero: utiliter tamen legentur pauca illa, quæ de conſcientia recta ſcripſit Reiffenſtuel T. 1. diſt. 3. n. 4. & ſeqq. Jam agendo de conſcientia erronea

Notandum eſt, conſcientiam aliquam eſſe *vincibiliter*, aliam *invincibiliter* erroneam. Conſcientia *invincibiliter* erronea eſt, quando error, ex

ex quo nafcitur talis confcientia, morali diligentia, ad inquirendam veritatem adhibita, fuperari, ac tolli non poteft. *Vincibilis* eft, quando error morali diligentia tolli, ac fuperari poteft. Error *vincibilis*, & confcientia *vincibiliter* erronea vocatur etiam *culpabilis*, quando verfatur circa rem fcitu neceffariam, quam operans fcire tenetur: non autem eft culpabilis, fi verfetur circa objectum, cujus fcientia operanti non eft neceffaria, fed libera.

§. I.

Refolvuntur varia de Confcientia erronea.

440 Quæres 1mo. An, & quomodo obliget confcientia erronea? R. 1. Confcientia invincibiliter erronea, dictans aliquid per modum præcepti, obligat, ut eam fequaris: & fi contra eam facis, peccas, & quidem peccato illius fpeciei, intra quam te peccare erronée judicas. Ita communiffima Th. Th. P. 1. Juxta S. Paulum ad Rom. 14. *Omne, quod non eft ex fide, peccatum eft*, id eft, ut SS. PP. communiter exponunt, omne quod non eft fecundum confcientiam, peccatum eft. Et juxta Innocentium III. c. *Literas* 13. *de Reftitut. fpoliatorum*: *Quidquid fit contra confcientiam, ædificat ad gehennam*: fed qui agit contra confcientiam invincibiliter errantem, & aliquid proponentem per modum præcepti, agit fimpliciter contra confcientiam: ergo talis peccat, & ædificat ad gehennam.

P. 2. Si intellectus proponit voluntati actionem ut malam, efto, mala non fit; fi tamen voluntas eam velit facere, jam vere confentit in malitiam ejus, habetque fufficientem affectum ad peccatum ab intellectu apprehenfum: atqui confentire in malitiam moralem & habere affectum ad peccatum ab intellectu apprehenfum jam eft ex fe peccaminofum: ergo.

P. 3. Objectum tribuit actui humano bonitatem, vel malitiam moralem non fecundum effe, quod habet in fe a parte rei, fed fecundum illud, quod voluntati per intellectum, & confcientiam hic & nunc proponitur: ergo fi objectum aliquod etfi erronee, per confcientiam proponitur ut malum moraliter, tunc & malitiam moralem in actum humanum derivat, pofito, quod voluntas in objectum fic erronee propofitum per actum aliquem confentiat. Ex his

Infer-

Infertur 1. Eum, qui omittit aliquid, ad quod erronee putat se obligari sub gravi culpa, graviter quoque peccare, & illum leviter, qui facit aliquid, ad quod omittendum se erronee judicavit obligari sub levi.

Infertur 2. Eum, qui omittit Sacrum die non festivo, credens falso, se ad illud audiendum adstringi, delinquere contra virtutem religionis: Illum vero, qui accedit ad suam uxorem, credens per errorem, eam esse alienam, peccare peccato adulterii.

Objic. Nemo potest obligari ad malum: sed sæpe est malum illud, quod conscientia invincibiliter erronea dictat, esse sub peccato faciendum: ut, dum invincibiliter dictat, esse mentiendum, vel peccandum ad salvandam vitam proximi: ergo nemo potest obligari a conscientia invincibiliter erronea, etiam tunc, dum dictat, aliquid sub præcepto esse faciendum. R. D. M. Nemo potest obligari ad malum formaliter tale, & quando voluntati per conscientiam, & intellectum proponitur sub ratione mali c. M. quando formaliter, & practice voluntati proponitur sub ratione boni n. M. & sic dist. m. N. c.

Ad alias objectiones solvendas Nota, dari duplicem legem æternam, *directam* unam, alteram *reflexam*: *Directa* prohibet perjurium, mendacium, & alia similia: *Reflexa* vero permittit hoc, aut omnino imperat in casu per accidens contingente, quo invincibiliter creditur, tale perjurium &c. esse licitum, aut omnino præceptum. Vide de hoc dicta immediate ante n. 392. Jam ad quæstionem supra positam

R. 2. Conscientia vincibiliter erronea, dictans, aliquid esse præceptum, quod tamen a parte rei nec præceptum, nec prohibitum est, sed vere licitum, obligat, ut eam sequamur, vel saltem deponamus: sic, si dictet conscientia vincibiliter erronea, hodie esse jejunium sub peccato præceptum, debet talis aut jejunare, aut indagando in rei veritatem venire, & sic deponere conscientiam, ac erroneam suam opinionem de jejunio hodie præcepto, quod tamen præceptum non est. Ratio hujus est: si talis non deponeret conscientiam suam, licet vincibiliter erroneam, & non jejunaret die illo, quo falso credit esse jejunandum, tunc esset virtualiter ita dispositus: sive præceptum sit jejunium, sive non, nolo illud observare, quod utique virtualem contemptum sonat præcepti; atque iste homo 441

ſimili modo 1mo manifeſto ſe exponeret periculo violandi præceptum, forte a parte rei revera exiſtens: 2do ageret contra conſcientiam, quamvis vincibiliter erroneam: ergo peccat, ut conſtat ex Reſponſ. prima.

442 R. 3. Si conſcientia vincibiliter erronea proponit aliquid ut præceptum, quod tamen a parte rei prohibitum eſt: tunc eam, quamdiu manet, nec ſequi, nec contra eam facere poſſumus: hinc in tali caſu obligamur ut per indaginem certæ veritatis iſtum errorem deponamus. E. g. conſcientia vincibiliter erronea dictat, ſub præcepto gravi perjurium eſſe committendum ad liberandam vitam proximi: tunc in hoc caſu neque ſtatim poteſt talis homo omittere perjurium; quia ſic ageret contra conſcientiam, & peccaret: neque poteſt ſequi conſcientiam; quia hæc eſt vincibiliter erronea, quæ, ſicut & ignorantia vincibilis, non excuſat a culpa; cum enim in noſtra poteſtate ſit, errorem vincibilem deponere, malum, quod ſit ex conſcientia vincibiliter erronea, dictante, illud eſſe faciendum, eſt indirecte voluntarium, ideoque imputatur ad culpam. Ex his igitur ſequitur, ut homo ſic vincibiliter errans, adhibita morali diligentia debeat conſcientiam erroneam prius deponere, ac rei veritatem indagare, antequam operari, aut jurare præſumat.

443 Quæres 2. Quale peccatum committat ille, qui facit aliquem actum, quem conſcientia dictat quidem eſſe peccatum, ſed non dictat, quale ſit peccatum, an grave, an leve?

R. Si revera in praxi aliquando detur caſus, quo cognitio abſtrahat penitus a malitia mortali, & veniali, & tantum in genere dictet, aliquem actum eſſe peccatum, tunc committens illum peccat tantum venialiter. Ita Holzman, ac multi alii. Ratio hujus eſt: quia non poteſt peccari mortaliter, niſi malitia mortalis, vel ſaltem ejus periculum cognoſcatur: ſed in tali caſu non cognoſcitur ipſa malitia peccati mortalis, neque periculum ejuſdem: ergo in tali caſu non peccatur mortaliter. M. conſtat ex Aſſertis de voluntario. m. etiam patet; quia hic ſolummodo ſupponitur cognoſci malitia generica, penitus abſtrahendo, & nihil cogitando de malitia mortali, vel veniali ſive determinate, ſive indeterminate ſumpta. Peccat tamen talis venialiter; quia ad peccatum veniale ſatis eſt, quod homo cognoſcat ſe peccare, & non cognoſcat ſe mortaliter peccare. Verum hæc reſponſio ſpeculativa eſt, & in praxi vix locum habet;

nam,

nam, ut advertit D. Thomas apud La Croix, in praxi vix fiet, ut operans, qui cognoscit, aliquid esse malum moraliter, non simul saltem implicite, & exercite agnoscat, illud esse mortale, vel veniale. Quare

Petes: Quid agendum, si pœnitens dicat, se tantum attendisse ad malitiam actus, non autem advertisse, an malitia gravis, vel levis sit? Respondeo: Confessarius talis pœnitentis ad duo advertat, & facile colliget, qualiter peccarit hic pœnitens. 444

Primo attendat ad materiam, an gravis, vel levis sit: &, si materia gravis sit, censeat peccatum esse grave, si levis, judicet culpam esse quoque levem. Ita Herincx, & apud hunc Marchant, ac Præpositus. Ratio hujus est: quia ipsa gravitas materiæ ingerit saltem implicitam, & exercitam notitiam gravis malitiæ, etsi hanc notitiam reflexe, & signate nesciamus discernere. Sic, qui in genere tantum apprehendit esse peccatum, si res aliena furto subducatur, tunc certe furti gravis arguitur, si materia rei ablatæ sit gravis: ex opposito, si materia sit levis, talem peccati vanialis tantum reum judicamus.

Secundo attendi potest ad dispositionem animi pœnitentis, si enim ille, qui cum metu, vel cognitione peccati in genere operatur, esset ita dispositus animo, ut vellet actum hunc facere, sive sit peccatum mortale, sive veniale, tunc sine dubio peccaret graviter, etsi foret materia tantum levis. Ratio est: quia taliter se exponit voluntarie periculo peccandi graviter, & quia saltem indeterminate amplectitur malitiam mortalem. Satis hoc constat ex præcedentibus. Ita etiam peccaret graviter ille, qui malitia in genere cognita, nollet ulterius indagare, an ea venialis, vel mortalis sit, ne forte, si in cognitionem veritatis veniret, deberet abstinere ab actione sibi grata; hic enim procederet mala fide, & ipsi conveniret illud Psal. 35. ℣. 4. *Noluit intelligere, ut bene ageret.*

Potest quoque inspici ipsa conscientia, quomodo se habuerit; si enim tantum leviter horruit, facere aliquem actum, tunc apprehensa est solum malitia levis: si autem mens multum timuit, facere actionem similem, tunc censetur fuisse apprehensa malitia gravis. Ita La Croix. Verum hoc ultimum videtur pati aliquam exceptionem; sunt enim aliqui profligatæ conscientiæ, qui etiam in scelera gravissima sese immittunt, neque inde multos timores internos sentiunt:

sunt & alii timoratæ mentis, qui non solum graviter horrent mortalia, verum & venialia. Quare si ultimam hanc regulam applicare velis, attendas prius, cujusnam conditionis, & conscientiæ hominem ante te habeas.

445 Quæres 3. An peccet ille, qui habet legitimam excusationem v. g. non audiendi Missam die festo, dicitque, se eam audire non posse, credit tamen simul erronee, se peccare non audiendo?

Respond. 1. Si talis absolute non potest audire, e. g. quia est in loco, ubi non potest habere Missam, vel si est violenter detentus in carcere, tunc non obstante sua conscientia erronea non peccat. Ratio hujus est: quia talis non habet libertatem requisitam ad audiendam Missam: ergo non potest peccare per omissionem; nam ad peccatum requiritur libertas indifferentiæ, ita ut quis possit facere, vel omittere rem.

Respond. 2. Si autem aliquis absolute posset audire Missam, etsi v. g. ob febrim, vel alium morbum non teneretur, tunc talis erronee credens, sed obligatum ad audiendam eam, peccaret illam omittendo. Ratio hujus est: quia conscientia erronea ex una parte judicaret, talem obligari ad audiendam Missam: & ex altera parte simpliciter esset in potestate, & libertate istius hominis, audire Missam: ergo eam non audiendo peccaret; quia neque cognitio malitiæ, neque libertas ad peccatum requisita, neque aliquid aliud deest. Quæ adhuc scienda restant de conscientia erronea, & ejus depositione, passim in Theologis moralibus videri possunt.

§. II.

An Opus ex Conscientia invincibiliter erronea factum, possit esse positive honestum, & moraliter bonum?

Ut quæstio magis intelligatur, ponamus sequentes casus. Unus confert eleemosynam homini, quem invincibiliter putat pauperem, qui tamen non est pauper: alter adorat hostiam non consecratam, quam tamen inculpabiliter credit esse consecratam: tertius honorat Joannem ut Patrem, qui non est suus Pater, etsi talem invincibiliter judicet: quartus invincibiliter existimat, se actum charitatis exhibere, si mentiatur ob vitam alterius conservandam. Quæritur jam, an

an primus revera actum misericordiæ, secundus actum religionis, tertius actum pietatis, quartus actum charitatis exerceant? H. N.

Assero: Opus ex conscientia invincibiliter erronea modo mox 446 explicato factum, est positive honestum, & moraliter bonum. Herincx, Holzman, ac communiter DD. contra paucos alios.

P. 1. S. Bernardus *de præcepto, & discipl.* c. 12. & 17. docet, obedientem, vel operantem ex bona intentione, operari laudabiliter & meritorie, quamvis forte materialiter operetur contra legem Dei. Id ipsum tenent alii SS. PP. apud Terillum allegati: ergo.

P. 2. Actus humanus, & moralis non recipit bonitatem, & honestatem ab objectis, prout hæc in se sunt, sed prout per intellectum, & conscientiam proponuntur: ergo si objecta per intellectum invincibiliter errantem proponuntur ut bona, etiamsi in se bona non sint, refundent tamen bonitatem moralem in actum humanum, & moralem.

P. 3. Tunc actus voluntatis est positive honestus, & moraliter bonus, quando appetit veram rationem honestatis: sed voluntas in casu Assertionis appetit veram rationem honestatis, ab intellectu sibi repræsentatam: ergo &c.

Dices: Saltem intellectus honestatem objecto inepto, & in se malo applicat. Contra est: Hæc applicatio solum indicat errorem in intellectu, & quidem inculpabiliter factum, non vero involvit defectum in voluntate; hæc enim non errat, dum sequitur ductum invincibilem rationis, etsi ratio forte erret.

P. 4. Ille positive honeste, & laudabiliter agit, qui sequitur optimam regulam operandi, quam hic & nunc habere potest, & debet: sed ille, qui sequitur conscientiam invincibiliter erroneam, sequitur regulam optimam, quam hic & nunc habere potest, & debet: ergo ille, qui sequitur conscientiam invincibiliter erroneam, positive honeste, & laudabiliter agit. M. videtur lumine naturæ nota; quippe ille prudenter agit, qui sequitur regulam optimam, quam potest, & debet habere: ergo etiam agit honeste, & laudabiliter; cum actio prudenter facta, & actio moraliter bona, ac honesta sint synonyma. m. iterum constat: eo ipso enim, quod conscientia erronea sit invincibilis, error iste non potest deponi, consequenter

 alia,

alia, & melior confcientia formari non poteft, loquendo de confcientia, & dictamine fpeculativo.

P. 5. Quando quis agit ex intentione bona, & fimul elicit actionem conformem divino præcepto, agit pofitive, & moraliter bene, ac honefte: fed, qui agit fecundum dictamen confcientiæ invincibiliter erroneæ, fupponitur in noftro cafu agere ex intentione bona, motivo virtutis, v. g. pietatis, mifericordiæ, charitatis &c. & fimul agit conformiter præcepto divino, quod præcipit, ut dictamen confcientiæ, etiam invincibiliter errantis, fequamur: ergo.

Ex his igitur *habes 1mo.* Talem actum, ex confcientia invincibili factum, effe moraliter bonum, & illius virtutis, ad quam eum quis erronee credit pertinere. *Habes 2do.* Quod talis actus etiam poffit effe meritorius, & quidem de condigno, dummodo cæteræ conditiones, quæ præter honeftatem operationis ad meritum de condigno requiruntur, adfint. Ita advertit Holzman.

447 Objic. 1. Actus bonus debet dirigi a ratione recta: fed actus, qui procedit ex confcientia invincibiliter erronea, non dirigitur a ratione recta: ergo actus, qui procedit a confcientia erronea, non eft bonus. M. eft. D. Auguftini, & S. Thomæ, prout eos citat La Croix: & patet ex ratione; quia omnis actus moraliter bonus debet effe prudens, & debet dirigi a prudentia, confequenter a recta ratione. m. per fe conftat: quia error pugnat contra rectam rationem: adeoque actus, qui procedit ex errore, feu confcientia erronea, non dirigitur a recta ratione.

R. D.M. Actus bonus debet proxime dirigi a recta ratione c. M. remote etiam n. M. & fic dift. m. n. c. Confcientia invincibiliter erronea tantum fe remote habet ad actum moralem: proxime vero fe habet aliud dictamen reflexum, quod vel virtualiter, vel formaliter femper adeft, quoties quis operatur ex confcientia invincibiliter erronea. Sic, dum quis invincibiliter putat, mendacium effe actum bonum, & virtuofum, habet duplex dictamen: Unum eft remotum, & directum, quo judicat invincibiliter, mendacium, etiam materialiter, & objective confideratum, effe bonum: & hoc utique eft falfum, ac difforme fuo objecto; cum mendacium objective confideratum, ac materialiter, fit certo malum. Alterum dictamen eft reflexum, & practice practicum, quod dicit, mendacium effe formaliter bonum, & virtuofum in cafu, quo intellectus id invincibiliter

liter judicat, & apprehendit esse bonum: Et hoc dictamen est verum, & conforme suo objecto: quia mendacium invincibiliter propositum ut bonum, est revera formaliter bonum, & est actus virtutis, ut probationes nostræ evincunt. Ex hac responsione ad objectionem propositam

Deduces 1. Dictamen remotum conscientiæ invincibiliter errantis 448 non esse actum prudentiæ, imo & dictamen mere probabile non posse esse verum, & proprie dictum actum prudentiæ. Ratio hujus est: quia actus prudentiæ est dictamen certum, rectum, ac verum, quale nec est dictamen conscientiæ invincibiliter errantis, nec probabilis. Quare prudentia non elicit hoc dictamen speculativum, quod hæc in individuo hostia sit consecrata, quod hic homo sit meus Pater &c. hæc enim dictamina sunt fallibilia: sed elicit duntaxat judicium practicum, quod hic & nunc honeste sit adoranda hostia, de cujus consecratione non est rationabile dubium, & quod hic homo in individuo sit hic & nunc honorandus ut Pater, de quo non est prudens dubium, an talis non sit. Et hæc dictamina practica sunt certa.

Deduces 2. Dictamen remotum physice erroneum, posse tamen dici quodammodo ethice rectum, non quidem formaliter, & proxime, sed quasi occasionaliter, & remote, quatenus occasionem præbet intellectui efformandi dictamen ultimum prudentiæ formaliter rectum, & verum.

Deduces 3. Quamvis dictamen prudentiæ non sit mere probabile, sed certum, & verum, posse tamen per prudentiam præscribi, & judicari, esse adhibendam considerationem opinionum mere probabilium, ut eorum motivis expensis, ultimum, ac certum dictamen prudentiale fieri valeat. Quare, etsi actus a prudentia elicitus nequeat esse mere probabilis, potest tamen actus ab ea præscriptus, & directus esse talis. Dixi actus *præscriptus*, *directus*, *dictatus*, non autem *imperatus*, prout TTæ. loquuntur; nam prudentia, ceu virtus intellectualis, non potest imperare, & præcipere, cum imperium in sola voluntate detur: bene autem potest directive præscribere, dictare ac judicare, hoc esse faciendum.

Objic. 2. Juxta D. Thomam q. 19. art. 6. ad 1. ad aliquam actionem moraliter bonam requiritur, ut secundum suam naturam sit bona, & ut apprehendatur tanquam bona: sed mendacium ex conscientia erronea putatum bonum, non est ex natura sua bonum: ergo 449

men-

mendacium non eſt actio moraliter bona. R. D. M. juxta S. Thomam hæc requiruntur ad actionem abſolute bonam, ſeu ad actionem illam, quæ tam materialiter, quam formaliter eſt bona c. M. quæ tantum eſt formaliter bona n. M. &c.

Dices: Bonitas materialis eſt fundamentum bonitatis formalis: ergo ubi non datur bonitas materialis, non datur bonitas formalis. R. D. a. bonitas materialis exiſtimata c. a. bonitas materialis a parte rei revera exiſtens *ſubd.* eſt fundamentum aliquod remotum, & non neceſſarium ad bonitatem formalem fundandam c. a. eſt fundamentum proximum n. a. Fundamentum proximum bonitatis formalis eſt bonitas materialis invincibiliter exiſtimata, & per intellectum propoſita, & hæc ſic exiſtimata transfundit bonitatem formalem in actum, non autem bonitas materialis, & objectiva in ſe, & a parte rei talis.

Objic. 3. Mendacium eſt contra legem Dei: ergo non poteſt eſſe bonum. R. D. a. Mendacium eſt contra legem Dei per ſe, c. a. eſt contra legem Dei etiam per accidens, quando invincibiliter putatur eſſe bonum n. a. In hoc enim caſu mendacium eſt conforme legi Dei, ſaltem reflexæ: talem autem legem reflexam debere admitti, inferius pluribus oſtendetur.

Objic. 4. Mendacium, etiam invincibiliter putatum bonum, ſaltem eſt oppoſitum bonitati Dei: ergo non eſt bonum. R. N. a. Mendacium enim, invincibiliter putatum bonum, revera eſt conforme voluntati Dei ſecundariæ, & reflexæ: ergo non poteſt eſſe oppoſitum bonitati divinæ.

Objic. 5. Peccator, qui bona fide putat, ſe eſſe in ſtatu gratiæ, per hoc non eſt in ſtatu gratiæ: & qui putat, ſe elicere actum meritorium ut octo, per hoc non elicit actum meritorium ut octo: ergo a pari, qui bona fide putat, ſe mentiendo bene agere, per hoc non bene agit, dum mentitur. R. N. c. & parit. Dictamen conſcientiæ, dictans, aliquid eſſe bonum, vel malum, eſt regula, & menſura actuum humanorum: ergo mirum non eſt, quod tale dictamen poſſit bonitatem, vel malitiam transfundere in actum humanum: contra vero hæc dictamina, quibus aliquis credit, ſe eſſe in ſtatu gratiæ, vel ſe agere taliter, vel taliter meritorie, non ſunt menſuræ, aut regulæ ſtatus gratiæ aut meriti; ſive enim talia dictamina adſint, ſive abſint, ſtatus gratiæ eſt idem, adeoque nulla eſt paritas.

Objic.

Objic. 6. Actus morales specificantur ab objecto: ergo ubi objectum est malum, etiam actus est malus. R. D. a. specificantur ab objecto, prout est in se n. a. prout nobis per intellectum repræsentatur c. a.

Objic 7. Deus nulla falsa religione quamvis quis eam invincibiliter putet esse bonam, recte colitur: ergo neque recte colitur per opus malum, quamvis quis invincibiliter putet, illud esse bonum. R. N. a. Si enim aliquis Judæus invincibiliter crederet, Deum per ceremonias antiquæ Legis rite etiamnum coli, & ex hac inculpabili credulitate, atque ex motivo Deum colendi ceremonias Legis antiquæ exerceret, vere moraliter bene ageret, & cultum moraliter honestum Deo exhiberet, quamvis defacto hæ ceremoniæ Legis antiquæ sint prohibitæ. Religio siquidem, tanquam virtus in voluntate residens, non respicit objectum suum, prout illud est in se a parte rei, sed prout repræsentatur a dictamine intellectus. Ratio rationis: quia voluntas, tanquam potentia cæca, non potest immediate in objectum aliquod tendere, sed præsupponit essentialiter cognitionem intellectivam, ac solummodo tendit in objecta, prout ea sunt repræsentata per intellectum; ea de re etiam actus voluntatis non specificantur ab objectis, prout illa sunt in se, sed prout per intellectum proponuntur.

Objic. 8. juxta dicta in Tractatu de Virtutibus Theologicis, actus fidei supernaturalis non potest versari circa articulum falsum, etsi is invincibiliter putetur esse verus, & revelatus a Deo: ergo etiam actus charitatis supernaturalis, & meritorius non potest versari circa objectum malum, v. g. circa mendacium, etsi illud invincibiliter putetur bonum. R. N. c. & parit. Actus fidei est actus intellectus: actus autem charitatis est actus voluntatis: magna vero est diversitas inter actus voulntatis, & intellectus; actus enim voluntatis, ut immediate est dictum, suam perfectionem, & bonitatem trahunt ab objecto, non prout est in se, sed prout hoc per intellectum proponitur: contra vero actus intellectus accipiunt suam perfectionem, & veritatem, prout hoc est in se, & a parte rei; objecto enim in se spectato conformari debet actus intellectus, ut non sit erroneus, aut falsus. Quare veritas tantum putata, non facit actum fidei verum. Sic etsi quis rusticus invincibiliter putaret, esse revelatam Incarnationem Spiritus sancti, propter hanc suam inculpabilem existimationem non esset verus, sed esset erroneus hic actus, quo diceret: *Spiritus Sanctus est incarnatus.*

Objic. 9. Saltem actus mendacii, invincibiliter putatus bonus, non esset meritorius, *tum*: quia absurdum est, quod actus intrinsece malus sit meritorius. *tum*: quia ad omnem actum meritorium præmii supernaturalis debet concurrere gratia: sed absurdum est, quod ad actum intrinsece malum gratia divina concurrat: ergo. R. N. illat. Ad prob: utramque dico, quod absurdum sit, actum intrinsece malum esse meritorium, & ad eum gratiam concurrere per se, non autem per accidens in casu illo, quo malitia intrinseca, & objectiva invincibiliter non advertitur, & actus conformis est voluntati, & legi divinæ saltem secundariæ, & reflexæ.

Articulus III.

De Conscientia Dubia.

§. Unicus.

Varia notanda de Conscientia Dubia.

45* Nota 1. Omnia illa, quæ de dubio dicta sunt n. 435.

Nota 2. Dubium aliud esse positivum, & aliud *negativum.* In terminorum horum explicatione Authores non consentiunt: Aliqui putant, dubium *negativum* tunc dari, quando intellectus indagans in veritatem rei, nec invenit rationem pro, nec contra talem veritatem, quam inquirit, & propterea ob defectum omnis rationis, & motivi suspendit omnem assensum, neque affirmat aliquid, neque aliquid negat. Taliter aliquis negative dubitare posset, an stellæ sint numero pares, vel impares, an Cæsar modo dormiat, vel non dormiat. Verum, ut notat La Croix cum aliis apud eundem: quando nulla prorsus ratio pro alterutra contradictionis parte occurrit, tunc est mera nescientia, non autem est verum aliquod dubium morale. Ratio hujus est: quia ad dubium morale requiritur, ut intellectus vacillet, & per rationes oppositas in hanc partem trahatur, & simul retrahatur in aliam. item: dubitans interrogatus, cur dubitet? debet saltem aliquam causam sui dubii assignare posse: quæ omnia non salvantur, si nullum omnino motivum, vel ratio occurrat.

Bandi vero apud Antonium Mayr judicat, illam suspensionem assensus, quæ habetur ob carentiam omnis motivi, esse quidem dubium *metaphysicum*, non vero *morale*; nam, quando intellectus non habet motivum pro alterutra contradictionis parte, & tamen adhuc dubitat, tunc ideo hæret, quia videt, posse utrumque esse, v. g. qui juxta hanc explicationem sine motivo aliquo dubitat, an Petrum occiderit, nec ne, ideo dubitat solum, quia potuit occidere: adeoque tale dubium fundatur in mera physica, vel metaphysica possibilitate alicujus rei, quod dubium in moralibus non attenditur. Quare in sensu morali

Dubium *negativum* est suspensio intellectus, habentis quidem aliquam, sed non tam gravem rationem, vi cujus possit formari aliquod judicium probabile. Si autem intellectus habet motivum sufficiens ad formandum judicium probabile, tamen vel ratione voluntatis, nolentis applicare intellectum, vel aliunde fit, ut nullum judicium determinatum ponatur, tunc est dubium *positivum*. Exempla dubii positivi præbent plurimæ opiniones oppositæ vere tamen probabiles.

Dubium denuo dividitur in dubium *Juris*, & dubium *facti*. Dubium *juris* versatur circa legem, & ejus obligationem: v. g. quando dubitatur, an existat lex obligans ad jejunium, validans vel invalidans contractum, hoc, vel illud permittens &c. item: an Lex se ad illum casum extendat?

Dubium *facti* versatur circa factum, ut, si dubitatur: an aliquid factum, vel omissum sit, v. g. an. Breviarium sit recitatum, Missa die festo audita &c? Vel dubium *facti* datur, quando aliquis, sciens legem, dubitat de aliqua re in particulari, quæ est objectum alicujus actionis moralis, ut: si sciens, esse prohibitum, die festo laborare, dubitat, an dies, quo vult laborare, sit festivus. Item: si aliquis sciens, prohibitam esse lectionem librorum hæreticorum, dubitet, an liber, quem intendit legere, sit hæreticus.

Sæpe tamen quæstio, & dubium facti post se trahit dubium juris, & vicissim. Sic, si hæsites, an dixeris hodie Breviarium? est dubium facti: ex hoc autem statim oritur aliud dubium juris, an nempe adhuc sis obligatus ad dicendas horas illas, de quarum recitatione dubitas? Item: potes dubitare, an feceris votum? Et hoc est quid facti, ex quo tamen statim oritur dubium juris: an modo sis

obligatus ad servandum votum dubie emissum? Item ex dubio juris, quo dubitatur, an jus divinum validum pronunciet baptismum, aqua rosacea collatum, potest oriri dubium facti, an ipse baptismus, sic de facto collatus, sit a parte rei validus?

451 Nota 3. Non licere, operari cum conscientia practice dubia de honestate actus, ut dictum est n. 436. Ad hoc autem, ut aliquis dicatur, agere cum conscientia practice dubia, & ut sic agendo peccet, videtur requiri aliqua cognitio, saltem exercita, malitiæ operationis, cum tali dubio factæ; nam ad omne peccatum requiritur cognitio malitiæ: ergo aliquis agens cum dubio de honestate actus, non peccaret, nisi simul saltem exercite cognosceret, se taliter cum dubio agendo peccare. Verum practice loquendo, in omni dubio practico videtur adesse exercita illa cognitio malitiæ actus, cum tali dubio facti; nam cum dubio præfato semper conjungitur timor, & fuga mali, seu peccati: quod inde fit, quia exercite saltem apprehenditur malitia actus. Ita Cardenas apud La Croix.

452 Nota 4. Ex dubio speculativo nascitur per se loquendo dubium practicum, quando scilicet non occurrit ratio, propter quam dubium illud speculativum deponatur, vel saltem ex aliis principiis fiat judicium rite fundatum de licentia, & honestate actionis. Communiter DD. apud Herincx. Ratio est: si dubito speculative, an liceat die festo pingere, neque alia via occurrit dissolvendi dubium, aut me practice resolvendi in particulari casu, quo ego pingere meditor die festo, tunc & dubium oriri debet practicum de hac ipsa particulari actione. Sic etiam ex dubio speculativo, quo hæreo, sit ne hodie præceptum jejunium, nascitur dubium practicum de ipsa comestione carnium hic & nunc hodie facienda, an sit licita, nisi hoc dubium inquirendo veritatem deponam, vel saltem me rite practice resolvam, me non esse obligatum ad jejunandum. An autem & quando stante dubio speculativo possit deponi dubium, & fieri resolutio practica, in sequentibus dicetur.

453 Nota 5. Licitum esse, operari cum conscientia speculative dubia, dummodo ea stante formetur dictamen practice certum de honestate actionis, seu dummodo absit dubium practicum. Sic Judex speculative dubitans, pro qua parte litigante stet jus, potest stante hoc dubio sententiam ferre pro una determinata parte, formans sibi dictamen ultimum practice certum hoc modo; *Quando jus est dubium, & non*

& non conſtat, cui parti litigantium illud magis faveat, tunc debeo ſententiam ferre pro illa parte, quæ habet poſſeſſionem. Quod autem cum judicio ſpeculative dubio poſſit ſtare judicium practicum certum, inde colligitur, quia ex aliis principiis deducitur judicium ſpeculativum, & ex aliis practicum; ſpeculativum enim deſumitur ex objecto ſecundum ſe ſpectato: practicum vero ex objecto certis circumſtantiis veſtito, & ex principiis reflexis. Quare licet Judæi 1. Machab. c. 2. ſpeculative cognoverint, præliari Sabbatho eſſe illicitum, utpote vetitum Lege Moſaica, practice tamen judicarunt, id non eſſe illicitum in hoc ſpeciali caſu, in quo eſſet avertendum periculum excidii, impendentis integræ nationi Judaicæ.

Nota 6. Ut in dubio ſpeculativo de honeſtate actionis rite ſe 454
aliquis reſolvat, & faciat dictamen ultimum certum practicum, debet 1*mo*. adhibere debitam diligentiam ad inquirendam veritatem, & vincendum dubium. Ita Herincx, Sporer, La Croix, & alii. Ratio eſt: quia ſine morali diligentia ad veritatem inquirendam adhibita, imprudenter, & temere ageres, te reſolvendo: adeoque per talem imprudentem reſolutionem non excuſareris a peccato. Sic ille, qui dubitat, an hodie ſit jejunium præceptum, antequam ſe reſolvat ad comeſtionem carnium, debet ante omnia moralem diligentiam adhibere in indaganda veritate, v. g. inſpiciendo Kalendarium, interrogando alios. Si autem veritas, etiam omni moraliter debita, & poſſibili opera impenſa, deprehendi non poteſt; tunc requiritur 2*do*. cauſa rationabilis, & ſufficiens, dictans, talem actionem hic & nunc cum tali dubio invincibili ſpeculativo exercitam, non eſſe illicitam. Ratio hujus eſt: ſi non haberetur cauſa, & motivum rationabile, ac ſufficiens, cohoneſtans talem actionem, tunc non haberetur dictamen certum de honeſtate actionis: atqui ad peccatum evadendum requiritur juxta dicta ultimum dictamen certum de honeſtate actionis: ergo. Cæterum, an, & quando poſſit formari, ſtante dubio, dictamen ultimatum practicum, excuſans a peccato, inferius dicetur, ubi etiam de regula poſſeſſoria, quando, & ubi habeat locum, decidetur.

Dissertatio II.

DE CONSCIENTIÆ, ET SENTENTIÆ PROBABILIS USU.

Controversia hæc primas sibi petit inter omnes illas, quæ ad mores spectant, & mirum in modum jam fatigavit Theologorum ingenia: quare & longi, & multi Tractatus de hac re jamjam in lucem prodiere. Meretur igitur ampliorem discussionem; quæ, ut debite fiat, in plures Articulos erit dissecanda. Quare sit

Articulus I.

De Natura Opinionis, seu Sententiæ vere probabilis.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Opinio, & Sententia probabilis?

455 Assero 1. Opinio, seu Sententia probabilis est judicium intellectus incertum, nixum tamen motivo positivo, tam absolute, quam respective gravi. Est in re communis.

Dicitur 1. *Judicium*, ut opinio probabilis distinguatur a dubio, quod est suspensio omnis judicii.

Dicitur 2. *incertum*, id est, nec certo verum, nec certo falsum, proinde conjunctum cum formidine vel actuali, vel radicali de opposito.

Dicitur 3. *nixum motivo positivo*; si enim opinio pro se non habet motivum positivum, quamvis etiam contra se nullam rationem habeat, non erit theologice probabilis, sed erit probabilis mere negative, seu non improbabilis.

Dicitur 4. *gravi*, id est, opinio probabilis debet niti motivo magni momenti, & tali, quod sua efficacia possit virum prudentem movere ad assensum, & cui præbens assensum non meretur reprehendi. Per has Particulas differt sententia probabilis ab improbabili, quæ habet motivum indignum assensu.

Dici-

Dicitur 5. *absolute gravi:* nempe motivum assensus probabilis debet esse secundum se grave, & non tantum ex aliquo accidente, v. g. vehementi passione, pertinacia, inordinato affectu, socordia ulterius inquirendi in verum: ut recte advertit La Croix.

Dicitur 6. *& respective*, seu comparative *gravi*: id est, motivum sententiæ theologice probabilis non solum debet esse efficax, & grave, si in se solitarie inspicitur, sed debet tale esse quoque, & manere, si comparetur cum motivis partis oppositæ, ita, ut ab his non enervetur illius efficacia, & vis trahendi ad assensum.

Verum hæc definitio est data solum de opinione probabili *formali*, quæ consistit in formali assensu intellectus. Est autem & aliqua opinio probabilis *objectiva*, & nihil aliud est, quam propositio aliqua objectiva incerta, nixa tamen motivo tam respective, quam absolute gravi, abstrahendo interea, an intellectus tali propositioni, & sententiæ objectivæ formalem assensum præbeat, necne. Sic enim potest aliqua sententia probabilis, & ejus grave motivum proponi intellectui, qui tamen adhuc suspendit suum assensum formalem, & habetur opinio probabilis objectiva, non autem formalis; nam formalis opinio consistit in assensu actuali, & formali intellectus. Quæstio autem præsens: *An liceat sequi sententiam probabilem?* videtur potius agere de opinione probabili objectiva, quam formali, ut amplius colligetur ex dicendis. Ex his

Deduces 1. Aliud esse sententiam *certam*, & aliud opinionem 456 *probabilem*; sententia enim *certa* habet aliquam infallibilitatem, ita, ut falsa esse nequeat, & si est certitudo *metaphysica*, tunc per absolutam Dei potentiam, si est *physica*, tunc naturaliter, & secluso miraculo, tandem si est certitudo *moralis*, tunc moraliter implicat, talem sententiam esse falsam. Proinde & certitudo moralis excludit omnem formidinem prudentem, etiam radicalem; esto enim, quod naturaliter sententia moraliter certa posset adhuc esse falsa, ac objectum aliter se habere, quam judicatur per talem sententiam, id tamen non esset possibile, nisi valde raro, & cum magna difficultate, ut adeo excludatur omne dubium prudens de falsitate similis sententiæ moraliter certæ. Contra vero sententia probabilis, imo etiam probabilissima non excludit omne dubium, & formidinem saltem radicalem de opposito, eoquod omnis opinio probabilis nitatur motivo moraliter fallibili, vel si habeat pro se rationem aliquam infallibilem,

lem, ejus tamen infallibilitas non debeat esse rite penetrata, aut perspecta intellectui.

Deduces 2. Sententiam probabilem, quamvis sit fallibilis, nihilominus debere habere apparentiam veritatis magnam, & tantam, quæ prudenti motivo nitatur.

Deduces 3. Longe aliam esse probabilitatem *theologicam*, quam illam *Academicorum* veterum, quos tribus Libris impugnat D. Augustinus; illi enim Academici docuerunt, licitum esse, agere id, quod intellectus non potest prudenter judicare, esse licitum. Colligitur id ex S. Doctore laudato, qui L. 2. c. 11. ita loquentem inducit Licentium: *Id probabile, vel verisimile Academici vocant, quod nos ad agendum sine assensione potest invitare: sine assensione autem dico, ut id, quod agimus, non opinemur verum esse, aut nos id scire arbitremur, agamus tamen &c.* His Academicis omnia quoque erant incerta: & sicut nihil ipsis erat certum, ita & omnia, etiam turpissima quævis erant probabilia, adeoque licita: quæ omnia abludunt a mente Theologorum Catholicorum, admittentium licitum usum sententiæ probabilis, ut clarum est cuilibet vel leviter tincto sacra scientia. Ex quo legitime sequitur, S. Augustinum nullatenus scripsisse contra probabilitatem Theologicam, dum illos Academicos, tam male probabilitatem explicantes, impugnavit.

Deduces 4. Nullam Hæresin, vel doctrinam hæreticam esse probabilem, quamvis pro hac sint sæpe difficillima argumenta; hæc enim eliduntur per motivum oppositum fidei, quod est certissimum. Ex quo

Deduces 5. Opinionem illam non esse probabilem, quæ adversatur S. Scripturæ, Traditionibus, aut communi SS. Patrum sensui, aut rationi stricte moraliter certæ. Ratio est: quia per talia motivum illius opinionis infringitur, & enervatur, proinde illa non est etiam respective probabilis. Hoc non obstante

Deduces 6. Ad opinionem probabilem absolute semper non requiri, ut habeat rationes pro, & contra se. Ratio est: quia potest alicui ex motivo tantum fallibili res quædam apparere vere probabilis, etsi nulla ratio in oppositum adsit, vel occurrat. Sic si plures honesti viri affirment, Petrum esse domi, id mihi erit probabile, etsi nemo sit, qui dicat oppositum, ut bene discurrit La Croix: sic

etiam

etiam maritus ſæpe judicat, prolem eſſe ſuam, etſi nulla ratio ſit, ob quam æſtimetur aliena.

Aſſero 2. Opinio probabilis varie dividitur: 1*mo.* in probabilem *intrinſece*, & probabilem *extrinſece*. Probabilis *intrinſece* eſt, quæ nititur motivo gravi, petito ex natura rei, & objecti, vel ex illis, quæ ſunt annexa rei, & objecto: tales ſunt opiniones in re morali, quæ probantur ex lege naturali, & poſitiva; Leges enim ſunt regulæ, & principia, ex quibus deſumi debet bonitas, vel malitia actuum humanorum. *Extrinſece* probabilis eſt, cujus motivum eſt authoritas gravis hominum, ac Doctorum ita ſentientium, & dicentium: in quo autem potiſſimum conſiſtat hæc authoritas DD. dicetur §. ſeq.

2*do.* Alia opinio eſt *ſpeculative*, alia *practice* probabilis. Opinio *ſpeculative* probabilis eſt, quæ nititur motivo ſolum ſpeculative probabili, ſeu tali, quod attenta ſola objecti ſubſtantia, & non conſideratis circumſtantiis, ſaltem omnibus, ac præſcindendo a particulari exercitio operationis, habet aliquam probabilitatem. Opinio *practice* probabilis eſt, quæ habet quoque probabilitatem, & motivum grave pro ſe, attentis etiam omnibus circumſtantiis, & conſiderato etiam particulari exercitio. Hinc ſæpe eſt aliquid ſpeculative probabile, quod non eſt probabile practice, neque ſine peccato in praxin reduci poteſt. Sic in genere poteſt eſſe ſpeculative probabile, quod aliquis die veneris ob magnam infirmitatem poſſit comedere carnes, quamvis in praxi, & in particulari circumſtantia, ubi ex ſimili comeſtione grave ſcandalum timendum foret, talis comeſtio poſſet eſſe illicita.

Alii etiam dicunt, opinionem *ſpeculative* probabilem eſſe, quæ quidem habet aliquod fundamentum pro ſe, non tamen poteſt in praxi adhiberi, neque verſatur immediate circa licentiam actionis. Talis eſt iſta opinio, quæ dicit, probabile eſſe, formam abſolutionis ſtare in his ſolis verbis: *abſolvo te*; hæc enim opinio, utut nitatur gravi fundamento, ſine peccato gravi practicari non poteſt ob periculum nullum reddendi Sacramentum pœnitentiæ. *Practice* probabilis eſt, quæ non ſolum nititur gravi fundamento, ſed & verſatur circa licentiam actionis, & licite in praxin deduci poteſt. Talis opinio juxta multos eſt illa, quæ dicit, non eſſe obligationem confitendi circumſtantias mere, etſi notabiliter, aggravantes.

Est etiam aliqua opinio probabilis, *quoad se*, & alia *quoad nos*. Probabilis *quoad se* est, quæ a parte rei nititur motivo gravi, licet forte ejus gravitas a nobis non rite penetretur. *Posterior* est, quæ invincibiliter a nobis putatur, niti motivo gravi, quamvis re ipsa grave non sit. Et talis opinio, quamvis re ipsa, & in se non sit probabilis, censetur tamen probabilis respective, in ordine ad intellectum nostrum ita dispositum.

Dividitur ulterius sententia probabilis in *minus*, *æque*, ac *magis probabilem*, ac *probabilissimam*. Opinio *minus* probabilis est, cujus motiva sunt quidem vere, minus tamen gravia, quam fundamenta illa, quæ stant a sententia opposita. *Æque* probabilis est, quæ habet motiva æqualis momenti, ac sententia opposita. *Probabilior* est, quæ pro se habet meliores, ac efficaciores rationes, vel authoritatem, quam opposita. *Probabilissima* est, quæ pro se habet tanta rationum momenta, ac tanta authoritate munitur, ut intra limites probabilitatis supremum gradum obtineat. Dixi: *intra limites probabilitatis*; quia ut superius dixi, etiam sententia probabilissima non est moraliter certa, nec nititur motivo moraliter infallibili, neque excludit omnem formidinem prudentem, saltem radicalem, ne res aliter sit, quam judicetur.

§. II.

Resolvuntur varia huc spectantia.

458 Quæres 1. Quænam opiniones dicantur certo, probabiliter, dubie, ac tenuiter probabiles?

R. 1. *Certo* probabiles sunt, quarum probabilitas nobis certo, & infallibiliter est cognita: *probabiliter* probabiles; quarum probabilitas nobis tantum probabiliter est perspecta: *dubie* probabiles, de quarum probabilitate dubitamus. Hujus divisionis ratio est hæc: quia ipsa probabilitas opinionum potest esse objectum alicujus cognitionis reflexæ. Et quidem probabilitas secundum se est objectum indifferens, ut reflexe per aliam cognitionem certam, vel tantum probabilem, vel dubitantem, & formidantem cognoscatur: sicut & alia objecta ita sunt indifferentia, ut vel cognitione certa, vel probabili, aut dubia intelligantur: ergo.

R. 2.

R. 2. Bene eſt notandum, quid intelligatur per propoſitionem *tenuiter* probabilem, ob propoſitionem ord. 3. ab Innocentio XI. confixam hujus tenoris: *generatim, dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quamvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.* Hinc

R. 3. Ex Viva in ſua Trutina Theſium damnatarum in expoſitione præfatæ propoſitionis n. 7. Nomine opinionis *tenuiter* probabilis non venit illa, quæ nullo modo eſt probabilis: & non amplius intra fines probabilitatis continetur; ſecus enim allata Theſis ab Innocentio ſine cauſa fuiſſet damnata, eoquod nemo ſanæ mentis docuerit, homines, nixos opinione nullatenus probabili, licite & honeſte operari. Quare

R. 4. Opinio *tenuiter* probabilis eſt, quæ tenuiter tantum inclinat intellectum ad aſſenſum, quod experientia ipſa diſcerni poteſt. Ita Viva. Adjungit, quod probabilitas tenuis oriri poſſit ex motivo, quod quidem in ſe inſpectum apparet grave, reſpective tamen, & comparative non manet grave, eoquod validis rationibus arietetur. Inter opiniones tenuiter probabiles a Cardena referuntur illæ, quarum probabilitas eſt tantum dubia: Viva autem, & alii multi, teſte ipſo, judicant, ſententias tantum probabiliter probabiles habere meram tenuem probabilitatem: ei tamen quoad hoc contrarius eſt Cardenas. Vide de hoc P. Reiffenſtuel T. 1. d. 3. n. 46.

Quæres 2. Quid requiratur ad hoc, ut aliqua ſententia ſit ex- 459
trinſece probabilis? Reſpond. *1mo.* Probabilitas extrinſeca non tam a numero Doctorum talem ſententiam tradentium, quam ab eorum peritia, probitate & ſapientia, ac veracitate eſt menſuranda. Ita Sporer, Holzman, La Croix &c. & conſtat ex L. 1. §. 6. C. *De veteri Jure enucleando*, ubi ait Juſtinianus: *Sed neque ex multitudine Authorum, quod melius, & æquius eſt, judicatote: cum poſſit unius, forſan & deterioris ſententia multas, & majores aliqua in parte ſuperare.* Hanc in rem etiam egregie dicit Cardinalis Sfondratus apud La Croix allegatus: *Sunt opiniones inſtar monetæ, cujus valor non ex numero, ſed pondere, & metallo æſtimatur: ſic opiniones non Doctorum numerus, ſed major ratio, veritas, & prudentia commendat; alioquin ſemper vincerent fatui, quorum numerus, quam prudentum major eſt.*

Reſpond. 2. Authoritas Doctorum non movet, niſi in quantum hæc præſumitur eſſe conjuncta cum ratione, & probabilitate in-

trinfeca: quia fcilicet non præfumimus, viros graves, & fapientes dicere aliquid fine gravi ratione. Quare recte dicit D. Auguftinus *Epift.* 19. *Alios* (libros præter S. Scripturam) *ita lego, ut quantalibet fanctitate, doctrinaque polleant, non ideo verum putem, quia ipfi ita fentiunt, fed quia mihi vel per illos Authores Canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreant, perfuadere potuerunt.* Ex quo conftat, quod Authores plus non valeant, quam eorum rationes, quas afferunt, vel quas præfumuntur habere, ut ait La Croix L. 1. n. 134.

Ratio ulterior eft, quod numerus Authorum præcife non reddat opinionem femper probabilem, quia quandoque primi Authores ejusmodi fententiam non fatis difcufferunt, librando etiam fundamenta Adverfariorum: reliqui autem priorum fententias tantum defcripferunt, & eas cæce funt fecuti, non aliud habentes motivum, quam quia priores Authores fic fenferunt. Unde tot opiniones olim a doctis quoque receptæ, poftea rationibus rite ponderatis funt habitæ improbabiles. Videri meretur La Croix, qui L. 1. n. 136. & *feqq.* refert plures fententias, a non paucis Authoribus olim affertas, quæ tamen modo omni probabilitate carent. Addo nihilominus ex Sporer, quod authoritas DD. adjuncta rationi, fæpe habeat magnam efficaciam probandi, faltem *præfumptive*; fi enim de veritate, vel falfitate alicujus fententiæ non conftat, tunc authoritas virorum prudentum, & fapientum, de quorum peritia non eft dubium, vel qui funt omni exceptione majores, facit præfumptionem pro probabilitate; quia præfumere debemus, tot graves Authores non effe hallucinatos, fed rationes rite penetraffe. Hac etiam ratione, *præfumptive* fcilicet, Ariftoteles ait 1. *Top.* 1. *Probabilia funt, quæ videntur omnibus, aut pluribus: aut fapientibus, & his vel omnibus, vel pluribus, vel fpectatiffimis.* Sed

Petes: Unde fciamus, qui Author fit fapiens, & talis, qui authoritate fua aliquam fententiam fulcire poffit? R. Hoc defumendum effe ex fama publica, vel experientia. Ita La Croix. Sic enim aliqui fama publica, & omnium confeffione celebrantur ut fapientes, quales tefte La Croix L. 1. n. 114. funt S. Auguftinus, S. Thomas, Scotus. Alii autem cognofcuntur fapientes per experientiam ex modo, quo res tractant, vel de eis difcurrunt, aut confilia dant. Ex his

Deduces 1. Si una opinio pro se habeat meliores rationes, al- 460
tera vero habeat majorem authoritatem, tunc illam esse simpliciter probabiliorem, quæ meliori, & efficaciori gaudet ratione intrinseca, non autem ea, quæ habet meliorem authoritatem. La Croix, & Holzman: ac sequitur ex dictis. Rationes siquidem prævalent authoritati, eoquod authoritas in rationibus fundetur, & ex iis suum robur habeat.

Deduces 2. Quid sit opinio *communis*, *communior*, & *minus communis*. Opinio *communis* juxta nostrum Henno est illa, quæ habet pro se octo, aut decem Authores graves, qui rem non obiter, non præventi, aut necessitati, sed ex professo, & in fundo tractaverunt, librando in statera Domini utriusque partis fundamenta. Sporer, & alii ab eo citati judicant, sex, vel septem Doctores graves, aliquam opinionem ex instituto docentes, sufficere ad faciendam sententiam *communem*: imo juxta Filliucium quinque sufficiunt. Ex quo sequitur, quod duæ contradictoriæ opiniones possint esse communes, si earum quælibet a probatis, & gravibus Authoribus numero competenti defenditur. Opinio *minus communis* est, quæ a paucioribus, quam quinque, præsertim ab uno, vel altero tantum asseritur contra communem aliorum sententiam. *Communior* autem est, quæ a pluribus, quam septem, octo, aut decem gravibus authoribus sustinetur.

Quæres 3. An unicus Author, docens aliquid contra commu- 461
nem aliorum, possit reddere sententiam vere probabilem, aut etiam probabiliorem opposita, ita, ut illam sequi etiam doctis liceat?

Respond. affirmative, si sit Author omni exceptione major, seu contra cujus authoritatem nulla fieri potest exceptio. Sporer, Holzman, La Croix, & alii. Ut autem Author possit dici omni exceptione major, sequentibus debet fulgere prærogativis: *1mo.* debet esse vir conscientiæ timoratæ; secus enim doctrina ejus posset dici *sal infatuatum*. *2do.* non debet talis homo ad opiniones suas tenendas moveri studio inveniendi nova, & paradoxa ad vane ostentandum ingenium, aut passione, ac pertinacia aliqua, sed mero studio veritatis. *3tio.* neque talis Author debet posse convinci, quod antecedenter vere improbabilia contra communem aliorum DD. tradiderit. *4to.* debet in ea materia, de qua statuit novam, & singularem sententiam, esse versatus, eamque ex professo examinare, ra-

tiones pro & contra ex æquo librare. 5to. Debet insuper efficaci ratione stabilire suum assertum, nec aliquid convincens in contrarium apparere. Hæc omnia si concurrant, reddunt opinionem unici Doctoris vere tam intrinsece, quam extrinsece probabilem, vel etiam probabiliorem, si scilicet ratio, qua suam sententiam probat, præponderet motivo alterius sententiæ.

Notat autem Cardenas apud La Croix L. 1. n. 161. per hoc non minui authoritatem alicujus Authoris, quod aliqua sententia ipsius sit postmodum damnata, dummodo ea ante damnationem fuerit a gravibus Doctoribus habita tanquam vere probabilis: siquidem talis invincibiliter erravit, & quidem ex motivo, quod tunc temporis ipsi apparebat grave. Sic etiam aliqui Sancti inveniuntur errasse, quorum tamen authoritas nullum inde detrimentum patitur. Ita laudatus La Croix, qui addit etiam S. Thomam aliquas opiniones docuisse, quæ modo sunt improbabiles. His præmissis

P. breviter responsio. Sententia talis singularis, & nova unius Authoris supponitur niti fundamento tam absolute, quam comparative gravi: ergo ea est vere probabilis. A. patet ex mox dictis, & constat ex definitione sententiæ probabilis. Neque obstat tali sententiæ, quod ea non tradatur a pluribus Authoribus; nam pluralitas Authorum secundum se considerata, ad sententiæ alicujus probabilitatem parum, vel omninò nihil confert formaliter, cum non docentium numerus, sed motivorum efficacia pensari præcipue debeat.

Neque obstat propositio ordine 21. ab Alexandro proscripta, quæ sic habet: *Si liber sit alicujus Junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat, rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem*; in hac enim propositione solum damnatum est, quod universaliter omnis opinio singularis, ab uno Authore contra communem asserta, statim sit probabilis, sive deinde is Author sit, sive non sit omni exceptione major. In hoc sensu utique propositio illa falsa est; cum certum sit, etiam doctos quandoque esse nimium laxos, & ex studio novitatis potius, quam veritatis protrudere novas opiniones, nondum satis examinatas, proinde sæpe improbabiles. Neque juvat, quod eorum libri sint approbati; nam & sæpe ii, qui tales libros approbant, aut non sunt debita scientia instructi, aut non attente eos relegunt, aut dissimulant multa, contenti, quod ea non

sint

sint aperte falsa. Nos contra non dicimus universaliter, quod omnis sententia nova, quæ ab uno Authore contra communem adstruitur, sit probabilis, sed illa, quæ traditur ab uno Authore omni exceptione majore, & habente prædictas prærogativas: consequenter &c.

Nec obest nobis Aristoteles supra citatus, dicens: *Probabilia sunt, quæ videntur omnibus, aut pluribus &c.* Ibi enim non loquitur de casu quodam extraordinario, de quo hic est quæstio, sed loquitur de eo, quod communiter accidit. Communiter autem contingit, ut illud, quod est probabile, pluribus videatur esse tale.

Dixi in hac quæstione supra: ita, ut illam sequi *etiam doctis* liceat; videtur enim extra omnem controversiam esse, quod homo indoctus, & rudis possit sequi aliquam sententiam ut probabilem, quam aliquis vir probus, & pro sufficienter docto habitus, dicit esse probabilem, & in praxi tutam, dummodo talis rudis non aliunde agnoscat, contrarium esse verum; etenim, quia tales rudes nequeunt sententias ponderare, satisfaciunt, si stent judicio eorum, de quorum probitate, ac doctrina dubitare non debent, nec possunt. Ita La Croix, ac Holzman. Quare S. Antoninus apud Esparzam in *appendice.* art. 161. doctis pro regula præscribit: *Stude sapientiæ, Fili mi:* Indoctis autem illud *Deuter.* 32. ℣. 7. *Interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi, Majores tuos, & dicent tibi.*

Quæres 4. An duæ Propositiones contradictoriæ possint simul 462
esse probabiles, & ut tales alicui intellectui apparere?

Respond. 1. Omnino possunt duæ propositiones contradictoriæ simul esse probabiles. Sic istæ propositiones sunt contradictoriæ: *Peccata negative dubia, item circumstantiæ notabiliter aggravantes, sunt materia necessaria confessionis:* &: *peccata negative dubia &c. non sunt materia necessaria confessionis*, & tamen simul sunt probabiles. Et sic est de aliis plurimis materiis moralibus.

Respond. 2. Possunt etiam duæ contradictoriæ opiniones diversis hominibus, & intellectibus apparere ut probabiles. Sic utique Petro apparet, esse probabile, peccata negative dubia esse necessario confitenda: Paulo vero ut probabile arridet oppositum. Ita etiam diversi Judices, & Theologi diversas tradunt sententias, & resolutiones circa eandem materiam.

Re-

Refp. 3. Idem intellectus nequit fimul, & femel duas opiniones probabiles contradictorias habere de eodem omnino objecto, ita, ut eis affenfum directum præftet, v. g. dicendo, & judicando fimul, & femel: *Circumftantiæ notabiliter aggravantes funt neceffario confitendæ: circumftantiæ notabiliter aggravantes non funt neceffario confitendæ.* Ratio hujus conftat ex Philofophia: quia intellectus nequit fimul judicare, idem effe verum, & falfum, idem fimul effe, & non effe: quod fieret, fi tales affenfus contradictorios idem intellectus fimul, & femel haberet.

Refpond. 4. Neque, faltem meo tenui judicio, vir prudens poteft pofitive, & prudenter affentire illi opinioni, quæ quidem inter duas contradictorias apparet vere probabilis, & gravi niti fundamento, in confideratione tamen motivorum contrariorum eft notabiliter minus probabilis, quam oppofita, ita, ut intellectus explicite vel implicite quafi fic dicat: *Quamvis pro oppofita fententia longe, ac notabiliter major fit apparentia veritatis, tamen ifta, pro qua minor eft veritatis apparentia, eft vera.* Hic enim affenfus ex terminis eft imprudens, adeoque ab homine prudenti, & prudenter agente præftari non poteft.

Imo mihi etiam fatis certum videtur, quod intellectus in cafu, quo duæ propofitiones contradictoriæ æqualiter probabiles ipfi proponuntur, neutri ex iis determinate affentiri poffit prudenter. Ratio hujus eft, quia motiva hæc funt pro utraque parte æqualia: fic intellectum quafi in æquipondio fufpendunt, ut prudenter in neutram partem poffit per affenfum inclinari. Neque voluntas per fuum imperium efficere poteft, ut intellectus in tali cafu potius uni extremo contradictionis affentiat, quam alteri, falva prudentia; fiquidem prudentia affenfus non ex imperio voluntatis menfuranda eft, fed ex gravitate motivorum: gravitas autem motivorum contradictoriorum utrinque æqualis potius fufpenfionem judicii, quam determinatum affenfum, uni extremo contradictionis præftandum, exigit ab homine, & intellectu rite difpofito, & prudenter agente.

Refpond. 5to. Poteft tamen idem intellectus fimul, & femel reflexe judicare, duas propofitiones contradictorias effe probabiles. La Croix, Holzman. v. g. idem intellectus fimul, & femel poteft habere hoc dictamen: *Hæ duæ propofitiones contradictoriæ:* peccata negative dubia funt neceffario confitenda, peccata negative dubia non funt neceffario confitenda, *funt ambæ rationabiles, ac ambæ nituntur*

gravi fundamento: neque hoc in judicio reflexo ulla est implicantia, aut contradictio, ut cuilibet consideranti patet.

Ex his tandem habes, quod ad veram probabilitatem non requiratur, ut ea semper actu intellectum permoveat ad assensum directum: sed sufficit, si saltem in certis circumstantiis possit permovere, & allicere ad prudentem assensum, vel quod reflexe possit judicari ut talis, seu ut nixa gravi fundamento.

Petes: An sententia, quæ prius fuit vere probabilis, possit successu temporis fieri vere improbabilis? R. affirmative; sic enim multæ propositiones, quæ prius fuerunt agnitæ ut probabiles, modo sunt damnatæ a SS. Pontificibus, ac consequenter sunt improbabiles. Item potest successu temporis detegi aliqua nova ratio contra aliquam sententiam, quæ ejus probabilitatem antecedentem penitus enervet.

Quæres 5. Quid sit sententia *tuta*, *tutior*, & *minus tuta*? R. 1. 463
Sententia illa est *tutior*, quæ magis recedit a periculo violandi legem tam formaliter, quam materialiter, aut incurrendi aliud malum. Vel etiam illa est tutior, quæ magis favet legi, quam libertati humanæ, seu quæ dictat, aliquid esse ex obligatione faciendum. *Minus tuta* est, quæ minus removet a periculo violandi legem saltem materialiter, aut incurrendi aliud malum: vel est illa, quæ favet libertati humanæ contra legem, dicendo. e. g. non esse obligationem hoc, vel illud faciendi, confitendi peccata negative dubia, aut circumstantias mere notabiliter aggravantes.

Respond. 2. Non semper illud, quod est tutius, est simul probabilius. Sic tutior sententia est ea, quæ affirmat, esse obligationem statim agendi pœnitentiam post peccatum mortale commissum, & tamen opposita, negans hanc obligationem, est notabiliter probabilior. Ratio hujus est: quia sententia etiam notabiliter probabilior potest esse a parte rei falsa, adeoque potest inducere in peccatum materiale, a quo removet minus probabilis, uti fit in exemplo dato: ergo tunc sententia minus probabilis erit tutior, & magis probabilis erit minus tuta. *Confirm.* Major securitas, vel, ut ita loquar, tutioritas sententiæ ex aliis principiis oritur, quam major probabilitas: ergo una sine altera dari potest. A. constat; major enim securitas provenit ex recessu majori a periculo peccandi, etiam materialiter, major vero probabilitas ex majori motivo.

Respnd. 3. Minus tuta sæpe est simpliciter tuta practice loquendo, ita, ut excuset a peccato formali, ut probabitur inferius. Quare per *minus tutam* hic non intelligimus sententiam illam, quæ omnino non est satis tuta in praxi, & quæ est practice, formaliter, ac proxime periculosa; nam etiam in plurimis casibus, dum quis operatur secundum sententiam vere probabiliorem, etsi minus tutam, non peccat formaliter: ut fit, dum quis secutus sententiam magis probabilem post commissum peccatum mortale non statim agit pœnitentiam; talis enim non peccat formaliter. Quare sicut minus scientificus potest adhuc esse simpliciter scientificus, ita etiam sententia minus tuta potest adhuc esse simpliciter tuta. Nihilominus sententia magis tuta hominem etiam magis, & certius removet a periculo peccandi formaliter; nam qui sequitur sententiam magis tutam, & faventem legi, est magis, & quasi metaphysice certus, quod sic agendo non peccet formaliter: adeoque sibi format dictamen longe certius, & firmius de peccato formali non committendo, quam ille, qui sequitur sententiam minus tutam: atqui dictamen firmius, & certius magis removet a periculo peccandi formaliter: ergo. His præmissis

464 Jam gravissimæ difficultates oriuntur, an, & quando liceat sequi sententiam probabilem? pro quo

Nota ex Reiffenstuel, & aliis: alias esse quæstiones, quæ versantur circa materiam *juris*, & *honestatis*, & alias, quæ versantur circa materiam *facti*. Quæstiones *juris*, seu illæ, quæ versantur circa honestatem, & licentiam actionis, sunt istæ, in quibus præcise quæritur, an hoc sit licitum, vel illicitum, prohibitum, vel præceptum, aut permissum? e. g. an liceat census germanicus, an licite in confessione possint omitti circumstantiæ notabiliter aggravantes, an sit licitum die festo pingere &c? Quæstiones, quæ versantur circa materiam *facti*, sunt, in quibus controvertitur de natura, valore, conditionibus, ac constitutivis alicujus actus: e. g. dum quæritur, an panis siligineus, vel ex spelta confectus sit materia valida consecrationis? est quæstio de valore actus, nempe consecrationis: & dum indagatur, an hæc medicina sit profutura ægroto? est quæstio de natura medicinæ: dum quæritur, an hæc pars litigans in judicio habeat justam causam? est controversia de conditione actus: & dum indagatur, an sola hæc

ver-

verba: *Hic est sanguis meus*, sint de essentia consecrationis Calicis? quæritur de essentialibus constitutivis actus, seu consecrationis.

Ubi singulariter notandum est, quod sit notabile discrimen inter quæstiones prioris & posterioris generis, nam licentia, & honestas actionum moralium, de quibus agunt quæstiones juris, suam bonitatem, & rationem formalem desumunt a dictamine, & judicio operantis; Ratio hujus est: quia regula proxima actionum moralium, & honestarum est dictamen conscientiæ, cui si rite conformetur operatio, honesta erit, & bona, etsi a parte rei difformis alicui legi. Ast vero, quando non agitur præcise de licentia, & honestate, sed de natura, valore &c. actus, tunc ista non a conscientia, & dictamine, utut prudenti, operantis desumenda sunt, sed vel ex intrinseca natura talium actuum, vel ex ordinatione, & institutione alterius. Sic medicina non est exinde proficua sumenti, quod Medicus eam judicet esse utilem, sed vim, & utilitatem suam habet ex intrinseca virtute naturali: sic materiæ, & formæ Sacramentorum suum valorem trahunt præcise ex institutione Christi, non autem ex judicio, vel dictamine probabili conficientis, vel suscipientis Sacramentum. Proinde, si adhibetur materia, & forma a Christo instituta, Sacramentum valide conficietur: si vero materia alia, a Christo non instituta, etiam ex probabili sententia applicetur, Sacramentum erit nullum. Videatur Reiffenstuel Tr. 1. D. 3. n. 48. & 49.

Articulus II.

An in materia honestatis possimus sequi sententiam saltem magis probabilem, & minus tutam?

§. I.

Statuitur nostra Conclusio.

Quæstio est: An tunc, dum dubitatur, an lex aliqua existat, semper debeamus amplecti id, quod est tutius, & solum sequi sententiam faventem legi, ita, ut etiam tunc, dum est probabilius, talem legem non existere, non possimus sequi opinionem isthanc probabiliorem, faventem libertati contra legem? Controversiam hanc mo-

verunt aliqui rigidi Galli, & Belgæ, qui putarunt, ex opinione mere probabili non posse formari dictamen conscientiæ pro sequenda sententia minus tuta contra legem etiam incertam, de qua tantum probabile, vel etiam probabilius est, eam non existere: proinde judicarunt, in tali casu nos esse obligatos ad tutiora tantum sectanda in favorem legis. Contra quos

465 Assero: Quando agitur de licentia, & honestate actionis, non semper debemus sequi tutiora, etiam tunc, dum est lex incerta, sed possumus sequi partem probabiliorem, etsi minus tutam. Ita communissima omnium Th. Th. contra citatos.

P. 1. Ex una parte esset obligatio nimium gravis, si in dubio legis semper deberemus tutiora sequi, & nunquam possemus amplecti sententiam minus tutam, quamvis vere probabilem, aut omnino longe probabiliorem opposita sententia: ex altera parte hæc obligatio non satis probatur: ergo hæc obligatio non datur. C. tenet, ut colligitur ex dictis. A. p. inprimis quoad 1mam *partem*. Rarissime habemus in hac vita certam aliquam de objecto notitiam, sed sæpissime hæsitamus: si ergo in nostris dubiis non possemus sequi illa, quæ apparent verisimiliora, & probabiliora, certe misera esset nostra conditio, continuis anxietatibus subjecta: proinde hæc obligatio, quam AArii. prætendunt: esset nimium gravis, præsertim quia ex ea sequitur, quod teneamur amplecti semper sententias rigidiores de jejunio, Horis Canonicis, confessione peccatorum &c. neque possemus sequi sententias minus tutas, etsi probabiliores, etiam a SS. Augustino, Thoma, Bonaventura, & aliis Doctoribus virtute, & scientia eximiis traditas, quod utique onus foret intolerabile humanæ naturæ multum fragili. Probatur etiam *altera pars*: quia hanc obligationem etiam sapientissimi, & timorati homines non agnoscunt, & quia omnia, quæ pro ea probanda afferuntur, facile solvuntur.

Confirm. 1. Si homo sequitur eam notitiam, quæ humano modo potest in rebus moralibus haberi, tunc non peccat: sed plerumque in rebus moralibus potest solum haberi notitia probabilis, non autem certa: ergo plerumque, si homo sequitur notitiam probabilem, & quidem probabiliorem, non peccat. M. videtur certa; nam Deus, qui omnia disponit suaviter, & conformiter cujusvis rei conditioni, ac naturæ, non censetur ab homine exigere majorem notitiam, quam eam, quæ possit humano modo haberi. m. Ierum est liquida *tum* ex con-

continua experientia, *tum* ex illo Sap. 9. *Difficile æstimamus, quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore: quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit?* Et paulo ante: *Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ*: quod vel maxime in re morali habet locum; siquidem, ut ait D. Thomas *in cap.* 1. *l.* 1. *Eth. materia moralis talis est, quod non est ei conveniens certitudo.*

Confirm. 2. Qui non agit temere, sed prudenter, ac ex motivo prudenti, non peccat: atqui non agit temere, sed prudenter, qui conformat actionem, & conscientiam suam opinioni probabiliori, præsertim tunc, ubi alia notitia magis certa, aut magis probabilis haberi nequit: ergo.

P. Ecclesia, & Pontifices sequuntur opiniones magis probabiles, etsi minus tutas: ergo & nos sequi possumus; nam certo bene facimus, si conscientiam nostram cum praxi Ecclesiæ, & Pontificum conformamus. A. p. Sic SS. Pontifices dispensant in votis solemnibus contra opinionem tutiorem S. Thomæ, qui id negat licere: item dispensant in matrimonio rato, non obstante sententia tutiore negantium, id licere. Deinde in dubio belli injusti, ubi scilicet probabile est, bellum esse injustum, subditus licite militat juxta D. Augustinum. Iterum, quando tantum probabilie est, quod Superior imperet aliquod illicitum, aut peccaminosum, tenetur subditus obedire, quamvis tutius foret, deprecari ista a Superiore, ne nempe ea imperaret. Denique Sancti etiam, & plurimi alii Doctores tradiderunt plures sententias tanquam in praxi tutas, quæ solum sunt probabiles, & respectu oppositarum sententiarum minus tutæ: quorum omnium doctrinam damnare non licet sine magna injuria tantorum virorum.

Ex his tandem concluditur, quod in dubio de honestate actionis non semper sit sequendum *tutius*. Ratio est: quia in dubio tali sæpe pars minus tuta apparet probabilior: atqui juxta dicta possumus sequi sententiam minus tutam, si ea sit probabilior, quam sit sententia tutior: ergo. Reliqua huc facientia Art. 3. &. 4. seqq. resolventur.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

466 Objic. 1. ex Camargo. Deuter. 17. ℣. 8. Deus præcipit, ut Judæi in omnibus dubiis recurrant ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, nempe supremum, qui fuerit illo tempore: ergo debemus vel semper attingere verum, vel sequi tutius. R. 1. Ex hoc argumento sequitur nimium; sequeretur enim, nos debere in omnibus controversiis, & dubiis moralibus recurrere ad supremum judicem, seu S. Pontificem, quod falsum, & moraliter est impossibile. R. 2. D. c. debemus attingere verum practicum per dictamen ultimum, ac reflexum c. c. verum speculativum per dictamen directum, & non ultimum n. c.

R. 3. N. c. Non hic volo disceptare, an etiam tunc Judæi debuerint recurrere ad Sacerdotem summum, & locum sanctum pro decisione, quando pro se in causa aliqua habuerunt veritatem probabiliorem: hoc igitur dissimulato, dico, quod Judæi in suis dubiis debuerint recurrere ad S. Sacerdotem, quia supponebantur potuisse recurrere, quod in regione una, non adeo magna, non fuit difficile: proinde habebant dubia vincibilia. E converso nos in rebus moralibus patimur dubia invincibilia, neque est facilis recursus ad S. Pontificem: imo S. Pontifex non solet respondere in iis controversiis, quando res in utramque partem est disputabilis, & vere ac theologice probabilis. Insuper non præcipitur Judæis, ut tunc, dum non possunt accedere S. Sacerdotem, semper sequantur tutius: ergo hic textus non est ad rem. Demum ex his, & aliis similibus probationibus sequeretur, quod neque possimus sequi sententiam probabilissimam, si ea sit minus tuta; cum & talis non sit necessario vera, & possit esse falsa: quod tamen videtur esse contra decretum Alexandri VIII. damnantis hanc propositionem ordine 3. *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.*

Objic. 2. ex Synichio. Christus Joann. 14. ℣. 6. dicit: *Ego sum veritas*, & non dicit: *ego sum probabilitas*: ergo non licet sequi sententiam tantum probabilem, sed simpliciter veram. R. 1. Retorq. Argum. Christus etiam non dixit: ego sum moralis, aut physica certitudo, ego sum fides: ergo neque moralem aut physicam certitudi-

tudinem, neque certam fidei doctrinam sequi licet. R. 2. N. c. cum enim humanitus sit sæpe impossibile, veritatem ipsam assequi, Christus contentus est, si sequamur id, quod majorem habet verisimilitudinem. Vel potest iterum distingui consequens, sicut est distinctum supra in Object. 1ma.

Objic. 3. ex eodem: *Angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam.* Math. 7. ℣. 14. sed porta probabilitatis est valde laxa: ergo. R. 1. N. m. Porta enim probabilitatis satis a nobis arctabitur in sequentibus. Deinde arcta est ad cœlum via vel ob ea, quæ certo ab omnibus observanda sunt ex lege naturali, & Christi præcepto; hæc enim inimica sunt carni, & sanguini. Inde plerique contra clarissima, & cuivis certa præcepta Dei appetitum sensibilem sequuntur, ac sic viam perditionis ingrediuntur. Quare via ad interitum non laxatur per probabilitates theologicas, sed præcipue per transgressionem præceptorum illorum, quæ sunt certa, ac cuivis manifesta ex lege naturali, & doctrina Evangelica &c.

Objic. 4. ex eodem: Deus, & legitimi Superiores sunt legislatores: ergo in judicio aliquando non quæretur, quid Doctores, & Theologi probabiliter dixerint, sed quid Deus, quid legitimi Superiores præceperint. R. D. c. quæretur, quid Deus, & Superiores præceperint, cum respectu tamen ad dictamen ultimum operantis, quod est proxima regula morum c. c. quæretur, quid Superiores statuerint sine respectu ad conscientiam operantis n. c. Si conscientia per opinionem vere probabilem, præsertim probabiliorem solide fundatur, ac bona fide procedit, tunc per dictamen reflexum certificatur, se bene agere, vel bene omittere, adeoque in die judicii secura erit, non obstante, quod a veritate speculativa per judicium directum invincibiliter interdum aberraverit. Ita respondet recte Herincx eidem Synich.

Objic. 5. Proverb. 14. v. 12. dicitur: *Est via, quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem*: ergo non est sequenda via probabilitatis etiam majoris; hæc enim quoque videtur homini justa, & tamen potest a parte rei esse injusta, & deducere ad mortem, & peccatum, eoquod illa quoque, quæ sunt probabiliora, possint esse falsa, & erronea. R. S. Scriptura in allegato textu loquitur de via voluptatum, & ambitionis, quæ homini videtur justa, id est,

com-

commoda, & grata: & hæc utique ducit ad interitum, non autem via majoris probabilitatis.

Objic. 6. Homines per se sunt proni ad laxiora: ergo debet eorum laxitas restringi per hoc, quod obligentur ad tutiora. R. N. c. Satis restringitur laxitas per præcepta certa, & per moderamen, quod homines debent observare in sequendis sententiis probabilibus, de quo inferius.

Dices: SS. PP. semper restringunt viam salutis, & hæretici eam laxant: ergo etiam nos cum SS. Patribus contra hæreticos eam restringere debemus ad tutiora. R. D. a. SS. PP. restringunt viam salutis, servato tamen debito moderamine c. a. excedendo hoc moderamen n. a. Alterum membrum de hæreticis non est universaliter verum; fuere enim & inter hæreticos aliqui nimium rigidi: sic Montanistæ prædicabant certa, & inusitata jejunia: Encraitæ matrimonium, ac usum vini, & carnium damnabant &c. Hos sequuntur etiam moderni Novatores Galli, ac Jansenii Asseclæ, qui plura dura, & rigida hominibus volunt imponere: Ecclesia vero, & ejus genuini filii via regia, & media incedunt, neque ad dexteram per nimium rigorem, neque ad sinistram per nimiam laxitatem declinantes.

Objic. 7. Ex nostra sententia sequitur, quod Judæi inculpabiliter fecerint, sequendo falsas Scribarum interpretationes de non subveniendo Parentibus, dummodo pars congrua in usum templi offerretur: sequela est absurda: ergo. R. 1. N. M. hæc enim expositio Scribarum, contra ipsum jus naturale facta, aperte erat falsa, adeoque non erat vere probabilis. R. 2. D. M. sequitur, quod inculpabiliter fecerint, si ex ignorantia invincibili sibi persuaserint, vel persuadere potuerint, esse veram, vel saltem vere probabilem, & probabiliorem expositionem illam Scribarum c. M. secus n. M.

Objic. 8. D. Augustinus relatus can. *si quis autem* 4. *de Pœnit.* D. 7. ait: *Tene certum, dimitte incertum:* ergo tantum certa, non autem opiniones probabiles, quæ sunt fallibiles, & incertæ, sequi possumus. R. N. c. Etiam dum sequimur opiniones magis probabiles, tenemus certum; quia præsupposita opinione probabiliore, etsi minus tuta, possumus formare judicium ultimum, ac practicum certum, prout in præcedentibus jam est ostensum. Porro S. Doctor cit. loc. qui habetur in fine *Homil.* 41. inter 50., agit de homine, differente

pœniten-

pœnitentiam usque ad mortem, de quo inter alia ibi ita loquitur: *Non dico, quod salvabitur: sed nec dico, quod damnabitur, quia de neutro potest esse certus. Vis, quod incertum est, evadere? age pœnitentiam, dum sanus es.* Et concludit: *Ergo tene certum, dimitte incertum.* Sed quid hæc ad propositum AAriorum faciunt? certe nihil.

Ojic. 9. Juxta S. Augustinum L. *de utilitate credendi* c. 11. *Opinari nunquam sine vitio est:* ergo sententia mere probabilis, quæ est opinio, nunquam sine vitio est: adeoque nunquam licite in praxin deducitur. R. D. a. & per *opinari* ibi S. Doctor intelligit tantum judicium aliquod temerarium, & imprudens, quo quis superbe existimat, se scire illud, quod tamen nescit c. a. intelligit per *opinari* opinionem vere, ac theologice probabilem, & gravi fundamento nixam, & quidem graviori, quam habet sententia opposita n. a. Audiatur ipse S. Augustinus in eodem cap. paulo superius ita habens: *Unum* genus est *opinantium, id est, eorum, qui se arbitrantur scire, quod nesciunt.* & infra. *Opinari autem duas ob res turpissimum est, quod discere non potest, qui sibi jam se scire persuasit, si modo illud disci potest: & per se ipsa temeritas non bene affecti animi signum est.* Si aliqua ex eodem sanctissimo Doctore contra probabilitatem afferuntur ex libris, quos scripsit contra Academicos, tunc respondeatur conformiter dictis superius.

Solet etiam objici S. Bernardus, Tract. *de Præcepto, & dispensatione.* c. 14. n. 35. dicens: *Ut interior oculus vere simplex sit, duo illi esse arbitror necessaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem.* R. autem distinguendo, a Doctore mellifluo requiri veritatem ad operationem tam materialiter, quam formaliter bonam; ipse enim paulo inferius admittit, actionem ex se, & ex objecto malam, posse esse formaliter bonam, & meritoriam, si scilicet ex conscientia invincibiliter erronea procedat: consequenter ad opus solum formaliter bonum non semper requiritur veritas, sed & probabilitas, aut etiam error invincibilis sufficere potest. Verba ejus sunt: *Et quidem laude dignam dixerim vel solam intentionem piam: nec plane condigna remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipsa bona voluntas.*

Denique alii textus SS. PP. possunt intelligi de ignorantia vincibili, vel de opinione temeraria, non prudenter concepta, quæ utique a peccatis non excusant.

Objic. 10. Ille, qui sequitur sententiam minus tutam, & non faventem legi, videtur contemnere legem: sed ille, qui contemnit legem, peccat: ergo. R. D. M. qui imprudenter, & contra mentem legislatoris sequitur sententiam minus tutam c. M. qui sequitur prudenter, & juxta mentem legislatoris n. M.; si enim probabilius sit, legem aliquam non existere, tunc ipse legislator non censetur velle obligare ad legem talem, quæ adeo est incerta: hinc in tali casu prudenter, & juxta mentem legislatoris amplector sententiam minus tutam, & non faventem legi.

Objic. 11. Qui sequitur sententiam minus tutam, & tantum probabilem, committit se periculo errandi, & violandi legem: sed, qui se committit periculo errandi in re morali, & violandi legem, peccat: ergo. R. D. M. committit se periculo errandi errore speculativo, & invincibili, ac violandi legem tantum materialiter c. M. committit se periculo errandi practice, & vincibiliter, ac violandi legem formaliter n. M. Non peccat ille, qui procedit ex dictamine tantum speculative, & invincibiliter erroneo, & qui tantum materialiter violat aliquam legem: ergo neque peccat ille, qui se exponit periculo tantum errandi speculative, & invincibiliter, & violandi legem tantum materialiter.

Objic. 12. Si possemus sequi opiniones tantum probabiles, tunc ideo, quia, moraliter loquendo, esset impossibilis certitudo de multarum, imo plurimarum actionum honestate: sed hæc certitudo non est moraliter impossibilis: ergo. m. p. Hæc certitudo facile a Deo obtineri potest orando, prout oportet, pro illuminatione mentis, inquirendo, & faciendo ea, quæ debent fieri. R. C. M. n.m. quæ P. Herincx videtur falsissima ex ipsa experientia; non enim in indagando, & orando defecerunt SS. Thomas, Bonaventura, & alii & tamen in tot materiis diversa, & incerta sunt opinati.

Objic. 13. Omnis homo, qui in negotiis temporalibus prudenter operatur, eligit tutiora: ergo etiam ille, qui in negotiis animæ prudenter agit, eligere debet tutiora. A. p. Sic utique imprudenter ageret, qui sciens viam hanc esse a latronibus tutam, ingrederetur viam aliam, quæ quandoque est latronibus infestata: item imprudens esset, qui, neglecta medicina tutiori proposita, eligeret eam, quæ minus tuta apparet: ergo. R. D. a. Omnis homo, qui in negotiis temporalibus prudentius, vel prudentissime agit, eligit semper tutiora.

c. a. qui tantum ſimpliciter, & abſolute prudenter agit, eligit tutiora *ſubd.* tunc, quando minus tuta, non ſunt ſimpliciter tuta c. a. ſi ſunt adhuc ſimpliciter tuta n. a. & conſ. Illa, quæ in materia honeſtatis ſunt minus tuta, ſimul tamen magis probabilia, ſunt adhuc ſimpliciter, & abſolute tuta.

Deinde negatur paritas inter negotia temporalia, & ſpiritualia, honeſtatem, ac licentiam actionis præciſe concernentia. In negotiis enim temporalibus finis intentus, & evitatio damni non dependet a mea opinione, aut dictamine conſcientiæ; non enim ideo via eſt ſecura a latronibus, quia ego probabiliter eam judico eſſe immunem a latronibus, neque ideo medicina eſt ſalubris, quia ego puto, eam eſſe ſalubrem: adeoque in his negotiis ſæpe ſunt amplectenda tutiora, etiam contra opinionem probabilem minus tutam, utpote a qua evitatio damnorum temporalium, & aſſecutio finis intenti in talibus rebus minime dependet. Aliud eſt, quando agitur de honeſtate, & licentia alicujus actus moralis; hæc enim proxime a dictamine rationis pendent, & menſurantur. Quapropter ad evitandum damnum ſpirituale animæ, ſeu ad peccatum non committendum, ſufficit, ſi ex præſuppoſita ſpeculativa opinione probabiliori formem judicium reflexum certum de licentia, aut honeſtate actionis. Hæc reſponſio in præſenti materia bene notetur, & recte diſtinguatur inter quæſtiones facti, non dependentes a judicio, & dictamine noſtro, & inter quæſtiones juris, quæ proxime dependent a conſcientiæ dictamine; hoc enim ſi notetur, plures objectiones Adverſariorum diſſolvi poterunt.

Objic. 14. In via ſalutis debemus illam ſententiam eligere, cui non ſubeſt dubitandi, vel ſuſpicandi locus, an res, quam agimus, ſit illicita: ſed talis opinio eſt ſola tutior: ergo. R. 1. Ex hoc argumento ſequeretur, quod neque ſententiam probabiliſſimam, & ſimul minus tutam poſſemus eligere: quod eſt nimium, & videtur eſſe damnatum a S. Pontifice, ut ſuperius eſt dictum. R. 2. D. M. cui non ſubeſt dubitandi locus, vi judicii directi, & ſpeculativi n. M. vi judicii reflexi, & practici c. M. Reſponſio ſatis patet ex hucusque dictis.

Objic. 15. Tenemur obſervare leges Dei, quantum poſſumus: ſed qui non ſequitur ſemper tutiora, non obſervat leges Dei, quantum poteſt: ergo. R. D. M. quantum poſſumus, & quantum re-

quiritur ad evitandum peccatum formale c. M. quantum possumus, & requiritur ad evitandum etiam omne peccatum materiale n. M. Reliquæ objectiones, quæ adhuc fieri possunt contra Assertionem hujus Articuli, solventur in sequentibus.

Articulus III.

An in materia honestatis liceat sequi sententiam minus tutam, & notabiliter minus probabilem?

467 Nota 1. Per sententiam *notabiliter minus probabilem* non intelligi tantum *tenuiter* probabilem, nam, quod non liceat sequi sententiam solum tenuiter probabilem, constat ex propositione 3. ab Innocentio XI. confixa, quam retuli supra n. 458. Intelligitur igitur aliqua propositio minus quidem, sed adhuc vere tam comparative, quam absolute probabilis, & gravi nixa motivo.

Nota 2. Per sententiam *minus* probabilem non intelligi determinate *practice probabilem* in hoc sensu, ac si sententia illa minus probabilis posset tuto, ac licite in praxin redigi: neque per sententiam *minus tutam* intelligi adhuc simpliciter in praxi tutam; si enim hoc intelligerem, tunc frivolus foret status quæstionis, & faceret hunc sensum: *an liceat sequi illam sententiam, quam in praxi tuto licet sequi.* Per sententiam igitur minus probabilem, & minus tutam intelligitur sententia vere quidem probabilis, sed favens libertati contra legem, abstrahendo interea, an ea sit practice tuta, & in praxin possit redigi: imo hic est status quæstionis, an talis sententia sit vere in praxi tuta, & practice probabilis, sumendo practicam probabilitatem in sensu mox dicto: nam & in alio sensu accipi potest, ut constat ex superius dictis. H. N. sit

§. I.

Statuitur Conclusio.

468 Assero: Regulariter in materia honestatis non licet sequi sententiam minus tutam, & clare ac *notabiliter* minus probabilem: adeoque in hoc casu teneretur aliquis sequi tutiorem, notabiliter magis probabilem. Quot, & quanti Doctores tueantur hanc nostram Assertionem,

nem,

nem, ostendetur inferius. Dixi: *notabiliter* minus probabilem; si enim minor probabilitas non sit notabilis, tunc in æstimatione morali talis propositio non reputatur minus, sed æque probabilis, ac sua opposita, quia in æstimatione morali parum pro nihilo reputatur. Verum de tali casu plura Art. seq.

P. 1. Ille, qui non habet ignorantiam invincibilem legis, obligatur ad observantiam legis; sed ille, cui est notabiliter probabilius, legem existere, quam non existere, non habet ignorantiam invincibilem legis: ergo ille, cui notabiliter probabilius est, legem existere, quam non existere, tenetur ad observantiam talis legis. M. est ipsorum AAriorum, qui ideo volunt, non stringere legem, cujus existentia etiam est probabilior, quia lex, stante etiam majore hac probabilitate, adhuc est invincibiliter ignorata. m. p. Ille non habet ignorantiam invincibilem legis, qui de ea habet talem, ac tantam notitiam, qua major communiter non potest, & solet haberi in moralibus: sed ille, cui est probabilius, legem existere, quam non existere, habet talem, ac tantam notitiam de lege, & ejus existentia, qua major communiter de ea non potest haberi: ergo ille, cui est notabiliter probabilius, legem existere, quam non existere, non habet ignorantiam invincibilem legis. M. videtur certa; quia legislator non videtur requirere clariorem, & ampliorem notitiam legis, quam illam, qua major in re morali haberi nequit. m. facile prob. Ordinarie, & communiter in rebus moralibus non possumus habere evidentiam, aut certitudinem moralem: hinc tantæ disputationes inter DD., ubi vix ullus cum altero consentit, & quod unus licitum asserit, alter illicitum pronunciat: ergo notitia maxima, & qua major in re morali haberi non potest, ordinarie est major probabilitas: ergo, qui habet majorem probabilitatem de lege, & ejus existentia, vel de extensione ejus ad hunc, aut illum casum, hic jam habet tantam notitiam, qua major ordinarie, & plerumque haberi non potest, quæ notitia sufficiet ad excludendam ignorantiam invincibilem legis, & ad inducendam obligationem proximam.

Confirm. Ille non potest prætendere ignorantiam invincibilem legis, cujus existentiam ex motivis notabiliter apud ipsum præponderantibus prudenter affirmare potest, prudenter autem negare non potest, etsi vellet; atqui ille, cui probabilius est, existere legem, potest ejus existentiam prudenter affirmare, non autem potest eam

prudenter negare, ut colligitur ex dictis n. 462. Rne. 4ta.: ergo ille, cui notabiliter probabilius eſt, exiſtere legem, non poteſt prætendere ignorantiam invincibilem legis. M. videtur ſatis clara.

Confirm. 2. Plurimæ leges ſunt, etiam naturales, ac divinæ, & præſertim humanæ, de quarum exiſtentia, ſenſu reſtricto vel extenſo, obligatione &c. diſputatur a DD. pro, & contra probabiliter, ita, ut plurima circa eas ſint incerta: adeoque ſi AAriorum ſententia eſſet vera, & aliquis ſententiam minus tutam, faventem libertati contra legem, poſſet ſequi, quoties ea tantum foret probabilis, etſi eſſet notabiliter minus probabilis, tunc plurimæ tales leges in pluribus caſibus forent inutiles, & inefficaces, actuque non obligarent reſpectu plurimorum hominum: ſequela videtur abſurda: ergo & id, unde ſequitur. M. conſtat; quia de plurimis legibus eſt probabile, quod in hoc, vel illo caſu non obligent: ergo tunc non obligarent juxta AArios. & conſequenter eſſent inutiles &c. m. per ſe patet: quia legislatores, dum condunt leges, non volunt inutile quid agere, ſed volunt obligare in actu ſecundo: imo legislatorem providum non decet condere multas leges inutiles: neque homini convenit, ſe nolle ſubjicere plurimis legibus, de quibus ipſe tantam notitiam habet, quanta ordinarie, & communiter eſt poſſibilis.

Accedit, quod legislatores humani minime poſſint prævidere omnia dubia, & gloſſas futuras de ſuis legibus: adeoque cenſendi ſunt, non velle deobligare, ſi tantum aliquod dubium minus probabile contra legem ſuam oriatur, ne per hoc omnes leges humanæ quodammodo inutiles reddantur.

469 Rdebis 1mo. Dummodo obſerventur omnes leges certæ, tunc totus mundus foret ſanctus ſine adulteriis, furtis &c. R. Nego hoc; ſiquidem de multis dubitatur, & probabiliter diſputatur, an ſint furta, uſuræ, violationes jejunii, ſimoniæ &c. Unde multa adhuc fierent peccata, ſi tantum certas, non autem probabiliores obſervaremus.

Neque inſtes: fieri tali modo tantum peccata materialia, non autem formalia; Concedo id equidem, ſi aliquis bona fide credat, ſe poſſe ſequi ſententiam minus tutam, & minus probabilem: aſt & ille, qui bona fide credit, ſe poſſe ſequi ſententiam tenuiter probabilem, peccat tantum materialiter, ſequendo talem ſententiam: & tamen non licet ſequi ſententiam tenuiter ſolum probabilem: ergo a pari &c. *Contra eſt ulterius:* ſaltem adhuc ſequeretur, quod plurimæ leges in pluri-

plurimis caſibus forent inutiles, etiam tunc, quando de illis haberetur notitia tanta, quanta humanitus haberi poteſt: quæ ſequela eſt contra providam legislatorum ſapientiam, & contra reverentiam a ſubditis legibus, ac legislatoribus debitam.

Rdebis 2do. Si Deus proponat legem, quam vult obſervari, ſemper erunt aliqui docti, quibus non tantum probabiliter, aut probabilius, ſed certo erit cognita exiſtentia, & obligatio talis legis. *Contra eſt:* etſi aliqui ſibi certo perſuadeant, legem talem exiſtere, ſi tamen alii contrarium aſſerant, & probabiliter defendant, non exinde ſtatim iſta lex apud omnes, aut plerosque erit certa, ſed plurimis videbitur incerta, & ſolum probabilis.

Ex his tandem concludes, neque proprie dictum dubium de exiſtentia legis remanere poſſe, quando ejus exiſtentia eſt probabilior. Ratio eſt: quia in æſtimatione morali non cenſetur adeſſe dubium de lege, quando de ea tanta habetur notitia, qua major ordinarie vix eſt poſſibilis.

P. 2. Talis homo, qui operatur cum certa cognitione, quod opera- 470
tio ſua ſit veriſimilius, vel probabilius a Deo prohibita, videtur, non ſerio inquirere in voluntatem Dei: imo videtur, hanc virtualiter contemnere, ut recte dicit noſter Herincx: ergo talis homo non excuſatur a peccato. conſ. per ſe claret, cum ille, qui non ſerio inquirit voluntatem Dei, & hanc virtualiter contemnit, male agat juxta omnes. A. p. quia ſervus non cenſetur, ſerio inquirere voluntatem Domini ſui, imo cenſetur, hanc potius contemnere, qui ſemper id agit, quod veriſimilius judicat, eſſe contra voluntatem Domini. Certe Dominus cum tali ſervo minime foret contentus.

Pono hujus rei aliquod exemplum ex Admod. R. P. Kreſslinger, & Clariſſimo P. Antonio Mayr. Sit aliquis ſervus, cui herus ſerio inculcet, ut ſingulis diebus hora undecima ſtatim adſit ad inſerviendum menſæ: ſint autem duo horologia, quorum unum notabiliter probabilius conſentiat cum horologio domini ſui, & hinc tutius, ac probabilius ſit ad obſequia debita præſtanda Domino: alterum vero notabiliter probabilius aberret, adeoque minus tutum, & minus probabile ſit, licet quandoque cum recto tempore, & horologio Domini conveniat, ita, ut probabilitatem poſſit fundare, quamvis minorem. Jam demus, quod ſervus hic velit tantum po-

steriori horologio se ordinarie accommodare non ex alia ratione, quam ut suæ libertati non præjudicet: talis certe officio suo non rite fungeretur, nec voluntatem Domini serio inquireret, imo eam virtualiter contemneret: ergo idem a pari in nostro casu. A. per se patet: certe nullus Dominus talem servum ferre posset, sed potius ei juste indignaretur.

471 Respond. P. La Croix negando paritatem. ait enim: bona fides, vel ignorantia non facit, ut horologium conformetur cursui solis: econtra ignorantia invincibilis, & bona fides facit, operationem meam conformari saltem secundariæ, & permittenti voluntati Dei. Contra hoc

Insto 1. cum Adm. Rev. P. Kresslinger: Totum hoc est in quæstione, an possit dari bona fides, & ignorantia invincibilis in illo, qui verisimilius judicat legem existere, & tamen contra eam agit: ergo hæc responsio nulla est, utpote petens principium, & dans pro responsione illud, quod est in quæstione.

Insto 2. Sicut bona fides, & opinio nostra non facit, horologium conformari cursui solis, ita nec talis fides, vel opinio nostra facit, aliquam actionem esse revera a Deo voluntate, & lege primaria ac directa prohibitam, vel non prohibitam. Certe multæ dantur leges prohibitivæ certorum actuum, quarum existentia sæpe bona fide ignoratur: ergo quoad hoc jam est paritas inter horologium, & inter prohibitionem. 2do. Sicut Dominus censetur velle, ut servus inquirat, & sequatur horologium illud, quod verisimilius concordat cum cursu solis, & suo horologio: ita etiam Deus videtur voluntate sua reflexa velle, ut homo inquirat, & observet legem, & voluntatem suam directam, quando eam judicat verisimilius existere; nam Deus non frustra condidit leges illas directas, & primarias; hinc earum inquisitionem, & observantiam urget etiam voluntate reflexa. Quapropter manet omnimoda paritas, ut optime observat P. Mayr.

472 P. 3. Qui sequitur sententiam minus probabilem, & minus tutam, non potest sibi formare dictamen ultimum certum de licentia suæ actionis; sed qui non potest sibi formare dictamen ultimum certum de licentia suæ actionis, non agit licite, sed peccat: ergo qui sequitur sententiam minus tutam, & minus probabilem, non agit licite, sed peccat. m. probata est superius. M. p. nam 1mo. non potest

ipsa

ipsa opinio minus tuta, aut minus probabilis operanti esse dictamen ultimum moraliter certum; probabilitas enim, præsertim minor, non est certitudo. *2do.* Hoc dictamen non potest formari ex illo principio: *qui juxta probabilem sententiam operatur, prudenter operatur; sed qui sequitur sententiam minus probabilem, operatur juxta sententiam probabilem* &c. hoc enim dictamen esse incertum, ac fallibile, imo esse probabilius falsum, ostendetur in solutione objectionis primæ § seq. Nec *3tio.* AArii. prætendere possunt invincibilem ignorantiam legis, neque dicere, quod non sit sufficienter promulgata, aut intimata lex illa, quæ tantum est probabilius existens; nam hoc ipsum versatur iterum in quæstione, imo a nobis solidis rationibus contra AArios, quod tunc, dum probabilius est existens lex, non detur ignorantia invincibilis legis, sed habeatur notitia ejus ex voluntate divina sufficiens ad inducendam obligationem, ut ex dictis abunde colligi potest: ergo & hoc principium iterum non est certum, imo probabilius est falsum.

Neque confugiant *4to.* ad possessionem libertatis, dicendo, hominem esse in certa possessione libertatis moralis, a qua non debet deturbari per legem incertam, qualis etiam illa est, quæ tantum est probabilius cognita. Antequam hoc ultimum, iterum fallibile principium AAriorum refutemus, notandum est, libertatem illam, de qua hic agimus, esse moralem, & esse potentiam ponendi aliquem actum impune, seu licite, & inculpabiliter: vel esse liberationem, & deobligationem a lege &c. H. N. contra AArios sic

Argumentor 1. Libertas, in qua se fundant AArii., est formalissime in quæstione: ergo non est in possessione. C. patet: quia res incerta, & dubia, quæ in quæstionem, & controversiam trahitur, non est in possessione; cum possessio debeat esse certa, & non dubia. A. p. quæritur enim, & dubitatur, an homo unquam acceperit hanc libertatem moralem, & potentiam libere, & licite non observandi legem in casu illo, quo legis talis existentia notabiliter probabilior est, quam ejus non existentia.

Argumentor 2. Ille non est in possessione libertatis contra legem, qui habet sufficientem notitiam de lege; sed ille, qui habet notitiam notabiliter probabiliorem de lege, habet notitiam sufficientem de lege: ergo, qui habet notitiam probabiliorem de lege, non est in possessione libertatis contra legem. M. constat: quia homo

tamdiu tantum eſt liber, & excuſatus ab obſervatione legis, quamdiu eam invincibiliter ignorat, & conſequenter quamdiu non habet ſufficientem ejus notitiam. m. iterum liquet ex dictis: quia ille, qui habet notabiliter probabiliorem notitiam de exiſtentia legis, non poteſt prætendere ignorantiam invincibilem, nec dubium invincibile legis.

473 Reſpondebis: Jus prius manet in certa poſſeſſione, donec per aliud jus certum ſuperveniens ab hac poſſeſſione certo deturbetur; atqui jus libertatis moralis eſt jus prius ante legem, vel latam, vel cognitam; initio enim uſus rationis, dum homo necdum habet ſufficientem cognitionem legis alicujus, cenſetur eſſe liber, & excuſatus ab obſervatione omnium illarum legum, quas tunc ignorat: a qua certa libertate poſtea non deturbatur, niſi per legem certo cognitam.

Contra eſt 1*mo*. Hæc reſponſio, & inſtantia AAriorum iterum petit principium, & reſpondet id, quod eſt in quæſtione; quæſtio enim, & dubium hic eſt, an homo unquam habuerit, vel acceperit libertatem moralem, & deobligationem a lege pro caſu illo, quo habet notitiam probabiliorem de exiſtentia legis. Imo conſtanter nos aſſerimus, quod homo nunquam habuerit libertatem, ſeu jus ponendi licite actionem pro caſu notitiæ probabilioris legis, prohibentis talem actionem.

Contra eſt 2*do*. Quando quis habet certam legem, & probabilius tamen judicat in particulari caſu, ſe eſſe exemptum ab obſervantia hujus legis, tunc ajunt aliqui ex noſtris AAriis, quod aliquis non teneatur ad obſervantiam talis legis, non obſtante, quod lex illa ſit in certa poſſeſſione: ſic in die, quo certo præcipitur jejunium, ſi dubitas, an ob hoc iter, quod feciſti, ſis exemptus a jejunio? item, ſi es obligatus ad breviarium, & dubitas, an Veſperas dixeris? tunc ajunt, ſi probabiliora pro te habes fundamenta, te poſſe reſolvere pro libertate contra legem. Ita ſentiunt Layman L. 1. *Theol. mor.* t. 1. c. 5. n. 31. Illſung t. 1. d. t. art. 4. n. 26. id ipſum tenet etiam La Croix L. 1. n. 600. qui omnes ſunt noſtri AArii.: ergo a fortiori, ſi habes probabiliora fundamenta pro lege contra dubiam poſſeſſionem libertatis, debes te reſolvere pro lege contra libertatem; ſi enim probabilior exemptio a lege tollit, & elidit certam obligationem legis, quidni probabilior obligatio legis elidet dubiam poſſeſſionem libertatis?

Accedit, quod notitia probabilior in materia legum ſit quodammodo aliqua certitudo, ſaltem æquivalenter, & minus ſtricte talis; eſt enim cognitio tanta, qua major ordinarie non poteſt haberi. Deinde hæc major probabilitas tollit omne dubium morale, quia dubium eſt quaſi quoddam æquilibrium rationum, quod intellectum in medio ſuſpenſum detinet: atqui hoc æquilibrium tollitur per notitiam notabiliter probabiliorem legis; quia per hanc intellectus notabiliter magis in unum contradictionis partem inclinatur, quam in alteram. Ex quo ulterius ſequitur, quod moraliter loquendo intellectus in noſtro caſu non habeat amplius ignorantiam invincibilem legis.

Contra eſt *3tio.* Etſi lex directa tutior, & notabiliter probabilior non ſit certa, datur tamen lex aliqua reflexa certa, nos obligans ad ſequendam ſententiam probabiliorem, & tutiorem, relicta minus tuta, & notabiliter minus probabili: ergo dato, quod homo antecedenter fuiſſet in certa poſſeſſione libertatis contra legem tantum probabilius cognitam, hæc tamen poſſeſſio tolleretur per legem reflexam certam. Antecedens abunde oſtendetur in ſolutione objectionum.

Contra eſt *4to.* Neque videtur rationabile, quod homo contra Deum poſſit prætendere præcedens aliquod certum dominium ſuæ voluntatis, & libertatis, ſicut unus homo contra alterum poteſt prætendere certam poſſeſſionem, & certum dominium ſuæ pecuniæ: Econverſo potius Deus cenſetur eſſe in certa poſſeſſione contra hominis libertatem: ergo.

Ex his concluditur, quod AArii mera dubia principia, quæ ſunt formaliſſime in quæſtione, aſſumant pro medio termino, & ratione, ex qua deducant ultimum dictamen: ſed ex dubiis principiis non poteſt deduci ultimum dictamen certum: ergo.

§. II.

Satisfit Objectionibus.

Objic. 1. Quando ſequor ſententiam notabiliter minus probabilem, & minus tutam, prudenter operor; ſed, quando prudenter operor, certe non pecco: ergo, quando ſequor ſententiam nota- 474
biliter

biliter minus probabilem, & minus tutam, non pecco: m. per se patet; nam nullum peccatum est actus prudens. M. p. Quando operor ex gravi motivo, tunc prudenter operor: sed quando sequor sententiam notabiliter minus probabilem, operor ex gravi motivo; cum & sententia notabiliter minus probabilis debeat adhuc niti motivo gravi, & prudenti: ergo quando sequor sententiam notabiliter minus probabilem, & minus tutam, prudenter operor.

R. N. M. Imprudenter agit ille, qui se exponit periculo proximo formaliter peccandi: sed, qui sequitur sententiam notabiliter minus probabilem, & minus tutam, se exponit periculo proximo formaliter peccandi; agit enim stante dubio practico, quod non potest deponere in tali casu, cum nullum habeat principium moraliter certum, per quod tale dubium posset elidere. Etenim tale principium certificans non esset ipsa probabilitas sententiæ minus probabilis, uti per se patet; nam, cum probabilitas sit fallibilis, & incerta, sic nos de honestate alicujus actionis nequit certificare. Neque ille, qui sequitur sententiam minus tutam, & notabiliter minus probabilem, posset prætendere, quod laboret ignorantia, vel dubio invincibili legis; hoc enim est probabilius falsum, ut colligitur ex nostris probationibus: adeoque hoc ipsum principium est saltem summe dubium, & controversum: sed ex principio dubio non potest deduci dictamen certum, & conclusio excludens omne dubium, & formidinem: ergo. Ex hac ipsa ratione male talis homo recurreret ad possessionem libertatis; nam & hæc est dubia, & de ea controvertitur. Ex quo

475 Infertur 1mo. certa lege reflexa esse prohibitum, ne quis sequatur sententiam minus tutam, & minus probabilem; siquidem certa lege reflexa est prohibitum, ne quis agat cum dubio practico, aut cum formidine actuali de inhonestate actus: sed talis, qui sequitur sententiam minus tutam, & notabiliter minus probabilem, debet agere cum dubio practico, & actuali formidine de inhonestate actus: ergo certa lege reflexa est prohibitum, ne quis sequatur sententiam minus tutam, & minus probabilem. m. constat; nam ille debet cum actuali practico dubio, & formidine de inhonestate actus agere, qui nullum principium certum habet, quo tale dubium, vel formidinem posset elidere. Ex quo

Infer-

Infertur 2*do.* Quamvis lex directa, prohibens aliquam actionem, sit tantum probabilior ; & non obliget certo ad sui observantiam, obligare tamen legem reflexam ad observandam legem illam directam, cujus existentia est probabilior, & quidem etiam in casu, quo revera talis lex directa a parte rei non existeret. Ratio est : quia lex Dei reflexa, & consequens præcipit, ut in illo casu agamus cum dubio, vel formidine practica de inhonestate actus : adeoque neque tunc licet cum tali dubio agere, quando a parte rei lex illa, de cujus existentia practice dubitatur, non existit. Si ergo aliquis tale dubium practicum nequit deponere, oportet eum sequi sententiam tutiorem, & faventem legi contra libertatem, ut patet ex dictis.

Infertur 3. Quid respondendum sit ad illud AAriorum principium : *quandocunque operor ex gravi, & probabili motivo, prudenter operor*, nam hoc principium sic universaliter prolatum, probabilius est falsum : unde absolute negari potest. Vel ex gratia distinguo : quandocunque operor ex gravi, & probabili motivo, prudenter operor, si simul per principium moraliter certificans possum elidere grave dubium, vel formidinem de opposito *conc.* si non possum elidere *neg.*; nam, ut dictum est n. 436. & seq. ad actionem prudentem non sufficit quæcunque sententia, etiam theologice probabilis, sed requiritur, ut simul adsit aliquod dictamen certum, practicum, excludens omne dubium, & formidinem de opposito : atqui ille, qui sequitur opinionem minus tutam, & notabiliter minus probabilem, cognitam ut talem, non potest habere aliquod dictamen certum, practicum, excludens omne dubium, & formidinem formalem de opposito : ergo. Videatur n. 437. Ex hoc posset negari, quod opinio, alioquin vere, ac theologice, minus tamen probabilis, & minus tuta, in concursu tutioris, & probabilioris sit in actu secundo practice probabilis, eoquod talis opinio non possit in praxin redigi, nec constituat assensum prudentem in ordine ad ipsam praxin.

Dices : Potest aliquis sententiam minus probabilem, & minus tutam absolute ut veram affirmare : ergo etiam eam potest sequi. R. D. a. potest id absolute, non tamen prudenter tr. a. potest hoc etiam prudenter n. a. Non desunt, qui absolute negant, per assensum, seu prudentem, seu imprudentem, posse positive ut veram affirmari sententiam minus probabilem, uti Layman L. 1. t. 1. c. 5. n. 5. Muniesna, Suarez, Thyrsus, qui longe plures adhuc citat.

Verum hoc transmiſſo, ſaltem mihi cum P. Antonio Mayr, & Admod. Rev. P. Kreſslinger videtur, ſine nota imprudentiæ non poſſe ut veram affirmari ſententiam minus tutam, minusque probabilem. Certe hic aſſenſus foret maxime imprudens: *Ego quidem omnibus penſatis, agnoſco hanc ſententiam ſimiliorem falſo: quia tamen deſidero juxta mihi favorabiliorem operari, ideo abſolute prudenter judico, illam re ipſa eſſe veram; quamvis attendendo ad rationes contrarias graviores, gravius formidem de falſitate.* Quænam in hoc aſſenſu prudentia? certe non alia, quam prudentia carnis.

476 Objic. 2. Non debet adſtrui aliqua obligatio, quæ non eſt ſufficienter probata; atqui, quando exiſtentia legis alicujus tantum eſt probabilior, tunc ejus obligatio non eſt ſufficienter probata: ergo non debet adſtrui obſervatio legis illius, cujus exiſtentia eſt tantum probabilior. R. C. M. & N. m. Satis eſt probata aliqua obligatio, ſi de ea tanta habetur notitia, qua major ordinarie non poteſt haberi in re morali, & in tali lege. Præterea in ſimilibus argumentis AArii videntur petere principium; ſupponunt enim, *nullam eſſe adſtruendam obligationem legis alicujus, niſi ea moraliter certo conſtet, aut probetur:* hoc autem ſuppoſitum, & principium AAriorum eſt incertum, & ſumme dubium, ac a plurimis negatur.

477 Objic. 3. Obligatio certa poteſt tantum provenire a lege certa: ergo ea non provenit a lege, tantum probabilius cognita. A. p. Effectus certus non poteſt provenire, niſi a cauſa certa: ſed obligatio eſt effectus legis: ergo obligatio certa non poteſt provenire, niſi a lege certa. R. D. c. ergo ea non provenit ſolum a lege directa, quæ tantum eſt probabilior c. c. non provenit a lege reflexa, quæ eſt certa n. c. Eſt certa lex reflexa, obligans ad non agendum, niſi prudenter depoſito prius dubio practico. Sed in noſtro caſu homo non poteſt prudenter deponere hoc dubium practicum, aut ſe reſolvere, quod licite agat: ergo.

Dices 1mo. Hoc non eſt certum, quod talis homo, qui ſequitur ſententiam minus probabilem, & minus tutam, non poſſit prudenter deponere dubium: ergo hæc reſponſio nulla eſt. R. N. c. Nam ex eo, quod non ſit certum, me non poſſe prudenter reſolvere, non ſequitur, ut certo poſſim me reſolvere. Et utique imprudens eſſet iſta illatio: *Non eſt certum, quod me non poſſim reſolvere prudenter: ergo poſſum, & volo, me reſolvere prudenter.* Non ergo requiritur,

tur, ut certum sit, sed sufficit, ut probabilius sit, talem hominem se non posse resolvere, nec habere principium aliquod reflexum, vel directum certum, deponendi dubium; nam eo ipso, quod probabilius non habeat aliquod principium certum se resolvendi, & deponendi dubium, debet in isto dubio practico perseverare: quamdiu autem perseverat in dubio practico, tamdiu vi certæ legis reflexæ non potest sequi sententiam minus tutam.

Dices 2. Debito incerto non debet satisfieri per solutionem certam: ergo etiam legi, cujus existentia est incerta, non debet satisfieri per observantiam ejus certam. Atqui lex, cujus existentia tantum probabilius datur, est adhuc incerta: ergo. R. D. a. & hoc ideo, quia hanc solutionem deberet homo præstare ex bonis illis, quorum certam possessionem, & dominium habet c. a. quorum tantum dubium, & incertum dominium, ac possessionem habet n. a. & D. c. ergo etiam legi, cujus existentia est incerta, non debet satisfieri per observantiam certam in casu illo, quo homo adversus legem habet certam possessionem, & dominium certum libertatis moralis c. c. in casu illo, quo non habet &c. n. c. In casu, quo lex, cujus existentia est incerta, probabilius datur, non habet voluntas possessionem, vel dominium certum adversus legem.

Dices 3*tio.* Præceptum, quod præcipit actum aliquem fidei eliciendum, non obligat, nisi existentia ejusdem præcepti sit certa: ergo neque alia præcepta obligant, nisi sint moraliter certa. R. N. a. Hoc est verum, quod non possim circa aliquod objectum, vel articulum elicere actum fidei, nisi ejus revelatio sit mihi moraliter certa, ac moraliter evidens, prout in Tractatu de fide dici solet: Ast posito semel casu, quod revelatio alicujus mysterii mihi sit certo applicata, potest Deus me obligare ad actum fidei etiam in illo casu, in quo tantum probabilius est, legem taliter obligantem dari.

Dices 4*to.* Lex dubia, & cujus existentia non est clara, & manifesta, non obligat: sed talis est omnis lex incerta, dato etiam, quod ejus existentia sit notabiliter probabilior: ergo. R. N. m. Lex enim, cujus existentia est probabilior, jam satis est clara, ea claritate, quæ in moralibus ut plurimum potest haberi. Neque est *dubia* in rigore, cum dubium stricte tale sit suspensio omnis assensus, orta ex defectu rationum sufficienter ad assensum impellentium: ast in

nostro casu non datur talis suspensio judicii. Si autem dubium in acceptione latiori sumatur pro omni eo, quod non est omnino certum, tunc lex humana etiam probabilius tantum cognita, erit utique adhuc *dubia*. Verum de hoc dubio improprie, & latius accepto non loquuntur legislatores, dum ajunt: *In dubio esse minimum sequendum*: de quo plura Articulo seq.

478 Objic. 4*to*. Potuisset Deus permittere, ut licite sequeremur sententiam minus tutam, minusque probabilem: ergo censetur etiam id permisisse. C. p. quia hæc permissio est summe expediens, ut reddatur jugum Christi suavius, & facilius negotium nostræ salutis. R. N. a. Etenim vi talis permissionis innumeræ quasi leges, de quibus tantum habetur probabilis notitia, universaliter perderent vim proximam obligandi, cum neque tunc deberent observari, ubi earum existentia esset notabiliter probabilior, & sic essent frustranee, ac inutiliter a Deo latæ: atqui leges tot esse inutiliter, ac frustranee a Deo latas, est contra summam, & infinitam sapientiam supremi hujus Legislatoris; nihil autem is facere potest, quod huic suæ sapientiæ, & providentiæ perfectissimæ repugnaret. Ad rationem consequentis R. Retorq. Etiam jugum Christi redderetur suavius, & minuerentur peccata formalia, si permitteretur, ut licite non observaremus leges certas, quarum aliquæ sunt satis difficiles, uti lex confitendi peccata etiam occulta &c., & ob quarum transgressionem plurimum multiplicantur peccata formalia, multique homines damnantur.

Dein sic argumentor: Deus indulsit fragilitati nostræ, ut non teneamur observare leges etiam re ipsa existentes, quamdiu notabiliter probabilius nobis apparet, quod non existant: ergo jure videtur a nobis vicissim exigere, ut servemus leges aliquas, re ipsa existentes, vel etiam non existentes, quando nobis notabiliter probabilius apparet, quod existant.

Dices: Etiam in AAriorum sententia posset adhuc obligare lex illa, cujus existentia est tantum probabilis, vel probabilior: ergo ea non esset penitus inutilis in ipsorum principiis. A. p. Obligaret talis lex saltem illos, quibus videretur esse moraliter certa, vel quibus ea appareret unice probabilis, ita, ut opposita sententia, negans talem legem, eis omnino non esset probabilis: ergo. R. D. a. & tali modo rarissime, & vix unquam, ac paucissimos tantum obligaret lex illa, sicque ordinarie, & respectu plerorumque adhuc esset inutilis

c. a.

c. a. ſecus n. a. Talis lex, cujus exiſtentia eſt tantum probabilis, poſito etiam, quod ea ſit probabilior, non poſſet niſi pauciſſimis, iisque in extraordinario caſu apparere ut moraliter certa, vel tantum ut unice probabilis, eo ipſo, quod communiter, & univerſaliter pars oppoſita, & ſententia minus tuta adhuc haberetur vere, & theologice probabilis: ergo in tali caſu adhuc ordinarie, & fere ſemper talis lex eſſet inutilis: quod non convenit ſapientiæ ſupremi Legislatoris.

§. III.

Solvuntur aliæ Objectiones.

Obijc. 5. Interdum lex illa, quæ probabilius creditur exiſtere, a 479
parte rei non datur: ergo ſaltem in tali caſu non obligat. C. videtur patere; nam lex non exiſtens non obligat. R. 1mo. indirecte: Sæpe etiam lex aliqua exiſtit revera, & tamen eſt probabilius eam non dari; in quo caſu juxta nos, & AArios lex talis revera exiſtens non obligat: ergo fit quoad hoc ſufficiens compenſatio. R. 2. N. c. Rationem ejus diſt. Lex directa non exiſtens non obligat, obligat tamen alia lex reflexa, de qua jam ſupra in reſponſione ad objectionem primam *conc.* non obligat alia lex reflexa *neg.* Sicut lex reflexa obligat ad obſervandam eam legem directam, quæ invincibiliter, & erronee creditur exiſtere: ita & lex aliqua reflexa obligat ad obſervandam quoque legem illam, quæ quidem non exiſtit, probabilius tamen creditur exiſtere. Verum quæ, & qualis hæc ſit lex reflexa, obligans ad obſervantiam talis legis, facile conjicietur partim ex hic dictis, partim ex dictis in reſponſione ad Objectionem primam: poterit etiam aſſignari illa, quæ obligat, ut non agamus cum dubio practico, & alia, quæ adſtringit, ut ſequamur conſcientiam invincibiliter erroneam.

Objic. 6. Noſtra ſententia multiplicat peccata formalia, oppoſita ea minuit: ergo oppoſita ſententia eſt melior, quam noſtra. R. 1. Retorq. Argum. Sententia tollens omnes leges, etiam certas, item illa, quæ admittit, quod poſſimus ſequi ſententiam tenuiter probabilem, adhuc magis minuit peccata formalia, quàm noſtra, & AAriorum: ergo ſententia illa, tollens leges certas &c. eſt melior, quam noſtra, & AAriorum. R. 2. D. a. Noſtra ſententia multiplicat, & eſt cauſa per accidens peccatorum formalium c. a. eſt cauſa per ſe peccatorum formalium n. a. Quod homines nolint obſervare leges

seu certas, seu probabilius existentes, non est vitium legum, aut legislatorum, sed malitiæ hominum, ob quam leges non debent tolli. Neque a legislatore caveri debet quæcunque causa per accidens peccati, præsertim si ea amota sequeretur nimia laxitas morum, vel inutilitas legum. Profecto, si omnes causæ per accidens peccatorum a legislatore tolli deberent, tunc omnes leges essent abolendæ; quia omnes fere per accidens occasionem malitiæ hominum præbent eas transgrediendi.

Objic. 7. Nostra sententia imponit onus intolerabile, auget scrupulos &c. deberet enim homo semper indagare, an non una sententia ex duabus oppositis probabilibus foret probabilior altera, & non sufficeret scire, sententiam esse vere theologice probabilem: sed tale onus non est facile imponendum humanæ fragilitati: ergo.

R. 1. Etiam juxta AArios debet homo indagare, quænam sententia sit vere theologice tam absolute, quam comparative, & non tantum tenuiter probabilis: ergo & ipsi AArii imponunt onus intolerabile. R. 2. N. M. Nostra sententia non imponit plus oneris, quam opposita; nam & juxta AArios debet homo morali diligentia indagare, an sententia, quam operando vult amplecti, sit vere theologice, proinde non solum *absolute*, sed & *comparative* probabilis: quod non potest præstare, nisi motiva unius sententiæ cum motivis alterius comparet, hoc autem si faciat, tunc facile deprehendet, an vi rationum satis sensibiliter magis ad unam partem præ altera trahatur, an vero motiva utriusque partis sint æqualis ponderis: proinde an una sententia sit majoris, vel tantum æqualis probabiltatis cum altera. Videatur de hoc Adm. R. P. Kreslinger in sua disquisitione fol. 126. *& seqq.* ubi multa utilia resolvit, quæ hic brevitatis gratia transire cogor.

480 Objic. 8. Juxta nos subditus posset non obedire superiori, præcipienti aliquid minus tutum, & subdito minus probabile: sed hoc est falsum; est enim contra SS. PP. ut S. Augustinum l. 22. *contra Faustum Manichæum. c.* 75. S. Bernardum Tract. *de Præcepto, & dispensatione.* S. Bonaventuram, S. Bernardinum Senensem, S. Ignatium Loyolam, Scotum 4. d. 3. q. 4. n. 6. ℣. *Hæc autem dixi.* Item repugnat hoc sententiæ communissimæ omnium Ascetarum, ex quibus, & SS. PP. allegatis eruitur, semper esse obediendum superiori præcipienti, quamdiu

diu non est certum, rem præceptam esse illicitam, etsi subdito talis res videatur probabilius illicita: ergo.

R. 1. Retorq. Argum. Multo magis juxta AArios posset subditus non obedire superiori præcipienti aliquid minus tutum, quod subdito apparet probabilius illicitum. Ratio hujus est: quia non contemnendi Authores negant, subditum in tali casu esse obligatum ad obediendum, ut Franciscus Lugo, Petrus Ledesma, aliique videndi apud Thyrsum Gonzalez, quorum sententiam probabilem etiam censet Castro Palao ab Adm. R. P. Kreſslinger citatus. Posset ergo alicui ob hos authores sententia, negans obligationem obediendi in hoc casu, saltem minus probabilis videri, & talis juxta AArios esset excusatus ab obedientia.

R. 2. N. M. nam est notabiliter probabilius, quod etiam in tali casu teneatur homo obedire superiori præcipienti, uti habet communissima; hinc actio illa, quæ in se inspectata fuit probabilius illicita, accedente authoritate, & præcepto superioris fit probabilius licita, ac omnino obligatoria. Deus nempe, qui forte talem actionem, in se præcise consideratam, prohibuit lege directa, eam, ut vestitam circumstantia præcepti Superioris, imperat lege reflexa. Ita & Deus sæpe rem, lege directa prohibitam, permittit, aut præcipit alia lege reflexa ob ignorantiam, & errorem invincibilem: sic etiam in Sacramentis lege directa prohibet usum materiæ dubiæ, hunc tamen imperat lege consequente, & reflexa in casu necessitatis. Ita sapienter discurrit Clarissimus P. Mayr. Præcipit autem Deus per accidens, & vult obediri in nostro casu, ne evertatur disciplina ordinata; hæc enim exigit, ut subditi in tali quoque casu obtemperent: alioquin aperta via multis aperiretur ad denegandam obedientiam. Obligationem hanc obediendi confirmant, & probabilissimam reddunt SS. PP. Ascetæ, & alii, eam vix non unanimiter asserentes, paucis respective exceptis. Videatur etiam Adm. R. P. Kreſslinger cit. fol. 124.

Nihilominus pro praxi addo ex R. P. Antonio Mayr sequentia. 1mo. Si Superior esset manifeste malus, & indifferenter consuevisset præcipere bona, & mala, tunc subditus non teneretur, imo nec posset statim obedire, nisi prius sedulo indagasset, & cognovisset, quod res præcepta non sit mala. Verum tanta malitia non est facile de Superiore præsumenda. 2do. Id ipsum, priusquam obediret, deberet facere subditus, quando ei Superior indoctus, vel alias præceps in suis ne-

gotiis præciperet rem gravissimam, cujus adimpletio facile in alicujus grave præjudicium vergere posset, quamvis ejus omissio nullum præjudicium Superiori, aut alteri afferret: etiam in hoc casu res prius esset secundum Deum pensanda, & examinanda. Adjungo autem ex eodem, Superiorem non semper teneri, manifestare motiva, & finem suorum præceptorum: quare si Princeps indoctus subditos suos juberet militare contra alium Principem, sufficeret, ut subditi sciant, quod Rex tales habeat consiliarios, qui ipsum sanis consiliis dirigant. Ex his

Colliges 1. Superiorem etiam in casu, ubi res, quam præcipit, est probabilius illicita, nomine Dei præcipere. Ratio est, quia Deus Superiori in hoc casu sua authoritate, & lege sua reflexa assistit.

Colliges 2. Legem illam directam, quæ probabilius aliquid prohibet, obligare tantum proxime extra casum, & circumstantiam præcepti, a Superiore impositi, non autem, quando tale præceptum est impositum. Unde talis obediens non agit contra, sed potius juxta voluntatem, & legem Dei.

481 Objic. 9. Potest quis prudenter judicare, proximum suum esse bonum, licet ei probabilius sit, esse malum. imo D. Thomas 2. 2. q. 60. art. 4. in Corp. & ad 2. tenet, de proximis bene sentiendum, nisi manifesta ratio in oppositum appareat: ergo etiam potest aliquis prudenter judicare, actionem aliquam esse licitam, quamvis probabilius sit, eam esse illicitam. A. constat, *tum* ex authoritate D. Thomæ cit. *tum* ex eo, quia *dubia de proximo debemus semper interpretari in meliorem partem*, juxta commune axioma.

R. 1. D. a. potest hoc, accedente alio motivo, vi cujus sit probabilius, proximum esse bonum tr. a. non accedente alio motivo n. a. 1*mo*. Proximus est in certa possessione suæ bonæ famæ. 2*do*. In his judiciis, quæ hominem alterum malitiæ arguunt, plerumque se immiscent passiones nostræ, quæ nos decipiunt, ut quandoque ipsa aperta falsitas majorem probabilitatem apud nos habere videatur, ut testatur quotidiana experientia: hinc prudens vir etiam tali judicio, utut sibi probabilius videtur, prudenter non potest inniti. 3*tio*. Accedit motivum charitatis, quæ nos de proximo semper bene sentire jubet, donec contrarium aperte, & certo constet, sicut & obedientia nos jubet morem gerere Superiori, donec constet manifeste, & certo,

eum præcipere aliquid illicitum. Hæc autem non habentur in caſu AAriorum; ſic enim 1*mo*. Libertas non eſt in certa poſſeſſione contra legem probabilius cognitam. 2*do*. Non eſt timendum, quod nos paſſio noſtra excæcet, dum ferimus judicium pro lege contra laxitatem noſtræ libertatis. 3*tio*. Neque motivum virtutis aſſignari poteſt, a qua juſtificetur ipſorum dictamen, quo judicant, hominem poſſe ſequi ſententiam minus probabilem minusque tutam, relicta probabiliore, & tutiore: imo horum AAriorum dictamen ad prudentiam carnis, virtuti, & veræ prudentiæ inimicam referri poteſt, & debet, ut ex dictis colligitur. Videatur jam ſæpius laudatus Kreſslinger fol. 59. & ſeqq. ubi & alia reſponſio ad hanc objectionem videri poteſt.

Dices: Ergo ſaltem poteſt aliquis Confeſſarius dicere, & judicare ex motivo charitatis, aliquam actionem eſſe licitam, etſi ſit minus probabilis, ne nempe alioquin proximus nimium gravetur. R. N. illat. Charitas non dictat, nos debere falſum dicere, aut viam cæli nimium laxare, aut in gratiam proximi leges Superiorum tollere; charitas enim tantum ſuccurrit proximo in rebus, quæ non ſunt contra leges.

Objic. 10. Confeſſarius debet abſolvere pœnitentem, qui vult 482
ſequi ſententiam vere theologice probabilem, etſi ea ſit minus tuta, & notabiliter minus probabilis appareat Confeſſario: ergo non tenemur ſequi ſemper ſententiam probabiliorem. R. D. a. poteſt hoc Confeſſarius in caſu, quo iſtud ei probabilius apparet eſſe licitum, & pœnitenti expediens c. a. ſecus n. a. Poteſt Confeſſarius probabilius judicare, licitam eſſe abſolutionem talis pœnitentis, quando hic eſt homo prudens, & æque doctus, ac Confeſſarius: quia talis ſententia, quam vult ſequi, poteſt ei eſſe omnino magis probabilis, ac oppoſita. Iterum hoc procedit, ſi pœnitens jam ab aliis viris doctis fuit inſtructus, quid in hac re poſſit, & debeat agere; nam & his viris doctis poteſt conſilium ſuum apparere probabilius, quam ſententia oppoſita. Ratio rationis eſt: quia non raro ſententia, quæ uni videtur probabilior, aliis apparet eſſe minus probabilis, & viciſſim. Neque eſt ratio, cur pœnitens ſequatur potius Confeſſarium, quam alios viros doctos, æque prudenter, vel omnino prudentius conſulentes: imo & indoctus permitti poteſt in ſequela ſententiæ minus probabilis, quando ex una parte is cognoſcitur bona fide, & ex invincibili ignorantia procedere, & ex altera parte nullus fructus ſperetur, ſi admoneatur,

tur, quod non liceat talem sententiam sequi, vel practicare; nam & in aliis casibus tales homines, apud quos admonitio nullum effectum haberet, in bona fide, & ignorantia invincibili relinquendi sunt, ne loco peccatorum materialium, quæ hactenus ob bonam fidem, & ignorantiam commiserunt, postea patrent peccata formalia, ut sæpius fieri consuevit ob monitionem imprudenter a Confessario datam: in casu autem, quo fructus speratur, deberet ei insinuari a Confessario, quod non liceat hoc, quod nempe Confessario omnibus rite perpensis apparet minus probabile &c. idem deberet facere Confessarius, interrogatus a pœnitente.

483. Objic. 11. Quamvis mihi sententia aliqua videatur notabiliter probabilior, possum tamen sequi oppositam, & minus probabilem: ergo. A. p. possum enim judicare, sententiam meam, etsi mihi videatur esse probabilior, haud tamen esse probabiliorem in se; *tum*, quia fallibile est meum judicium, *tum*, quia ipsa humilitas dictat, me debere potius sequi aliorum virorum doctorum judicium, & meam opinionem relinquere: ergo. R. 1. Retorq. Argum. Ex hoc sequeretur, neque me teneri ad sequendam illam sententiam tutiorem, quæ mihi apparet ut moraliter certa; possem enim judicare, me falli in meo judicio, & talem sententiam non esse revera in se certam &c. Ast sequelam vix admittent. R. 2. N. a. utrumque; imprimis enim Deus cuilibet assignavit pro regula proxima morum suam propriam conscientiam: ergo hanc, non autem opiniones aliorum, quando hæ ipsi minus tutæ, & minus probabiles prudenter apparent, sequi debet. Dein potest quidem homo falli: est tamen verisimilius, eum non falli, dum pro se, & sua sententia, expensis expendendis, videt stare rationes notabiliter graviores, quam pro parte opposita. Denique neque contra humilitatem agit, qui ex reverentia erga supremum legislatorem relinquit opinionem hominum aliorum, sibi, rite pensatis pensandis, minus probabilem apparentem: paucis: nec superbus censendus est, nec temere agit, qui ex motivis prudentibus agit, & procedit, etsi alii contrarium sentiant, & dicant.

Objic. 12. Potest aliquis alius sequi sententiam illam, quam ego judico minus probabilem, si videlicet hæc ipsa sententia eidem videatur magis, vel æque probabilis, ac opposita tutior: ergo & ego possum sequi sententiam talem minus probabilem. R. N. c. & parit.; nam

nam hæc ſententia alteri, non autem mihi, eſt magis probabilis, ac oppoſita. Deinde quilibet ſuam, non autem alterius conſcientiam pro regula proxima morum accepit. Accedit, quod alter talem ſententiam poſſit prudenter judicare eſſe veram, eoquod eam probabiliorem agnoſcat: contra ego eam non poſſum prudenter judicare eſſe veram; quia mihi ea ſolum notabiliter minus probabilis apparet: ergo neque eam ſequi, neque alteri ſecundum illam conſilium dare poſſum.

Objic. 13. Non eſt rationabile, ut ego ex mea particulari opinione obliger ad id, ad quod alii non obligantur: ergo ſi ego in particulari habeo notitiam probabiliorem de exiſtentia legis alicujus, de qua alii tantum habent minus probabilem, non obligor ad eam obſervandam. A. patet; nam lex debet eſſe communis, & æqualiter obligare omnes, ut ſic habeatur uniformitas operandi in republica. R. 1. Retorq: Argum. ergo neque obligarer ad legem aliquam, de cujus exiſtentia ego in particulari vel ob perpenſa rite motiva, vel ob ſpeciale lumen ſupernaturale haberem notitiam, quod utique AArii non admittunt. R. 2. N. a. ad prob. D. a. Lex debet eſſe communis, & æqualiter obligare omnes, quibus obligatio hujus legis eſt æqualiter nota c. a. quibus non eſt æqualiter nota n. a. Etſi lex in actu primo debeat obligare omnes, non tamen in actu ſecundo obligat, niſi illos, qui habent ſufficientem notitiam, & non poſſunt prætendere ignorantiam invincibilem talis legis: atqui ſufficientem notitiam legis &c. cenſentur habere illi, quibus ea eſt probabilior, non autem alii, quibus exiſtentia legis tantum eſt minus, vel æque probabilis, ac ejus non exiſtentia: ergo.

Objic. 14. In dubiis moralibus non ſemper teneor conſulere homines doctiores: ergo neque in rebus moralibus ſemper teneor ſequi ſententias probabiliores. R. D. a. non teneor conſulere homines doctiores, quando apud viros abſolute doctos, & prudentes poſſum invenire veritatem, ſicut apud magis doctos c. a. ſi non æque poſſum invenire veritatem n. a. & D. c. ergo neque teneor &c. ſi ſequendo ſententias minus probabiles, & minus tutas, æque ſatisfacerem voluntati legislatoris, ac ſequendo probabiliores, & tutiores c. c. ſecus n. c. Si in noſtro caſu poſſem ſequi ſententias minus tutas, & minus probabiles, tunc multæ leges forent inutiles, & ſic non ita ſatisfieret voluntati legislatoris, ſicut tunc, quando eſſet

obliga-

obligatio, sequendi in simili casu semper probabiliora. Ast vero in casibus conscientiæ ordinariis censetur, veritas æque inquiri, & inveniri posse apud absolute doctos, & prudentes, sicut apud doctiores. Neque magis docti semper respondent probabiliora, sed sæpe etiam laxiora: adeoque non est obligatio semper interrogandi doctiores, bene autem sequendi sententias magis tutas, & magis probabiles.

Articulus IV.

An liceat, stante dubio, vel inter duas æqualiter probabiles propositiones sequi minus tutam, relicta tutiore?

§. I.

Statuitur nostra Sententia.

484 Nota 1mo. Iterum hic agitari controversiam de sententiis probabilibus, spectantibus licentiam actionis, ac quæstionem juris, in quibus quæritur de existentia legis, v. g. an existat, seu detur præceptum jejunandi certis diebus, audiendi Missam die festo, statim agendi pœnitentiam post peccatum grave, confitendi circumstantias notabiliter aggravantes &c.

Nota 2. Præsentem quæstionem coincidere cum illa, in qua petitur, an, & quomodo obliget lex dubia? vel, an in dubio de existentia legis alicujus obligemur semper ad amplectendam sententiam tutiorem, & faventem legi? Quippe, quando sententia affirmans, & sententia negans, existere aliquam legem, sunt æqualiter probabiles, & ut tales proponuntur intellectui, tunc intellectus prudenter nec sententiæ affirmativæ, nec negativæ potest assensum præbere, sed inter utramque contradictionis partem suspendere debet judicium, ut dictum est suo loco, in qua suspensione judicii formaliter consistit dubium. Et dato, quod intellectus in tali casu non dubitaret *formaliter*, nec actu suspenderet omnem assensum determinatum; haberet tamen dubium *fundamentale*, ac *radicale*, eoquod æqualis utrinque probabilitas duarum propositionum contradi-

ctoria-

ctoriarum simul eidem intellectui proposita, sufficiens fundamentum præbeat dubitandi, quænam ex his sit vera, vel falsa. Quapropter, ne entia, & quæstiones multiplicarem sine necessitate, utramque controversiam de dubio legis, & æquali probabilitate utriusque propositionis contradictoriæ in unum Articulum congessi. Antequam tamen ad ipsam rem propius accedamus, duo adhuc sunt præmittenda tanquam certa, vel saltem communiter recepta: *primum* est, quod stante dubio practico, seu eo non deposito, debeamus sequi tutiorem partem. Ratio est: quia alias operaremur cum dubio practico, quod non licet, ut patet ex dictis. *Secundum* est, non esse quæstionem, an ultimum dictamen conscientiæ possit esse mere probabile; nam hoc debet esse moraliter certum, ut iterum constat ex illis, quæ superius jam sunt asserta. Igitur sola lis remanet, an stante dubio speculativo, & probabilitate æquali *directa* utriusque propositionis contradictoriæ, quarum una affirmat, altera negat existentiam legis, possit fieri dictamen ultimum practicum, ac reflexum, & quidem certum, quod hic & nunc licite quis possit sequi sententiam minus tutam, seu illam, quæ negat existere legem, seu obligationem?

Nota 3. Solum controverti de dubio invincibili, quando nempe morali diligentia adhibita, intellectus manet adhuc suspensus inter utramque contradictionis partem, ita, ut nulla ex his probabilior appareat, quam altera; nam, qui debitam diligentiam non adhibuit in indaganda veritate, non agit prudenter, imo virtualiter contemnit legem, & quasi ita secum ratiocinatur: *Sive hæc actio sit prohibita, sive non, ego tamen eam faciam.* H. N.

Assero: In dubio de honestate actionis, vel quando sententiæ 485
duæ oppositæ, scilicet negans, & affirmans, actionem aliquam esse licitam, sunt æque probabiles, tenemur partem eligere tutiorem, & faventem legi. Ita modo major pars Theologorum, quibus & ego, re maturius perpensa, accedo, licet antea contrarium in hac parte tenuerim, & docuerim.

P. 1. S. Scriptura Eccli. 3. & 23. præcipit, ut homo *quasi a facie colubri* fugiat *peccatum*, ejusque committendi periculo se non exponat; nam Eccli. 3. ℣. 21. habetur: *Qui amat periculum, in illo peribit*: sed hanc agendi rationem non servat, qui sciens, & volens facit id, quod tam probabiliter judicat esse, quam non esse peccatum. Unde

S. Augustinus L. 1. de Baptismo c. 3. pronunciat: *Graviter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel ex eo solo, quod certis* (seu tutis, & tutioribus) *incerta* (seu dubia) *præponeret.*

Confirm. Psal. 118. injungitur, ut homo Dei mandata custodiat *nimis*, id est, exquisita sollicitudine: sed tali sollicitudine non custodit ea, qui vult facere id, quod æque probabiliter est, quam non est contra mandata Dei. Præterea talis non censetur agere *ex fide*, juxta illud Rom. 14. seu ex conscientia dictante, non esse peccatum; quia sequitur illud, quod conscientia dictat, tam esse, quam non esse peccatum.

P. 2. Peccat, qui agit sine judicio prudenti, quod actio sua sit licita: sed sequens opinionem minus tutam, in allata hypothesi agit sine tali judicio; non enim potest, saltem prudenter, judicare, non exstare præceptum prohibens actionem, cum non possit, saltem prudenter, judicare, veram esse opinionem negantem, exstare præceptum, cum stante æquali utrinque probabilitate, non habeat fundamentum sufficiens, illam judicandi potius veram, quam oppositam. Quare, ut intellectus prudenter se gerat, debet suspendere assensum, & dissensum, quia non habet motivum potius assentiendi, quam dissentiendi prudenter.

P. 3. Habemus præceptum, lumine naturali notum, & in jure canonico sæpius a Pontificibus assumptum ut principium decisionum: *In dubiis est tutior pars eligenda.* cap. 4. *de Clerico excommunicato.* Et: *cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem.* c. 12. *de Homicidio*: alioquin operans se exponit periculo faciendi contra legem. Atqui in concursu duarum opinionum æque probabilium est verum dubium; est enim vera suspensio judicii de veritate, & falsitate, cum una non plus, minusve vera appareat, ac altera, & sic intellectus, si prudenter agit, necessario suspendit judicium: ergo in tali casu eligi debet tutior pars.

P. 4. Authoritate Cleri Gallicani, qui in comitiis generalibus anno 1700. sic ait: *Absit, ne probemus eorum errorem, qui negant, licere sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam. Sed ad rectum usum opinionum probabilium has regulas a jure præscriptas agnoscimus. Primum, ut in dubiis de salutis negotio, ubi æqualia utrinque animo sese offerunt rationum momenta, sequamur id, quod tutius, sive quod est in hoc casu unice tutum: neque id consilii, sed præcepti loco habeamus, dicente Scriptura:* Qui amat pericu-

periculum, peribit in illo. *Hæc prima regula. Altera - -, ut nemini liceat eligere eam sententiam, quam non veritati magis consentaneam duxerit.* Hoc decretum, non solum ob authoritatem ipsius Cleri, sed & ob rationem, & S. Scripturam adhibitam, suum pondus habet.

Adjungo quoque authoritatem Cardinalis Bellarmini Episcopi ad nepotem suum Episcopum Theatinum ita scribentis: „Si quis ve„lit in tuto salutem suam collocare, is omnino debet certam verita„tem inquirere, & non respicere, quid multi hoc tempore dicant, „aut faciant. Et si rei certitudo non possit ad liquidum apparere, de„bet omnino tutiorem partem sequi, & nulla ratione, nullius im„perio, nulla utilitate temporali præposita ad minus tutam partem „declinare; agitur enim de summa rei, cum de salute æterna tra„ctatur, & facillimum est, conscientiam erroneam aliorum exem„plo induere, & eo modo, conscientia non remordente, ad eum „locum, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur, descen„dere.„

Accedit ipse ethnicus Tullius Cicero L. 1. *de Offic. Bene præcipiunt*, dicens, *qui vetant, quidquid agere, quod dubites, æquum sit, an iniquum.* Huic sententiæ etiam subscribit Scotus 3. d. 25. q. 1. in responsione ad §. *præterea videtur, quod Majores.* sub finem dicens: *Si unus peritus in scientia dicat, quod non licet sic mercari, & alius dicat, quod licet, tutius est, non procedere sic, nec sic, sed exspectare, quousque veritas pateat aliunde.* Magis stabilietur Assertio ex ipsa solutione Objectionum Probabilistarum. Quare sit

§. II.

Satisfit Objectionibus Probabilistarum.

Objic. 1. Lex dubia non parit certam obligationem: sed si in 486
dubio de honestate actionis, ab ea deberemus abstinere, lex dubia pareret certam obligationem: ergo. R. D. M. lex dubia non parit certam obligationem ex parte ipsius legis directæ, de qua dubitatur, petitam c. M. ex parte legis generalis reflexæ, quæ vetat, ne quis se exponat periculo peccandi n. M. Hæc distinctio lucem accipiet a sequentibus.

Objic. 2. In dubio de existentia dogmatis revelati, non est credendum tale dogma: ergo neque in dubio de existentia legis, lex est observanda. c. patet: quia non cum minore cura credendum est Deo revelanti, quam obediendum sit Deo præcipienti. R. N. c. & parit. In dubio, an dogma aliquod sit revelatum, eidem credere, est, se exponere periculo erroris; quemadmodum enim errat, qui non credit, id esse de fide, quod est revelatum: ita errat, qui credit, esse de fide, quod revelatum non est. At vero, cum quis in dubio, an aliquid sit prohibitum, ab eo abstinet, nullum subit periculum peccandi, magnum contra subiturus, si faciat id, quod probabiliter judicat, fuisse a Deo prohibitum, vel de quo non potest formare dictamen certum, id non esse prohibitum, ut dicta, & dicenda evincunt.

Objic. 3. Qui sequitur opinionem minus tutam in concursu oppositæ tutioris æque probabilis, non agit in dubio practice practico, sed per judicium reflexum judicat, se licite agere: ergo non peccat. R. N. a. Nam judicia illa reflexa AAriorum non sunt certa; nituntur enim principiis dubiis, vel omnino falsis: unde non resolvunt prudenter dubium, nec certitudinem moralem de honestate actionis gignunt: id, quod adducendo, & discutiendo illa principia, fiet palam. Unde

Objic. 4. Prudenter agimus, sequendo opinionem probabilem, etiam in occursu oppositæ æque probabilis: ergo &c. R. N. a. Primo enim imprudenter agit, & peccat, qui se exponit periculo Deum offendendi: atqui, qui agit ex rationibus, quæ tam persuadent, aliquid esse, quam non esse offensam Dei, exponit se periculo Deum offendendi; perinde enim se habet, ac si diceret: sive hoc peccatum sit, sive non, tamen placet mihi, & illud faciam. 2. Non potest aliquis prudenter amplecti opinionem, nisi cum ei persuasum sit, eam esse veram; alioquin non ageret *ex fide*, quod *peccatum est*: atqui, qui inter duas opiniones æque probabiles versatur, sibi persuadere non potest, hanc præ altera veram esse, cum nullam habeat rationem, ex qua hoc judicare queat. Neutri ergo parti assentimur prudenter, sed suspensus inter utramque pendet animus, sicut libræ lances, æqualibus hinc inde oneratæ ponderibus, in unam partem non deprimuntur præ altera.

Objic.

Objic. 5. *In dubio melior est conditio possidentis*, & homo est in pos- 487
sessione suæ libertatis circa actiones suas, quamdiu non constat, ex- stare legem eas vetantem: ergo. R. N. a. Nam *primo* hoc axioma: *In dubio est melior conditio possidentis*, valet solum in materia justitiæ, & causis temporalibus. In materia itaque justitiæ, ex consensu omnium gentium, in pari casu & dubio, favorabilius præponitur possessor ei, qui non est possessor, quia possessor ultra rationes, quas æquales cum collitigante habere ponitur, habet pro se possessionem, quam non habet alter. Ex hac autem possessione, si certa sit, melior est ejus conditio, quia merito præsumitur, meum esse, quod apud me est; quamvis enim contrarium evenire possit, communius tamen non evenit, cum unusquisque rem suam non apud alios, sed apud se conservet. Unde in materia justitiæ ipsius cum hac regula: *melior est conditio possidentis*, concurrit & ista: *pro eo standum est, pro quo stat præsumptio:* præsumptio autem habetur ex assuetis, & communiter contingentibus, juxta regulam 45. Juris in 6. *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.*

Jam vero extra materiam justitiæ, & in actibus aliis moralibus hoc axioma: *melior est* &c. nec quidquam valet, ut docent Vasquez, Azorius, Turrianus, Paulus Gabriel, Antoine, Gallus Cartier, & alii; in his enim applicandum est istud axioma: *in dubio tutior pars est eligenda.* Regula quippe possessoria adducta supponit parem causam: sed quando agitur de licito, & illicito, non est par causa Dei præcipientis, seu præcepti, de quo dubitatur, an existat, & creaturæ, de qua quæritur, an sit libera a præcepto observando; non enim est par causa Dei, & creaturæ: cum Deus, ut supremus Dominus habeat jus prælationis respectu creaturæ in omnibus.

2do. Hic non agitur de libertate facti, vel physica, quæ est ipsa physica potentia agendi, & non agendi pro arbitrio; sed de libertate morali, & juris, quæ est potentia agendi, & omittendi licite. Quam ob causam, cum dubitatur, an existat lex, vetans aliquid, hoc ipso est dubium, an homo id possit facere licite, ac proin, an sit in possessione suæ libertatis moralis: atque adeo est mera petitio principii, & adducitur pro principio id, quod est in quæstione.

Præterea, cum æque verisimile sit, existere legem prohibentem actum, homo non potest licite eum ponere; tunc enim non potest prudenter judicare, illum non esse vetitum, & sic privatur libertate

morali, seu juris; siquidem homo nihil potest licite agere, nisi prius prudenter judicet, illud esse voluntate divina permissum, vel præceptum; voluntas enim divina est regula, ac mensura actuum nostræ voluntatis, quæ ipsi necessario subjici debet. Regula autem est prior regulato: proinde prius est, aliquid voluntate divina esse permissum, quam esse licitum voluntati humanæ: sic voluntas nostra, ut licite agat, debet cognoscere prius, an illud sit voluntati divinæ conforme, a qua regulari nequit, nisi præcognita. Quibus omnibus rite perpensis, in dubio, seu æquali probabilitate, lex generalis subjectionis ad Deum, ut supremum Dominum, & legislatorem, habet possessionem anteriorem & potiorem, quam nostra libertas, obligatque ad abstinendum ab iis, de quibus dubitamus, utrum voluntati divinæ repugnent.

Instabis: Quod sufficit ad deponendum dubium etiam in materia legis naturæ, id sufficere quoque potest in materia legis humanæ: sed possessio libertatis sufficit, ut quis dubium deponat, & conscientiam certam sibi formet in materia legis naturæ: ergo etiam &c. m. p. Uxor, quæ dubitat de matrimonii sui valore, debet marito petenti reddere debitum: quod solum potest, quia libertatem suam possidet: ergo. R. N. m. & rationem ejus. Vera ratio, cur uxor teneatur debitum reddere, est, quia e duobus malis, quod Ecclesiæ judicio minus est, eligi debet. Est autem minus malum reddere debitum in dubio, quam negare; reddendo enim ad summum læditur virtus castitatis, negando vero justitia, virtutum nobilissima, & maritus exponeretur periculo incontinentiæ, suspicionis &c. Profecto, si licentia reddendi debitum fundaretur in possessione libertatis, uxor non solum posset reddere debitum, quod permittit Ecclesia, sed & illud exigere, quod Ecclesia prohibet.

488 Objic. 6. Jugum Christi suave est: sed non esset suave, si non liceret sequi opinionem æqualiter probabilem, stantem pro libertate contra legem: ergo. R. D. M. jugum Christi suave est per gratiam, & quia lex Christi est lex libertatis, liberans nos a servitute legis Mosaicæ, Diaboli, ac peccati c. M est suave per laxitatem doctrinæ, qua cuilibet permittit facere, quod voluerit, etiam in casu dubii, & probabilitatis oppositæ tutioris n. M. Fit lex Christi suavis *tum* per abrogationem legalium veteris legis multum difficilium, *tum* per gratias uberiores, quæ in lege Evangelica dantur, *tum*, quia lex Evangelica

est lex charitatis, efficientis suave, & leve, quod grave & amarum erat, ut docet S. Augustinus serm. 96. vel 46. *de Diversis*, dicens: *quidquid durum est in præceptis, ut sit leve, charitas facit.* Verum non est suave per laxitatem doctrinæ, quæ latam portam, & spatiosam viam aperit, ducentem ad interitum; nam Christus ipse Math. 7. ait. *Quam arcta via est, quæ ducit ad vitam.*

Objic. 7. In æquali probabilitate pro existentia, & non existentia legis, lex non est sufficienter proposita, aut promulgata, nec potest prudenter affirmari: ergo tunc non obligat. R. N. c. Tenemur servare illud præceptum dubium vi alterius præcepti generalis, & reflexi certi: *In dubio tutior pars est eligenda.* Item vi subjectionis ad Deum, præcipientem, ut servetur præceptum dubium, cujus existentia prudenter non potest negari, ne nos exponamus periculo faciendi contra legem vere existentem, & agendi id, quod revera Deum offendit. 489

Dices: Hoc axioma: *In dubio est tutior pars eligenda*, continet solum consilium, non præceptum, saltem pro omni casu: ergo. R. N. a. Nam SS. Pontifices variis locis id adhibent ut principium morale suarum decisionum, ex se obligans pro omni casu, ideo utuntur verbo *Debeo.* Sic c. 5. *de Clerico excommunicato: In dubiis tutior pars est eligenda.* c. 12. *de Homicidio: Cum in dubiis semitam* NB. *debeamus eligere tutiorem.* c. 3. *de Sponsal: Quia igitur in his, quæ dubia sunt, quod certius existimamus tenere debemus.* Quod principium SS. Pontifices supponunt ut certum & lumine naturæ notum, utpote quod Gentiles non ignorabant, ut ex Cicerone superius §. præc. allegato liquet: enimvero alioqui se homo exponeret periculo morali agendi contra legem, & peccandi. Nec solum hæc regula intelligenda est de dubio negativo, sed fortius militat contra dubium positivum, in quo, cum æquales in utramque partem concurrant rationes, intellectus non potest prudenter non suspendere assensum: ergo tunc proprie verum morale, & prudens datur dubium. Nec potest, saltem prudenter, intellectus ex imperio voluntatis tunc parti uni minus tutæ assentire, cum pars minus tuta non appareat ei magis vera, quam falsa: & quamvis simpliciter possit, nec id saltem posset sine gravi formidine oppositi, quæ solum imprudenter contemneretur. Quare talis adhæsio non excusaret a peccato, quia cum ea conjunctum est periculum agendi contra aliquam legem.

Illæ

Illæ demum regulæ: *In obscuris minimum est sequendum: Odia restringi, & favores convenit ampliari*, unice intelligi petunt de dubiis facti, & ubi agitur de pœnis infligendis: in dubio enim de merito pœnæ benignior pars est tutior; nam illam sequens exponit se solum periculo non damnandi reum, vel puniendi infra demeritum, quod non est intrinsece, & per se malum: oppositam vero amplectens, exponit se periculo damnandi innocentem, vel puniendi reum ultra meritum, quod est intrinsece malum. Huc facit illa regula 152. ff. *de Regulis juris. In re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus justius est, quam tutius.* Et Regula 11. Juris in 6. *Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori.* In dubiis vero de licito, & illicito sequens opinionem benigniorem, seu faventem libertati, exponit se periculo peccandi.

490 Objic. 8. Omnes fere Doctores Sæculi XVII. docuerunt, licere, sequi sententiam minus probabilem, multo magis æqualiter probabilem, etsi minus tutam: ergo. R. 1. Retorq. Argum. & oppono alios longe plures, qui ex antiquis, & novis a nostris stant partibus. Ecce! noster Antonius Corduba anno 1571. Quæstionarium suum Theologicum publici juris fecit, in quo hæc asserit: *Partem tutiorem esse tenendam, quando sententiæ sunt oppositæ, aut creduntur æqualiter probabiles*, & a fortiori *quando una est probabilior altera.* Addit, quod *in hoc* NB. *omnes Theologi consentiant.* Hoc testimonium a meæ sententiæ Patronis ubique adducitur. Adde, Clerum Gallicanum, & innumeros Recentiores ex omni natione, & Ordine, qui nunc re melius perpensa Probabilismum penitus rejiciunt. Insuper in tantum opinio aliqua censenda est probabilior propter majorem numerum Doctorum eam tuentium, in quantum idcirco præsumitur habere majora pro se, & graviora motiva ex Scriptura, Traditione, & ratione petita. Ast hæc momenta habere pro se, præsumi non potest Probabilismus, cum oppositum jam sat ample sit ostensum: Verbo, authoritas extrinseca non plus valet, quam pondus rationum, quibus Authores illi nituntur. Plane imprudenter agit, qui sequitur judicium multorum, quos, omnibus mature pensatis, verisimilius ei est errare.

491 Ad alia diluenda observa, SS. Pontifices quamvis aliquando minus tutam, eam tamen secuti sunt doctrinam, quæ ipsis probabilior est visa. Sic SS. Pontifices crediderunt, probabilius sibi licere, stantibus motivis gravissimis, aliquando dispensare in voto solemni castitatis

tatis &c. Sic Alexander III. cap. *Si vir, vel mulier.* 2. *de Cognitione spirituali.* in quæstione: *Si vir, vel mulier scienter, vel ignoranter filium suum de Sacro fonte susceperint, an propter hoc separari debeant?* respondet, se sequi illorum opinionem, *qui humanius sentiunt, eos ab invicem separari non debere.* ubi per Ly *humanius* non intellexit S. Pontifex opinionem minus probabilem: sed istud adverbium *humanius* significat idem, ac *æquius*, & *rationabilius*, prout vertunt Ostiensis, pluresque Canonistæ.

Innocentius III. c. 44. *de Sent. Excom.* mulieri, probabiliter, & discrete opinanti de valore, & nullitate matrimonii sui, non permisit petere conjugale debitum, quæ petitio debiti libertati favebat: adeoque non censuit, licitum esse, sequi opinionem probabilem, quæ favet libertati, in concursu alterius æque probabilis, vel probabilioris. Textus sic sonat: *Cum conscientia alterius conjugum pulsat animum ex credulitate probabili, & discreta, quod conjugium suum ob aliquod impedimentum dirimens sit nullum, debitum quidem reddere possit, sed postulare non debeat, ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam.*

Pro coronide tamen monitum velim benevolum Lectorem, licet, ita suadente conscientia, primum ut senex ad partem in materia probabilitatis rigidiorem accesserim, me tamen non velle censeri de numero illorum omnino rigidissimorum, qui fere nihil ut probabilius agnoscunt, nisi sit & tutius; horum enim placita nunquam probavi. Sic & per decursum Theologiæ sententias minus tutas, quæ, omnibus consideratis, & in utramque partem libratis, mihi videntur probabiliores, amplectar, & sustinebo tanquam practice probabiles, & in praxi secure sequendas; non enim nimium via salutis arctari debet, sed illi locus relinqui, quod humanius, seu rationabilius est, ut Alexandro III. mox supra laudato arridet.





Tractatus III.

DE LEGE

SEU

DE REGULA EXTERNA ACTUUM HUMANORUM.

Lex juxta Scotum 4. d. 15. q. 2. §. *Hic sunt quatuor.* nomen trahit a *ligando*, quatenus nempe homines *ligat*, seu obligat ad aliquid faciendum, vel omittendum. Legis Synonima communiter reputantur *Constitutio*, *Jus*, ac *Statutum*: quæ nomina proinde solent confundi, ac sumi promiscue, prout & ego faciam in decursu præsentis materiæ; quamvis pressius, & in rigore loquendo, per *Constitutiones* Decreta SS. Pontificum: per *Leges*, & *Jura* Decreta, & Ordinationes a Supremis Principibus sæcularibus, ut Imperatoribus, & Regibus factæ: per *Statuta* vero Decreta Principum, & Magistratuum inferiorum intelligantur.

Ut autem recto ordine in re hac, scitu summe necessaria, procedamus, totum Tractatum in tres Dissertationes secabimus. Prima de Lege in genere, ac naturali in specie, altera de Lege humana, ultima vero de cessatione Legum aget. Inde fit

Dissertatio I.

DE LEGE IN GENERE, AC NATURALI IN SPECIE.

Articulus I.

De Lege in genere.

§. I.

§. I.

De Natura, & Divisione Legis.

Lex a nostro Reiffenstuel in sua Theolog. morali T. 2. d. 1. n. 12. 492
& Lib. I. Juris Canon. tit. *de Constitutionibus.* describitur, quod sit *recta agendorum ratio, a publica potestate communitati denunciata, cum voluntate eam perpetuo obligandi.* Hujus descriptionis explicationem vide in laudato Reiffenstuel.

Dividitur varie; primo enim, & immediate dividitur in *Divinam*, & *Humanam: prima* est, quæ immediate a Deo, *altera* vero, quæ immediate a potestate humana est lata. Lex *humana* alia est *Ecclesiastica*, quæ descendit a potestate Ecclesiastica, & *Canon* dici solet: alia est *Civilis*, quæ ponitur a potestate sæculari, ac alio nomine *Jus forense*, seu *Civile* appellatur. Ad legem humanam quoque revocatur *Jus Gentium*, quod ex Bernardo Gletle sic definit P. Pichler: Est jus, quo Gentes qua tales, mutua obligatione ex consensu tacito, vel expresso sibi imposita consociantur in ordine ad ea, quæ ad communem earum felicitatem, & commercium pertinent. Juris hujus exempla ab eodem Pichler recensentur Jus Legationis, jus belli, fœdera pacis, & induciarum, jus servitutis, & sepulturæ, de quibus inferius.

Lex *Divina* subdividitur in *naturalem*, & *positivam.* Jus *naturale* est voluntas Dei, necessario obligantis, intimata nobis per lumen rationis, cuivis homini inditum. Lex *divina positiva* est, quæ a Deo libere fertur, & per revelationem internam, aut externam propositionem nobis promulgatur. Quamvis autem hæc divisio omnino vera sit, ordinarie tamen lex naturalis non solet vocari divina, sed nomine legis divinæ venit sola positiva, a Deo libere condita: in quo sensu etiam nos posthac legem divinam accipiemus. Lex divina hoc modo sumpta iterum duplex est, una *vetus*, quam Deus dedit Moysi in monte Sinai, & per Moysen populo Israelitico, quæ etiam propterea dicitur Lex *Mosaica.* Altera est Lex *nova*, seu *Evangelica*, quam instituit Christus, & tum per se, tum per Apostolos promulgavit. Ex his

Deduces: *Legem æternam Dei*, licet ea revera detur, non tamen esse distinctum membrum dividens legis divinæ; Lex enim *æter-*

na proprie accepta, a lege naturali, vel divina positiva non distinguitur, cum sic sumpta & ipsa sit actus voluntatis divinæ, jam ab æterno existens, quo præcipiuntur bona, & mala prohibentur, sive necessario, sive libere: quo in sensu D. Augustinus L. 22. contra Faustum c. 27. peccatum definit, esse *dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam.* Ita bene notat P. Holzman.

493 Præterea lex secatur in *affirmativam*, & *negativam*. *Affirmativa* est illa, quæ positivum quoddam exercitium, vel actionem aliquam vere realem imperat, esto, id faciat verbis negativis. *Negativa* est, quæ præcipit alicujus actionis negationem, vel omissionem. Ex quo colligis, præceptum *affirmativum*, & *negativum* non ex verbis, sed ex ipsa re præcepta desumendum, & distinguendum esse. Sic istud præceptum: *Die festo non omittas Sacrum*, est affirmativum, etsi verbis negativis proferatur, quia positivam actionem, nempe auditionem Sacri imperat: Et hoc: *Abstineas a blasphemia*, est præceptum negativum, etsi affirmative enuncietur, quia imperat negationem, & omissionem blasphemiæ.

Est & aliqua Lex *odiosa*, & alia *favorabilis*: *Prior* est, quæ principaliter fertur in alicujus odium, vel onus, quod tamen debet esse distinctum ab obligatione servandi legem; alias enim omnis lex esset *odiosa*, quia omnis lex importat aliquam obligationem. *Altera*, seu *favorabilis* est, quæ principaliter fertur in alicujus favorem, & quidem distinctum a bono communitatis; nam & hoc bonum communitatis ab omnibus legibus respici debet, consequenter, si propter talem respectum ad bonum commune lex diceretur favorabilis, tunc omnis lex foret favorabilis: quod iterum falsum est. Non obstat autem legi favorabili, quod secundario tendat in odium alterius, in cujus favorem non fertur: neque obest legi odiosæ, quod secundario faveat alicui, in cujus odium non est condita. De Legibus autem odiosis, & favorabilibus intelligenda est Regula 15. Juris in 6. *odia restringi, & favores convenit ampliari.* Superessent adhuc aliæ divisiones legum, quæ per decursum explicabuntur.

494 Quæres: An lex sit formaliter actus voluntatis? R. affirmative. Scotus 1. d. 44. q. Un. n. 2. ℣. *Ad propositum igitur.* ac SS. communiter contra TTas.

P. 1. Authoritate. S. Scriptura sæpe legem vocat voluntatem, seu actum voluntatis: ergo ea est actus voluntatis. A. p. Psal. 102. dicitur:

dicitur: *Notas fecit vias ſuas Moyſi, filiis Iſrael voluntates ſuas*, id eſt, leges ſuas. Pſal. 142. *Doce me facere voluntatem tuam*, id eſt, Legem tuam. Et 2. Machab. 1. ℣. 3. *Det vobis cor omnibus, ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem.* Accedit & Jus civile, quod L. 1. ff. de *Conſtitutionibus Principum* ait: *Quod Principi placuit, legis habet vigorem*: atqui placitum eſt actus voluntatis: ergo actus voluntatis Principum legis habet vigorem.

P. 2. Lex eſt aliquod imperium: ſed imperium formaliter actus eſt voluntatis, non intellectus: ergo lex eſt actus voluntatis. M. eſt AAriorum, m. conſtat ex dictis n. 355.

Objic. 1. Lex juxta dicenda debet eſſe *rationabilis*: ergo debet eſſe actus *rationis*, ſeu intellectus. R. D. c. debet eſſe actus rationis præſuppoſitive, ſeu debet actum rationis præſupponere c. c. debet eſſe actus rationis formaliter n. c. Omnis actus virtutis moralis, v. g. etiam charitatis debet eſſe prudens, & rationabilis; per hoc tamen non ſequitur, quod debeat eſſe actus intellectus formaliter, ſed tantum præſuppoſitive. 495

Objic. 2. Quando legislator habet voluntatem tantum condendi legem, & obligandi communitatem per legem poſtea ferendam, tunc nondum formaliter exiſtit lex: ergo lex non conſiſtit formaliter in actu voluntatis, ſed potius ſubſequitur talem actum voluntatis. R. D. c. ergo lex non conſiſtit formaliter in actu voluntatis, quo tantum legislator proponit, & ſtatuit ſecum, aliquando legem condere, & obligare ſubditos c. c. quo actu imperat, aliquid faciendum, vel omittendum, & actu obligat n. c. Concedo facile, quod propoſitum condendi aliquando legem non ſit lex formalis, ſicut & propoſitum eliciendi actum amoris Dei non eſt ipſe actus amoris Dei ſuper omnia: Aſt nos non dicimus, legem conſiſtere in nudo propoſito ponendi legem, ſed in ipſo actuali imperio, & authoritativa volitione obligandi ſubditos.

Objic. 2. Lex naturalis non conſiſtit in actu voluntatis: ergo neque lex poſitiva. R. D. a. Lex naturalis non conſiſtit in actu voluntatis humanæ, vel creatæ c. a. in actu voluntatis divinæ n. a. Verum de hoc ſpecialiter Art. ſeq. Vide etiam n. 358. ubi reliquæ objectiones jam ſunt ſolutæ.

§. II.

Brevis Declaratio eorum, quæ ad Legem requiruntur.

496 Conditiones ad Legem requifitas enumerat Ifidorus, relatus can. 1. D. 4. his verbis: *Erit autem lex honefta, jufta, poffibilis, fecundum naturam, fecundum Patriæ confuetudinem, loco, temporique conveniens, neceffaria, utilis, manifefta, ne aliquid per obfcuritatem in captionem contineat, nullo privato commodo, fed pro communi civium utilitate confcripta.*

Debet igitur Lex effe *honefta*, id eft, non debet aliquid inhoneftum, vel contra bonos mores præcipi; lex enim debet delicta, & inhoneftatem coercere potius, quam præcipere. Debet effe *jufta*, id eft, debet obfervare æqualitatem proportionis inter fubditos, fpectatis horum viribus, & facultatibus: fic lex non foret jufta, quæ tributa æqualia imponeret fubditis pauperibus, ac divitibus. Debet effe obfervatu *poffibilis*, non folum phyfice, fed & moraliter, ita ut moribus, ac viribus hominum, confuetudini Patriæ, loco, ac tempori fit conveniens, & accommodata; nam *impoffibilium nulla eft obligatio.* L. *Impoffibilium.* ff. de *R. J.* Id tamen intelligendum eft *regulariter*; in cafu enim, quo urget gravis neceffitas boni communis, tenemur ad ejus procurationem, vel confervationem etiam obfervare leges difficillimas, confequenter moraliter obfervatu impoffibiles: fic pro confervanda Reipublicæ incolumitate fæpe civis tenetur exponere propriam vitam: pariter leges naturales cum periculo vitæ plerumque obfervare debemus, de quo inferius forte plura. Debet infuper lex effe *neceffaria*, vel *utilis*; alias enim fine rationabili caufa per eam gravarentur fubditi. Præter has conditiones

497 Requiritur ad legem ulterius 1*mo.* legitima authoritas, & jurisdictio in Legislatore. Ita fentiunt omnes. Neque fufficit quæcunque jurisdictio; cum multi etiam Superiores, & Judices ordinarii gaudeant quidem jurisdictione, non tamen poteftate legislativa. Verum hoc fuo loco difcutietur, quando inquiretur, penes quos fit poteftas legislativa.

Requiritur 2*do.* ut lex fit lata communitati, feu hominum multitudini; fi enim ferretur tantum perfonæ particulari, tunc non effet lex, fed præceptum. Ratio hujus petitur ex L. 1. ff. de LL. quia *Lex eft commune præceptum* &c. *communis reipublicæ fponfio.* Et L.

Jura

Jura. ff. eodem. *Jura non in singulas Personas, sed generaliter constituuntur.* Per communitatem autem hic non intelligitur quævis hominum multitudo, sed illa, quæ est moraliter unita sub uno capite, eam gubernante cum potestate Politica jurisdictionis, & communium bonorum participatione; talis enim communitas sola sortitur rationem reipublicæ. Quare præceptum, alicui familiæ domesticæ impositum, non esset vera lex, etsi hæc constaret 100., aut pluribus hominibus, & imponens præceptum alioquin haberet potestatem legislativam. Ratio hujus est: quia ejusmodi familia est communitas solum imperfecta, ac regitur potestate solum œconomica, ejusque membra diriguntur ad bonum privatum Patrisfamilias, non ad bonum commune omnium. Ita observant Herincx, & Holzman: qui addunt, communitatem perfectam non esse necessario totam collectionem omnium omnino hominum, in regno aliquo, vel provincia existentium; siquidem & lex aliqua ferri potest tantum pro aliquo certo hominum genere, in ejusmodi regno commorantium, v. g. pro solis militibus, Religiosis, aut Personis Ecclesiasticis.

Requiritur 3*tio*. ut lex sit stabilis, ac perpetua, non quidem *positive*, quasi aliqua lex, semel legitime lata, nunquam mutari, aut abrogari posset; siquidem & plures leges, quæ olim erant validæ, ex nunc sunt iterum sublatæ. Debet ergo esse perpetua *negative*, quatenus Legislator eam non limitat ad certum tempus, neque terminum ejus in ipsa sanctione, aut promulgatione exprimit; si enim secus fieret, talis constitutio superioris non tam legis, quam præcepti rationem haberet. Ratio hujus est; quia sicut status reipublicæ est stabilis, ita eam stabilibus legibus congruit dirigi.

Requiritur 4*to*. ut etiam lex tanquam finem respiciat bonum commune reipublicæ. Patet ex can. 1. superius citato. *Erit autem lex - - - nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta.* Aliam nempe Deus Superioribus, & principibus non censetur dedisse potestatem, quam ut leges ferant pro communi, non autem pro privato commodo. Quæ adhuc, præter allegata, requiruntur ad legem, ex sequentibus palam fient.

Quæres: Quomodo lex differat a præcepto? R. Quadrupliciter. 1mo. Præceptum potest imponi a quovis Superiore, etiam a Parentibus, Patribusfamilias &c., non autem lex. 2*do*. Lex fertur tantum communitati, & bonum commune necessario respicit, non 498

item

item præceptum; hoc enim privatis, & particularibus perfonis imponi poteft, & quidem ob bonum privatum. 3tio. Lex immediate afficit locum, & territorium legislatoris, extra quod non obligat; etenim *extra territorium jus dicenti impune non paretur. cap. ult. de Conftit.* in 6. Quare lex non ftringit fubditum, quando is extra territorium fui legislatoris exiftit: bene præcepta Superiorum, e. g. Prælatorum obligant fubditum, ubicunque, etiam extra territorium fuorum Superiorum, exiftat, præcepta enim immediate feruntur in perfonam fubditi, ejusque offibus adhærent, ac proinde ejusmodi fubditum individue comitantur, quocunque terrarum difcefferit. Videatur Reiffenftuel T. 2. D. 1. n. 18. 4to. Lex ex fe ftabilis eft, & perpetua, obligatque non folum fubditos præfentes, fed & futuros: neque exfpirat morte fubditorum aliquorum, aut plurium, neque morte ipfius Legislatoris: Contra præceptum emoritur cum fubdito, cui eft datum; imo etiam extinguitur per mortem præcipientis, faltem *ordinarie & regulariter.*

Dixi: *Ordinarie*; non enim exfpirat per mortem præcipientis 1mo. fi concernat caufas pias: ut, fi quis præceperit eleemofynam dari. 2do. Si fit in favorem dotis matrimonialis, aut alicujus Scholaftici. 3tio. Si mandatarius jubeatur, rem præceptam exequi primum poft mortem mandantis. 4to. Si res non amplius eft integra, & executio mandati jam eft inchoata. Quod maxime locum habet in judiciis, & extenditur ad donationes, & promulgationes nomine alterius faciendas. 5to. Quando quidem res adhuc eft integra, executio tamen certæ cujusdam gratiæ in favorem alicujus mandatario impofita eft, & non relicta ipfius mandatarii arbitrio. La Croix L. 1. n. 566. & ex eo nofter Holzman n. 207.

Articulus II.

De Lege æterna, & naturali.

§. I.

Aliqua fcitu utilia de lege æterna.

499 Affero 1. Datur lex æterna Dei, quæ etiam habet verám rationem legis. Communis quoad 1mam partem: quoad 2dam eft contra Becanum, Tannerum, & alios.

P. 1ma

P. 1ma pars 1mo. ex D. Augustino L. 22. *contra Faustum.* c. 27. ubi legem æternam sic definit: *Lex æterna est ratio divina, & voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens; perturbari vetans.* Ubi peccatum quoque definit, quod sit *dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam:* ergo S. Doctor supponit, dari legem æternam.

P. 2. Per legem æternam intelligimus ordinationem quamdam divinæ voluntatis, ab æterno fixe determinantis, quæ sint agenda, & omittenda a creatura rationali: sed ejusmodi ordinationem divinæ voluntatis dari, ipsa ratio dictat: ergo. m. constat; nam eo ipso, quod Deus decreverit producere creaturam rationalem, recta ratio dictat, quod etiam ordinaverit aliqua necessario observanda a creatura rationali, scilicet ea, quæ tali creaturæ necessario conveniunt. Et hæc ordinatio, ac decretum erat ab æterno: nam omnia decreta divina sunt ab æterno; siquidem Deus nihil potest velle in tempore, quod non voluit jam ab æterno.

P. 3. Dantur leges humanæ positivæ, quibus tenemur obedire: ergo etiam datur lex æterna Dei. A. est certum. Conf. etiam tenet; nam leges humanæ non aliunde habent vim suam obligandi, quam a lege æterna: etenim ideo nos adstringimur ad præcepta, & constitutiones hominum, quia Deus lege æterna decrevit, ut obediremus omnibus, juste nobis præcipientibus. Quare ut D. Augustinus L. 1. *de libero arbit.* c. 6. ait. *Nihil est in temporali lege justum, quod ex lege æterna non derivetur:* ergo si dantur leges humanæ, tunc datur quoque lex æterna Dei, quia illæ sine hac nec esse, nec obligare possent.

P. etiam 2da pars. Deus ab æterno jam habuit voluntatem efficacem obligandi in tempore creaturas rationales; creandas in tempore: habuit quoque voluntatem, hoc suum decretum suo tempore promulgandi iisdem creaturis: ergo ab æterno jam habuit omnia, quæ requiruntur ad veram legem.

Confirm. Juxta nos lex essentialiter consistit in actu voluntatis Legislatoris, non autem partialiter constituitur per actualem ejus promulgationem &c. atqui Deus jam habuit ab æterno actum voluntatis, quo voluit obligari creaturas rationales, aliquando creandas: ergo.

Dices 1. Deus ab æterno non habuit subditos: ergo non potuit ferre legem ab æterno; lex enim tantum fertur in subditos. R. c. a. & D.

& D. c. ergo non potuit ferre legem ab æterno, & pro æterno c. c. non potuit ferre ab æterno, & pro tempore, quo erant exstituri fubditi, fcilicet creaturæ rationales n. c.

Dices 2. Deus non habuit dominium juri dictionis ab æterno; nam hoc non datur, quando non habetur aliquis fubditus: ergo non potuit ferre legem; ad ferendam enim legem neceffaria eft jurisdictio. R. N. a. nam dominium jurisdictionis, quod modo in tempore Deo in creaturas actu exiftentes competit, jam ab æterno ei conveniebat in creaturas aliquando exftituras. Solum hoc ergo verum eft, quod lex illa æterna vim fuam obligativam in actu fecundo non exercuerit ab æterno, eoquod ab æterno non exftiterint fubditi, qui poffent actu obligari: atqui de effentia legis non eft, actu exercere vim obligativam, ficut de effentia caufæ non eft, quod femper actu exerceat vim caufativam, ut ex Philofophia claret.

500 Affero 2. Debet in Deo etiam admitti aliqua lex fecundaria, confequens, feu reflexa. *Prob. exemplis*: Sic Deus voluntate primaria prohibet mendacium: illud autem ipfum voluntate fecundaria, & reflexa præcipit in cafu, quo id invincibiliter putatur effe præceptum ad falvandam vitam proximi. 2. Directe prohibet in adminiftratione Sacramentorum ufum materiæ tantum probabilis, relicta tutiore: reflexa tamen præcipit ufum ejusmodi materiæ probabilis in cafu neceffitatis, quando nempe in ejusmodi emergentia materia certa haberi non poteft. 3. Iterum Deus voluntate primaria non obligat ad legem, a fe non latam: obligat tamen voluntate fecundaria, quando invincibiliter, vel faltem notabiliter probabilius putatur, talis lex effe a Deo lata. Et fic ulterius poteft res ifta innumeris aliis exemplis declarari.

Dices: Tali modo effent leges oppofitæ in Deo; lex enim reflexa effet oppofita legi directæ. R. N. illat. Nam lex directa, & reflexa non verfantur circa idem objectum, adeoque non poffunt effe vere oppofitæ; lex enim directa refpicit actionem aliquam, quam prohibet, fecundum fe, & non veftitam circumftantia invincibilis ignorantiæ, neceffitatis &c. contra lex reflexa refpicit actionem, ut veftitam aliqua accidentali circumftantia invincibilis ignorantiæ, neceffitatis &c.

§. II.

§. II.

Quid sit Lex Naturæ.

Nota 1. Legem Naturæ esse eam, quæ obligat creaturam rationalem ad faciendum ea, quæ ex se *necessario* conveniunt creaturæ rationali, & omittendum ea, quæ necessario eidem disconveniunt. Hæc lex naturalis nobis manifestatur per lumen rationis nostræ, tanquam per præconem, & promulgatorem. 501

Nota 2. Omnino dari legem naturalem; id enim quilibet in se ipso experitur, dum mens ejus ex impulsa naturali quædam ut illicita, & prohibita refugit, alia vero ut honesta, & bona approbat, ac esse facienda dictat. Et clarum est ex S. Scriptura: Ita Apostolus *ad Rom.* 2. ℣. 15. dicit: *Qui ostendunt opus legis* (scilicet naturalis) *scriptum in cordibus suis.* & ℣. 14. *Gentes, quæ legem* (nempe scriptam) *non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* Accedunt SS. PP. ut S. Augustinus L. 2. *de Serm. Domini in monte.* c. 9. circa medium: *Quis legem naturalem in cordibus hominum scribit, nisi Deus?* Patet quoque ratione; Deus enim non minus providit creaturæ rationali, quam animalibus irrationalibus: sed animalibus irrationalibus inclinationes naturales indidit, secundum quas ad suum finem dirigerentur: ergo & creaturis rationalibus indidit aliquam legem, secundum quam se dirigerent ad finem suum. Et hæc est lex *naturalis*, quam D. Bernardus L. *de diligendo Deo.* vocat *innatam.* De hac igitur lege quæritur, in quo consistat? H. N.

Assero 1. Lex naturalis formaliter est actus voluntatis divinæ, vel potius est ipsa lex æterna Dei, præcipiens creaturæ rationali ea, quæ ei necessario conveniunt, & prohibens illa, quæ eidem necessario disconveniunt. Henno, Holzman, Frassen, ac alii contra Blasium a Benjumeia, Poncium, & Herincx. Conclusio eruitur ex Scoto 4. d. 50. q. 2. n. 9. §. *de secundo dico.* ℣. *Sic ergo intelligendo.* ibi: *Quodcunque peccatum est peccatum, quia est contra præceptum divinum:* sed hoc non esset verum, si lex naturalis non foret aliqua lex divina; nam tunc peccata contra legem naturalem non essent contra præceptum divinum, nequidem mediate; quia lex naturalis vim obligandi haberet independenter a voluntate, & lege divina. Quare pro probanda nostra Assertione faciunt quoque omnia, quæ dicta sunt n. 389. seqq. Interim 502

P. 1. S. Damascenus L. 4. *de Fide.* c. 23. ait: *Lex Dei, mentem nostram incendens, eam ad se pertrahit, conscientiamque nostram vellicat, quæ & ipsa mentis nostræ lex dicitur*: adeoque censet, legem naturalem, menti nostræ inditam, esse ipsam legem Dei. S. Anselmus L. *de voluntate Dei.* c. 2. *dicit: Quicunque legi naturali obviat, Dei voluntatem non facit.* ubi iterum confunditur lex naturalis cum voluntate divina. S. Augustinus l. 2. *de peccat. merit. & remiss.* c. 16. ait: *Neque peccatum erit, si non divinitus jubeatur, ut non sit.*

P. 2. Lex naturalis est vera aliqua lex: ergo est vera jussio, & imperium: atqui jussio, & imperium est actus voluntatis: ergo & lex naturalis debet esse actus voluntatis. Si autem est actus voluntatis, tunc debet esse actus voluntatis divinæ: nam non potest esse actus voluntatis ipsius hominis; alias homo esset author legis naturalis, quod ex se falsum est: neque est actus voluntatis Angelicæ, ut iterum concedunt AArii: ergo remanet solummodo, quod sit actus voluntatis divinæ. Verum, ut hæc res ex fundamento cognoscatur, recensebimus, & refutabimus sententias oppositas. Quare

503 Assero 2. Lex naturalis non recte constituitur in ipsa natura rationali, aut intellectiva. Est contra Vasquez. P. 1. Natura rationalis non est aliqua jussio, vel imperium: ergo non est lex. P. 2. Natura rationalis subjicitur legi naturali, & per hanc regulatur: ergo non potest ipsa esse lex naturalis; alias idem sibi ipsi subjiceretur, & idem esset regulans, ac regulatum: quæ sunt absurda.

504 Assero 3. Lex naturalis non consistit in intellectu, quatenus hic habet virtutem discernendi licita, aut illicita: neque in actu rationis ostensivo illius, quod est bonum, & malum. P. 1*mo.* Quia nec intellectus, nec ejus actus sunt aliqua jussio, vel imperium alicujus superioris directum ad subditum: atqui omnis lex, consequenter etiam naturalis, est aliquod imperium Superioris, directum ad subditum: ergo. 2*do.* Deus habet perfectissimum lumen intellectus, ac cognoscit exactissime bonum, & malum, & tamen non habet legem naturalem: ergo lex naturalis non consistit in lumine illo intellectuali. 3*tio.* Intellectus, & ejus actus, proinde & lumen intellectuale, tantum agunt vices præconis denunciantis, & promulgantis legem: atqui præco denuncians legem, non est ipsa lex: ergo.

Assero

Aſſero 4. contra noſtrum Herincx, Blaſium a Benjumeia, ac 505
Poncium: Lex naturalis non bene ſtatuitur in intrinſeca convenientia, vel diſconvenientia, quam actiones aliquæ habent ad naturam rationalem independenter ab omni lege divina, & humana. Quare, præſcindendo ab omni lege divina æterna, odium Dei non eſt formaliter illicitum, neque prohibitum. P. 1mo. Omnis lex eſt aliqua juſſio Superioris: atqui iſtæ actiones in ſe ſpectatæ, ſeu convenientes, ſeu diſconvenientes ſint, non ſunt juſſio Superioris, ſed potius ſunt objectum, & materia, circa quam juſſio Superioris verſatur præcipiendo, aut prohibendo: ergo.

Confirm. Materia legis, & lex diſtinguuntur: atqui actiones iſtæ, ut conſonæ, vel diſſonæ naturæ rationali, & rectæ rationi, ſunt materia, ſeu objectum legis naturalis: ergo debent diſtingui a lege naturali.

P. 2. Diſſonantia illa intrinſeca, quæ e. g. odio Dei ineſt, ſolum eſt fundamentum, & ratio exigitiva legis alicujus, per quam prohibeatur: ergo non eſt formaliter ipſa lex.

Dices: Hoc ipſo natura rationalis, vel convenientia, & diſconvenientia, eſſet lex naturalis: ergo argumentum adductum potius favet AAriis, quam nobis. A. p. Natura rationalis, & convenientia &c. ad eam eſſent regula, & menſura honeſtatis, atque legis æternæ, ac naturalis; quia nempe illa tantum per legem æternam, & naturalem juxta nos præciperentur, quæ illa conſonantia ad naturam rationalem exigeret præcipi, & illa prohiberentur, quæ diſconvenientia ad eandem naturam prohiberi peteret. Quare & ipſa lex naturalis, ac æterna Dei ultimato menſuraretur, & regularetur a natura rationali &c. ergo utique ultimato regula honeſtatis, & lex naturalis foret ipſa natura humana.

R. Ad hoc argumentum, quod eſt Achilles AAriorum, N. a. ad prob. dico, ex his tantum ſequi, quod natura rationalis, & illa convenientia &c. ſint fundamentum legis naturalis, & veræ regulæ, non autem ſint formalis regula. Rem hanc ſic dilucido: 1mo. Fundamentum, & menſura legis non eſt formaliter ipſa lex: atqui natura rationalis, & convenientia, ac diſconvenientia ad naturam rationalem, ſunt tantum fundamentum legis naturalis: ergo non ſunt formaliter ipſa lex naturalis. m. videtur conſtare; quia tantum ſunt illud, propter quod debet ſtatui lex naturalis, præcipiens actus convenientes, & prohibens diſconvenientes naturæ rationali. M. p.

Sic bonum commune, & felicitas publica funt fundamentum, & menfura legum, non tamen funt formaliter ipfa lex. *Item*: major, vel minor indigentia pauperis eft menfura, & fundamentum legis dandi eleemofynam, non tamen eft formaliter ipfa lex. *Dein* etiam objectum legis eft aliquo modo fundamentum, & menfura legis, non tamen eft ipfa lex: ergo ex eo, quod hæc convenientia, vel difconvenientia, fint fundamentum, exigentia, ac menfura legis, non funt formaliter ipfa lex.

Confirm. Illa non poteft effe formalis regula honeftatis, & formalis lex, quæ non habet in fe formalem vim obligandi: fed talis diffonantia, vel confonantia ad naturam rationalem non habet in fe formalem vim obligandi: ergo. M. videtur conftare. m. iterum patet; quia talis convenientia, vel difconvenientia ad naturam rationalem deberet vim obligandi habere ab aliquo Superiore: fed talis Superior non effet ipfa natura rationalis; hæc enim fe ipfa non eft fuperior: neque effet Deus, ut dicunt AArii. ergo non haberet vim obligandi. Præbet ergo unice fundamentum legis, & obligationis, non autem eft ipfa lex formaliter talis, neque in fe, præfcindendo a lege æterna Dei, habet formalem vim obligandi.

506 Objic. contra 1mam Affert. 1mo. Lex naturalis dicitur nobis effe *innata*, & fcripta in cordibus noftris: atqui lex æterna Dei non eft nobis innata, aut fcripta in cordibus noftris: ergo. R. D. M. Lex naturalis dicitur nobis innata &c. quatenus nobis per naturale, & innatum lumen rationis continuo ab ipfo ufu ejusdem rationis intimatur, & inculcatur c. M. alio in fenfu n. M. atqui tali ratione nobis per lumen innatum rationis etiam lex æterna Dei inculcari poteft.

Objic. 2. Lex æterna Dei femper fuit, lex naturalis non femper fuit: ergo lex naturalis non eft lex æterna. R. D. a. quoad 2dum memb. lex naturalis non femper fuit ex parte fubditorum, utpote qui non femper, aut ab æterno exftitere c. a. ex parte legislatoris Dei, qui femper fuit n. a. In voluntate divina femper exftitit lex naturalis, aliquando in tempore obligatura creaturas exftituras: creaturis autem non fuit femper promulgata, eoquod creaturæ non exftiterint femper, feu ab æterno.

Objic. 3. Lex æterna Dei eft actus contingens, & liber Dei: atqui lex naturalis non eft actus contingens, & liber: ergo lex

æterna

æterna Dei non est lex naturalis. M. patet; nam lex æterna est actus voluntatis divinæ ad extra: atqui actus voluntatis divinæ *ad extra*, seu qui versantur circa objectum creatum, & Deo extrinsecum, sunt liberi, & contingentes, ita, ut Deus eos posset non habere. minor primi Syllogismi videtur iterum clara; nam lex naturalis necessario existit; versatur enim circa principia moralia necessaria.

R. D. M. Lex æterna est actus contingens, & liber, & tamen necessarius ex hypothesi c. M. neque est necessarius ex hypothesi n. M. & D. m. non est actus contingens, & liber, qui neque sit necessarius ex hypothesi c. m. qui saltem simul sit necessarius ex hypothesi n. m. Necessitas ex hypothesi, seu consequens, quam sibi ipsi operans imponit, non lædit libertatem contingentiæ operantis. Jam, quamvis Deus necessario creaturæ prohibeat odium Dei, & necessario præcipiat cultum, sibi impendendum, hæc tamen necessitas est mere consequens, proveniens ex liberrimo decreto, quo Deus statuit, creaturam rationalem creare; hoc enim decreto liberrime posito, necessitatur ad eam (creaturam rationalem nempe) regendam sapienter: atqui eam sapienter non regeret, nisi eam modo, creaturæ rationali conveniente, regeret, scilicet prohibendo illa, quæ tali creaturæ necessario sunt dissona, & præcipiendo hæc, quæ eidem sunt necessario convenientia; ergo supposito decreto liberrimo de creanda creatura rationali, necessitatur Deus ad præcipienda illa, quæ necessario sunt convenientia creaturæ, & ad prohibenda illa, quæ eidem sunt necessario dissona. Si autem Deus non fecisset decretum condendi creaturam aliquam rationalem, tunc utique non debuisset positive præcipere amorem, & cultum sibi impendendum, nec debuisset prohibere blasphemiam &c. quo rite notato plures objectiones dissolventur.

Objic. 4. Etsi per impossibile nulla daretur lex Dei, prohibens odium Dei, tamen illud esset malum: ergo. R. D. a. esset malum physice c. a. esset malum moraliter *subd.* fundamentaliter c. a. formaliter n. a. &c. Vide n. 392.

§. III.

§. III.

De Materia, & Obligatione Legis naturalis.

Nota: Per materiam legis intelligitur objectum, circa quod versatur lex, illud præcipiendo, aut prohibendo. Quare

507 Assero 1mo. Ad legem naturalem pertinent prima principia moralia. Communis. Sic obligatione naturali adstringimur ad observanda hæc principia prima in genere moris: *Bonum est faciendum, malum est fugiendum. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Neque probatione hæc assertio indiget, quam ipsum lumen naturale sole clarius ostendit: ex abundanti tamen hæc brevis ratio additur: Illa pertinent ad legem naturalem, quæ necessario, & natura sua conveniunt creaturæ rationali: sed hæc principia prima moralia, & eorum observatio, conveniunt necessario, & ex natura sua creaturæ rationali: ergo. M. constat ex dictis: m. ex lumine naturali patet.

508 Assero 2. Ad legem naturæ spectant quoque conclusiones, ex primis principiis moralibus necessario sequentes. Scotus 3. d. 37. n. 5. Herincx, Holzman, & alii P. quia & ista, quæ per ejusmodi conclusiones, necessario ex primis principiis practicis sequentes, inferuntur, necessario conveniunt, aut disconveniunt creaturæ rationali: ergo. *2do.* Ad legem naturæ spectant ea omnia, quæ naturale lumen intellectus judicat esse bona, vel mala, necessario facienda, vel fugienda: sed talia sunt quoque illa, quæ per conclusiones præfatas proponuntur: ergo & illa spectant ad legem naturæ, quæ per præfatas conclusiones proponuntur. Ex quo

509 Colliges 1mo. Omnia præcepta Decalogi pertinere ad legem naturæ, si tertium de sanctificando Sabbatho excipias quoad determinationem temporis. Ratio hujus est, *1mo.* quia ista omnia ex primis principiis moralibus necessario deducuntur, v. g. sic argumentando: *Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris: atqui tibi non vis aliquid furtive auferri: ergo nec alteri aliquid furtive auferas.* Item: *Malum est fugiendum: sed odium Dei est malum: ergo est fugiendum.* *2do.* Ipsum lumen naturæ dictat, necessario, & ex præcepto Deum, tanquam summum bonum, esse amandum, & colendum, Parentes esse honorandos, abstinendum esse a perjurio, homicidio innocentis, ab accessu ad conjugem alterius mariti &c.: atqui illa omnia pertinent ad

ad legem naturæ, quæ lumen naturæ dictat, necessario, & de præcepto esse observanda, aut vitanda: ergo. 3*tio*. Apostolus ad Rom. 1. enumerans vitia gentium contra legem naturæ, refert pleraque facta contra præcepta secundæ tabulæ: ergo præcepta secundæ tabulæ juxta Apostolum pertinent ad legem naturæ. Si autem præcepta secundæ tabulæ ad hanc legem spectant, tunc a fortiori ad eam pertinebunt illa, quæ primæ sunt tabulæ, utpote quæ magis sunt contraria rationi.

Dixi tamen: *si tertium excipias quoad determinationem temporis*; quamvis enim hoc præceptum quoad substantiam, quatenus præcipit cultum Deo exhibendum ob ejus supremam excellentiam, de jure naturæ sit: nihilominus quoad determinationem temporis non est juris naturalis; siquidem sanctificatio Sabbathi in veteri Testamento fuit tantum lege divina positiva ordinata, & sanctificatio Dominicæ in novo Testamento ex lege Ecclesiastica oritur.

Colliges 2. Etiam illa, quæ ex præceptis Decalogi necessario inferuntur, pertinere ad legem naturæ; quia & hæc saltem mediate ex primis principiis moralibus sequuntur.

Colliges 3. Dari quoque legem naturalem, quæ respicit naturam rationalem, ut elevatam ad statum supernaturalem, & ut illustratam lumine fidei; nam, postquam creatura rationalis ad supernaturalem ordinem, & finem a Deo est ordinata, lex naturalis præcipit, ut creatura huic ordini supernaturali conformiter vivat. Proinde sunt varia præcepta, quæ statum supernaturalem consequuntur: taliter, posita institutione Sacramentorum, dictat lex naturæ, ut ea non recipiamus, aut tractemus indigne: iterum, posita ordinatione divina, quod nullus sine gratia sanctificante possit salvari, obligat lex naturalis omnem adultum ad procurandam in se gratiam sanctificantem per media convenientia. Hæc, & alia similia præcepta dicuntur quidem supernaturalia, pertinent tamen ad legem naturæ; quia, supposita elevatione hominis ad finem supernaturalem, sunt necessario convenientia naturæ humanæ, non quidem secundum se spectatæ, sed ut elevatæ, & ordinatæ ad statum supernaturalem. Ex dictis specialiter

Colliges 4. Legem naturæ varie dividi posse. 1*mo* enim per ordinem ad intellectum cognoscentem potest dividi in *per se notam omnibus*, in *per se notam pluribus*, & in *ignotam pluribus*. Ad *per se notam omnibus* spe- 510

ſpectant prima, & univerſaliſſima principia morum, ut: *bonum eſt faciendum*, *malum eſt vitandum* &c. Huc reduci poſſunt quædam præcepta Decalogi, ut: *quod Deus ſit colendus*, *Parentes honorandi* &c. hæc enim ita ſunt nota, & clara omnibus, ut ſolus amens ea negare poſſit. Et hinc lex naturæ dicitur eſſe eadem in omnibus, & ejus notitia eſt quaſi proprietas conſequens naturam rationalem. *Per ſe nota pluribus*, aut *fere omnibus* juris naturalis præcepta ſunt, *non eſſe furandum*, *non eſſe adulterandum*, *mentiendum*, *occidendum &c.* hæc enim facile, ac ſine operoſa inveſtigatione ex primis principiis moralibus deducuntur, ſicque facile ab omnibus, vel fere ab omnibus cognoſcuntur. Hoc tamen intelligendum eſt de præceptis modo dictis in ſe præciſe conſideratis, & præſcindendo a particularibus circumſtantiis, quibus quandoque apparenter cohoneſtantur; nam licet clarum ſit, mentiri eſſe illicitum: non tamen ita evidens eſt, id eſſe illicitum in neceſſitate ad propriam, aut amici vitam conſervandam. quamvis evidens ſit, non licere occidere ſe ipſum, vel alterum innocentem: non ita ſtatim cuivis manifeſtum eſt, quod non liceat perimere ſe, aut alium ad evitanda graviſſima tormenta. Et ſic de aliis. *Per ſe ignota pluribus* ſunt illa præcepta naturæ, quæ difficulter ex primis naturæ principiis eruuntur, qualia ſunt: quod illicitum ſit lucrum ex mutuo, quod non liceat pollutio, ad vitam conſervandam unice neceſſaria: item ſententia Doctoris Seraphici, & aliorum, quod non ſit condemnandus innocens, exterius tamen probatus ut reus &c. hæc enim eo ipſo, quod non deducantur clare, ac immediate ex primis principiis moralibus, a multis ignorari poſſunt.

2do. Poteſt lex naturalis dividi in eam, quæ reſpicit Deum, ut præcepta Decalogi primæ tabulæ: & in eam, quæ reſpicit proximum, ut præcepta ſecundæ tabulæ: & in illam, quæ nos ipſos tangit, ut quod vita propria ſit conſervanda, ea, quæ ſunt de neceſſitate medii, ſint adhibenda ad æternam vitam conſequendam, & damnationem evadendam: item, quod nefanda carnis peccata, ut beſtialitas, pollutio &c. ſint fugienda.

3tio. Alia eſt lex naturæ reſpiciens creaturam rationalem ſecundum ſtatum naturalem, & alia reſpiciens eam ut elevatam, vel elevabilem ad ſtatum ſupernaturalem.

4to. Una lex naturalis obligat hominem ſolitarie inſpectum, ut eſt aliqua Perſona privata, ac eum inſtituit, quomodo debeat bonos mores

mores amplecti, malos fugere: Altera adstringit eum ut sociabilem cum aliis, & ostendit, quomodo cum aliis convivere debeat, quomodo se parentes erga filios, magistratus erga subditos, & vicissim se filii erga parentes &c. ac conjuges inter se mutuo habere debeant. Ex his

Colliges 1. Legem naturæ partim esse unam, partim esse multiplicem. 511
Una est 1mo., quia dicit unum actum voluntatis divinæ. 2do. quia in uno principio morali universalissimo fundatur, scilicet in hoc: *bonum est faciendum, malum fugiendum.* 3tio. quia unum tantum finem respicit, qui est bonum naturæ rationalis. *Multiplex* autem est, quia plura habet præcepta particularia, ad diversas virtutes spectantia. Ex quo

Colliges 2. Multa virtutum opera esse materiam legis naturæ præcipientis, non autem omnia. Ratio primi est: quia sæpe tenemur vi legis naturalis exercere actum justitiæ restituendo, actum Religionis colendo Deum, temperantiæ &c. Ratio secundi est: quia multa opera virtutum moralium sunt tantum de consilio, & non de præcepto, ut v. g. nunquam nubere, nunquam carnes comedere &c. Si tamen lex naturalis largius accipitur etiam pro consilio, vel voluntate divina approbante, tunc omnia opera virtutum moralium materia ejusdem legis naturæ sunt, ut de se liquet.

Assero 3. Lege naturali non stringitur Deus, 2do. nec bruta, 3. 512
bene homines: immo 4to & Angeli, saltem in sententia illa, in qua sunt physice peccabiles.

P. 1ma pars. Neque lex naturalis potest stringere alium, quam subditum: atqui Deus non potest esse subditus; cum nequeat habere superiorem se ipso. ergo.

P. 2da pars. Quia lex non potest dari creaturæ irrationali, & libertatis experti; si enim rationem non habet, non potest vim legis penetrare: & si libertatem non habet, non est in potestate talis creaturæ obedire: adeoque stulte ei daretur aliquod præceptum.

P. 3tia pars. Lex naturalis est jussio Dei, & regula honestatis: ergo, quia quilibet homo Deo obedire, & honeste vivere tenetur, ideo etiam tenetur observare legem naturæ. 2do. Apostolus ad Rom. 2. ℣. 11. ait: *Quicunque sine lege* (scilicet scripta, & positiva) *peccaverunt, sine lege peribunt:* sed non perirent, nisi peccassent: neque pro-

proprie peccassent, nisi legi naturali, quam transgressi sunt, subjicerentur: ergo.

P. *4ta pars.* Quia & Angeli, si sint physice peccabiles, habent adhuc sufficientem libertatem, nempe moralem, quæ proinde lege naturali stringi potest.

Dices: In principio Institt. *de J. Naturali, Gentium, & civ.* dicitur: *Jus naturale est, quod natura omnia animalia docuit, nam jus istud non humani generis proprium, sed omnium animalium commune est: hinc descendit maris, & fœminæ conjunctio:* ergo bruta quoque obligantur lege naturali. R. Hic ab Imperatore sumi jus naturæ in sensu metaphorico, & improprie dicto, pro ordine quocunque a natura etiam brutis præfixo.

§. IV.

An detur ignorantia invincibilis Juris Naturæ?

Facile concessero, quod in homine usum rationis habente, & actu advertente non possit dari ignorantia invincibilis de primis, & universalissimis principiis juris naturæ, & de conclusionibus immediate, & clare ex iis deductis, qualia principia sunt, malum esse fugiendum, Deum cognitum esse colendum, Parentes esse honorandos, quod tibi non vis fieri, alteri non esse faciendum; ita enim communior Th. Th. cum Henno, Viva, Herincx, & aliis sentit. Ratio est: quia ista sunt ita clara cuivis homini ratione utenti, ut statim appareat illorum faciendorum, aut fugiendorum necessitas: de quibus proinde S. Augustinus L. 2. Confess. ait: *Lex tua scripta est in cordibus hominum, quam nec ulla quidem delet iniquitas.* Quæstio autem remanet, an non circa alia, quæ non ita clare, aut immediate ex primis principiis moralibus inferuntur, possit dari ignorantia invincibilis juris naturæ? quod negant aliqui cum Sinnichio, qui tamen admittunt ignorantiam invincibilem, & inculpabilem juris positivi. Contra hoc

513 Assero: Quoad conclusiones, quæ ex primis principiis moralibus legis naturæ difficilius, & obscurius deducuntur, datur sæpe ignorantia invincibilis, non solum in indoctis, sed etiam doctis. Herincx, Henno, Viva, ac alii communiter.

P. Faci-

P. Facile possunt aliqua præcepta legis naturæ ignorari a rudibus, si ea vestiantur aliqua circumstantia bona: sic facile reperies, qui invincibiliter ignoret, mendacium leve ad salvandam vitam innocentis esse illicitum, aut esse prohibitum lucrum ex mutuo, aut esse illicitam pollutionem, ubi ea ad vitam conservandam est unice necessaria. Vasquez novit Rusticum, qui invincibiliter putabat, licitum, ac pium esse, morti proximum in alteram partem versare, ut citius moriatur, ne diutius patiatur. Cassianus, Marulus, & alii tradiderunt, mendacium officiosum esse licitum. Imo Durandus putavit, fornicationem simplicem, stando in jure naturæ, non esse peccatum mortale, dummodo fiat mutuo consensu, & sufficienter caveatur, ne proles male educetur, prout refert Viva in sua Trutina ad propositionem 2dam Alexandri VIII. Accedit experientia in pueris, & rudibus, qui varia contra legem naturæ committunt absque ulla apprehensione peccati, donec a Confessariis admoneantur. Sunt & aliqua in jure naturæ adeo implicata, & obscura, ut neque hodie sapientissimi, & piissimi Doctores resciant, quid circa ea prohibitum, vel permissum sit. Sic S. Thomas olim docuit, posse judicem morti adjudicare secundum allegata, & probata nocentem, quem tamen privata scientia novit innocentem, quod negat D. Seraphicus: utriusque partes hodie adhuc graves Doctores tenent: ergo tali modo etiam in doctissimis, & piissimis potest dari aliqua ignorantia invincibilis juris naturæ.

Objic. 1. Ignorantia quæcunque juris naturæ, quæ dari potest in 514
homine, causatur per peccata priora: ergo ea est nobis voluntaria in causa, & vincibilis. R. N. a. Sic pueri, & rudes sæpe laborant ignorantia juris naturalis, quin unquam antecedenter peccarint mortaliter: ergo neque talis ignorantia potest esse voluntaria, voluntareitate saltem tali, quæ requiritur ad peccatum mortale.

Dices: Saltem ignorantia juris naturæ oritur ex peccato originali, quod nobis fuit imputatum: ergo & hæc ignorantia potest imputari. R. N. c.; male enim libertas, & voluntareitas nostra, requisita ad peccatum, petitur ex recursu ad peccatum originale, ut constat ex propos. 1ma ab Alexandro VIII. confixa, sic habente: *In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa peccato originali, & libertate Adami.* Dein-

de ad culpam personalem requiritur libertas Personæ ipsius, talem culpam contrahentis.

Objic. 2. Sic aliqua præcepta hominibus essent impossibilia, nempe ea, quæ essent invincibiliter ignorata, hæc enim homo non posset observare, quia ea non sciret: sed hoc est absurdum. R. D. M. essent impossibilia aliqua præcepta, cognita ut præcepta, n. M. non cognita c. M.

Objic. 3. Potest quis orando vincere omnem ignorantiam juris naturæ: ergo ea, quandocunque datur, semper est vincibilis. R. 1. Retorq. Argum. Potest quis orando vincere omnem ignorantiam juris positivi tam divini, quam humani: ergo ea semper est vincibilis. Consequentia est contra AArios. R. 2. N. a. Certe orarunt SS. Doctores Thomas, Bonaventura: oravit & Scotus; & tamen multa reliquerunt incognita circa jus naturæ.

Objic. 4. Deus juxta nos dat omnibus gratiam, & lumen sufficiens, præsertim facientibus, quod est in se: ergo si homo debite orat, & facit, quæ debet facere, accipiet gratiam, & lumen cognoscendi legem naturalem. R. D. a. dat lumen sufficiens ad ea, quæ requiruntur ad assequendam salutem, & evitandum peccatum formale c. a. ad ea, quæ requiruntur tantum ad evitandum peccatum materiale n. a. Ad salutem non est necessaria evitatio cujusvis peccati materialis, ex ignorantia commissi, eo ipso, quod tale formaliter non imputetur ad culpam, nec inducat pœnam inferni. Habet Deus haud dubie justas causas, cur non omnibus, etiam recte orantibus, tribuat notitiam omnium veritatum, tam moralium, quam speculativarum: certe salvantur aliqui ratione ignorantiæ, qui damnarentur ratione scientiæ. Audiatur & ipse Augustinus, quem AArii semper pro se allegant. Hic L. 2. *De peccatorum meritis.* c. 19. ait: *Deum bonum ideo etiam Sanctis suis alicujus operis justitiam aliquando non tribuere, vel certam scientiam, vel victricem delectationem, ut cognoscant, non a se ipsis, sed ab Illo sibi esse lucem, qua illuminentur tenebræ eorum.*

Objic. 5. Natura ipsa refugit ea, quæ sunt contra legem naturæ: ergo ignorantia juris naturæ non potest dari. R. D. a. refugit ea, quæ sunt clarissime, vel clare contra legem naturæ c. a. quæ sunt tantum obscure contra legem naturæ n. a.

§. V.

§. V.

An Ignorantia invincibilis Legis naturæ excuset a peccato?

Assero: Ignorantia invincibilis juris naturalis excusat a peccato 515
formali. Communis TT. contra Lutherum in cap. 12. Genesis, contra Jansenium, & ejus Asseclas. P. 1. Hæc propositio ordine 2da. est condemnata ab Alexandro VIII. *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato:* ergo oppositum est verum, quod videlicet ignorantia invincibilis juris naturæ excuset.

P. 2. Ignorantia invincibilis juris positivi tam divini, quam humani excusat a peccato: ergo etiam ignorantia invincibilis juris naturæ. A. est ipsorum AAriorum, & clare constat ex S. Scriptura. Sic Joan. 9. dicitur: *Si cæci essetis, non haberetis peccatum*, id est, si non cognosceretis veritatem, & legem, non possetis contra eam peccare. Et c. 15. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Accedit propositio 68. Baji damnata: quæ habet: *Infidelitas pure negativa in iis, in quibus Deus non est prædicatus, peccatum est*: quæ omnia supponunt ignorantiam invincibilem juris divini positivi excusare a peccato. Jam consequentia videtur tenere a pari; cur enim ignorantia juris divini positivi excuset a peccato, & non etiam ignorantia juris naturalis?

P. 3. Ut transgressio legis sit formaliter peccaminosa, debet esse voluntaria: sed transgressio legis invincibiliter ignoratæ non est voluntaria: ergo non est formaliter peccaminosa. M. constat ex eo, quia peccatum est actus humanus; omnis autem actus humanus debet esse voluntarius. Hinc proscripta est propositio 46. Baji dicens: *Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium.* m. etiam est certa; quia ad rationem voluntarii prærequiritur cognitio, ut dictum est de Actibus humanis.

P. 4. D. Augustinus, cujus authoritate AArii vane gloriari solent, ait, excusare universim quamcunque ignorantiam invincibilem; Epist. enim 48. dicit: *Certe nullius crimen maculat nescientem.* L. *de natura, & gratia.* c. 67. *Non tibi reputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras.* Ubi iterum generaliter

ter afferit, ignorantiam invincibilem, non autem vincibilem excufare a peccato.

516 Objic. 1. Varios textus S. Scripturæ, qui videntur docere, ignorantiam invincibilem juris naturalis non excufare a peccato, ut: Luc. 12. *Servus, qui cognovit voluntatem Domini fui, & non fecit fecundum voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis:* ergo & ille vapulabit, qui ideo non fecit voluntatem Domini fui, quia eam non cognovit, feu ignoravit. R. 1. indirecte: Vel hic, & fimiles textus nil probant contra nos, vel etiam pugnant contra AArios; nam in his, & aliis fententiis, quas contra nos adducunt, non diftinguitur jus naturale, & pofitivum: ergo, fi hi textus aliquid probarent, tunc probarent quoque, ignorantiam invincibilem juris pofitivi non excufare a peccato. R. 2. Textus illi, qui contra nos citari poffunt, loquuntur de ignorantia vincibili, quæ non excufat penitus a peccato, etfi hoc aliquomodo minuat, dummodo non fit affectata, ut dixi in Tract. de Act. humanis. Et hinc vincibiliter ignorans non tantum punitur, quantum ille, qui fcienter peccat. Sic quoque D. Auguftinus erit exponendus.

Objic. 2. In antiqua Lege Sacrificia pro ignorantia, ficut pro peccato offerebantur: ergo etiam ignorantia poteft effe peccaminofa. R. Hæc facrificia offerebantur tantum pro ignorantia vincibili. Unde S. Auguftinus L. *de natura, & gratia.* c. 17. dicit: *Aliud eft enim, non curaffe fcire, quæ negligentiæ peccata etiam per facrificia quædam legis videbantur expiari.* Cæteroquin pro invincibili ignorantia legis veteris, conftat, non fuiffe offerenda facrificia quafi expiativa proprie dicti peccati, fed ad fummum inftar ceremoniæ, feu quafi pro legali immunditia.

Objic. 3. Reg. 13. J. in 6. dicit: *Ignorantia facti excufat, non ignorantia juris.* & can. *in lectum.* 14. q. 1. & 2. punitur, qui ex ignorantia invincibili cognoverat non fuam. & cap. *continebatur. de homicidio.* punitur Diaconus propter homicidium inadvertenter commiffum: ergo ignorantia non excufat a peccato. R. Regulam illam juris effe intelligendam de foro externo, in quo non præfumitur ignorantia invincibilis juris: & ideo illi, qui peccaverunt ex ignorantia, fuerunt puniti, quia eorum ignorantia in foro externo non fuit præfumpta, aut agnita ut invincibilis. Præterea peccans dicitur ignorans:

rans: non quia *formaliter* ſemper ignorat, aut non advertit legis obligationem: ſed ignorat *interpretative*, quatenus operatur perinde, ac ſi ignoraret, quid ſibi facto opus ſit.

Objic. 4. cum Janſenio: Ignorantia juris naturæ eſt pœna peccati originalis: ergo ea eſt nobis voluntaria, adeoque culpabilis, ſicut ipſum peccatum originale. R. 1. Retorq. Argum. Ignorantia invincibilis juris divini poſitivi, & myſteriorum fidei eſt pœna peccati originalis, & in hoc tanquam radicem refunditur: ergo etiam ignorantia invincibilis juris divini poſitivi eſt culpabilis, & nobis imputabilis. A. conſtat, *tum* ex confeſſione AActiorum, *tum* ex eo, quia ipſe S. Auguſtinus L. 3. *de libero arbitrio.* c. 18. ignorantiam myſteriorum fidei ad peccatum originale tanquam radicem refert: & tamen hæc aliquis inculpabiliter poteſt ignorare. R. 2. N. c. Uti jam dixi §. præc., voluntareitas, vel imputabilitas ad culpam male a peccato originali petitur: alias ſequeretur, quod & motus concupiſcentiæ prævenientes conſenſum voluntatis ſint peccata; cum & hi motus a peccato originali ortum trahant: ſed ſequela eſt falſa; definit enim Concilium Tridentinum ſeſſ. 5. can. 5. concupiſcentiam nocere non poſſe non conſentientibus.

§. VI.

De Variabilitate, vel invariabilitate legis naturæ: nec non de Jure Gentium.

Nota 1. Diſpenſationem proprie dictam recte deſcribi, quod ſit 517
relaxatio legis pro aliqua, vel pluribus Perſonis, aut caſibus, facta ab habente legitimam poteſtatem, manente in eodem ſtatu materia legis.

Dicitur 1. *relaxatio legis:* quia per diſpenſationem reſpectu diſpenſati remittitur vinculum, & obligatio legis. dic. 2. *pro aliqua, vel pluribus*, non autem pro omnibus *Perſonis*, *aut caſibus*, ſi enim obligatio legis revocaretur pro omni caſu, & Perſona, non foret diſpenſatio, ſed abrogatio legis. Dicitur 3. *facta ab habente legitimam poteſtatem*; nam diſpenſatio eſt actus jurisdictionis, ſpectans ad ſolum ſuperiorem; etenim ad illum ſolum pertinet legem tollere vel ex parte, vel ex toto, ad quem ſpectat eam ferre. Dicitur 4. *manente in eodem ſtatu materia legis*, in iisdem nempe circumſtantiis, in quibus

alias obligare solet; si enim materia legis mutaretur, vel talibus circumstantiis vestiretur, in quibus lex non obligat, tunc non amplius necessaria, imo nec possibilis esset dispensatio legis; nam dispensatio est legis relaxatio, & remissio: atqui remitti non potest lex in illo casu, ad quem se non extendit, & in quo non datur, nec obligat. Res hæc fiet liquida ex ponendis exemplis infra.

Nota 2. Quando quæritur, an præcepta legis naturæ sint dispensabilia, vel mutabilia, tunc quæstio est de legibus vere talibus, quæ scilicet aliquid præcipiunt, vel prohibent, non autem quæritur de lege naturali mere permissiva; hanc enim mutari posse, & sæpius ex rationabili causa mutatam esse a potestate humana, & divina, certo constat: sic lege naturali universaliter permissa fuit comestio carnium; hæc tamen permissio mutata est ab Ecclesia præcipiente, ut aliquibus temporibus abstineamus ab esu carnium. Ita est de pluribus aliis.

Nota 3. Leges naturales stricte tales esse duplicis generis: *Aliquæ* earum simpliciter, & in omnibus circumstantiis obligant creaturam rationalem advertentem, & liberam, adeoque nunquam earum obligatio cessat. Talia præcepta sunt, quæ prohibent odium Dei, blasphemiam, idololatriam, mendacium, perjurium, bestialitatem &c. quippe positis quibuscunque circumstantiis nunquam est licitum, Deum odio habere, blasphemare &c. *Alia* præcepta legis naturæ non obligant simpliciter, & absolute, sed sub certis tantum circumstantiis, quibus manentibus semper obligant, quibus cessantibus, & ipsa præcepta cessant obligare. Sic prohibitio de non occidendo obligat solum sub his circumstantiis, ut scilicet non occidatur homo propria authoritate, neque tunc, ubi ejus occisio non est necessaria ad propriam vitam conservandam ad justam defensionem, quibus circumstantiis manentibus semper illicitum est homicidium, quibus mutatis licet homicidium: sic authoritate publica malefactores licite, & honeste plectuntur morte: sic Petrus injustum aggressorem vitæ suæ, contra quem aliter se defendere non potest, juste occidit. Ex his

518 Assero: Lex naturæ quoad aliqua præcepta vere talia est omnino immutabilis, ita, ut neque a Deo mutari possit: 2. quoad alia vero saltem indirecte mutari potest.

P. 1ma pars. Aliqua, quæ prohibentur lege naturæ, habent ita neceſſariam, & abſolutam diſconvenientiam cum creatura rationali, ut recta ratio dictet, ea nunquam, & in nulla circumſtantia, etiam per abſolutam potentiam poſſe fieri licita, uti ſunt iſta, Deum odiſſe, pejerare &c. ergo hæc præcepta naturalia, per quæ prædicta vitia prohibentur, nunquam poſſunt variari, aut tolli.

P. 2da pars. Sunt alia præcepta naturæ, quæ non obligant in omnibus circumſtantiis: ergo hæc ſaltem indirecte poſſunt in particulari caſu quandoque tolli, aut variari, ſi nempe eorum materia tollitur, aut mutatur, aut in talibus circumſtantiis ponitur, in quibus iſta præcepta non obligant.

Confirm. Certum eſt, præceptum naturale non obligare amplius, quando ejus materia, & objectum mutatur, non quidem ideo, quaſi tale præceptum intrinſece quoad ſuam vim obligativam immutaretur, aut ceſſaret: ſed ideo, quia mutata materia non amplius invenit objectum, circa quod ſuam obligationem exerceat: ſed poteſt Deus, imo & homo aliquarum legum naturalium materias mutare: ergo tunc non amplius obligant leges iſtæ naturales, & ſic quaſi indirecte, & improprie, ſcilicet ex parte materiæ mutationem ſubeunt. m. p. nam divinæ, & humanæ poteſtati ſubſunt aliquarum legum naturalium materiæ, quæ proinde ab utraque illa poteſtate mutari valent. Sic ſupremo Dei dominio ſubſunt vita, & res hominum, adeoque poteſt Deus dare alicui licentiam auferendi & vitam, & bona etiam innocentibus. Si ergo Deus, tanquam abſolutus Dominus vitæ, & mortis alicui licentiam det ſe ipſum, vel alium occidendi, id licite poſſet facere, quia pro hoc caſu, quo Deus facultatem hanc concedit, nunquam obligavit lex naturæ de non occidendo. Ita & Deus indirecte tantum mutavit legem naturæ de non occidendo, dum Abrahamo præcepit, proprium filium immolare, quia mutavit materiam hujus legis, nempe oblationem vitæ Iſaac, dum eam veſtivit tali circumſtantia, ſub qua illa non fuit prohibita a lege naturali: Item Deus indirecte diſpenſavit in præcepto illo naturali: *non furtum facies*, dum conceſſit Iſraelitis ſpoliare Ægyptios, & ipſis abripere vaſa argentea, & veſtem plurimam; etenim hic mutavit materiam hujus præcepti, dum dominium, quod habebant Ægyptii in ſua vaſa &c. tranſtulit in Iſraelitas, ſeu vaſa Ægyptiorum donavit Iſraelitis: quod utique Deus juſte facere potuit ob ſupremum

dominium, quod habet in omnia bona creata: quo facto furtum non amplius committere poterant Israelitæ, ut clarum est; furtum enim non committitur, ubi non sumitur alienum: atqui Israelitæ non surripiebant alienum, sed proprium, dum vasa Ægyptiorum capiebant, quorum dominium, & proprietatem a Deo acceperant: ergo.

Ita etiam Magistratus humani, dum irritant aliquos contractus, vel eos rite celebratos solvunt, aut eorum obligationem restringunt, mutant materiam legis naturæ, nempe illius, quæ jubet observari omnes contractus rite celebratos, & in suo vigore subsistentes; nam irritatione facta alicujus contractus, is non amplius habet valorem, neque in suo vigore subsistit, & sic per se corruit obligatio legis naturalis ob defectum materiæ, & objecti, in quod vim exercere posset. Idem dicendum est de lege naturali prohibente, ne quis retineat, vel accipiat rem alienam; hujus enim legis materia facile mutatur vel per præscriptionem, dum per eam res aliena transit in Dominium præscribentis, & sic non amplius manet aliena, sed est propria præscribentis.

Hic disputant aliqui, præsertim SS., volentes acerrime propugnare, quod Deus in aliquibus præceptis legis naturæ possit etiam proprie dispensare, & non solum indirecte per mutationem materiæ. Verum ut advertunt ipsi Patroni hujus sententiæ, disputatio ista est unice de nomine, ac prorsus inutilis speculatio. Quare ea supersedeo, & satis esse dico, quod Deus saltem indirecte possit dispensare in aliquibus naturæ legibus. Objectiones aliquas vide apud P. Holzman.

519 Quæres: An detur Jus Gentium, quæ præcepta specialiter ad ipsum pertineant, & quomodo a jure naturali differat? Ante Responsionem nota definitionem Juris gentium supra n. 492. traditam. H. P.

R. 1. Datur Jus Gentium; hoc enim probat unanimis DD. sententia, & communis populorum sensus, sæpe provocantium ad jus gentium. Datur autem hoc jus solum inter illas gentes, quæ in id mutuo consensu conspirant: quare nationes barbaræ, quæ in simile jus nunquam consensere, uti facta eorum probant, neque eodem obligantur; tota enim obligatio juris gentium provenit ex mutuo consensu, & conventione saltem tacita plurium nationum, & fun-

datur

datur in illo principio juris naturalis, in quo omnes contractus fundantur: *Fides data est servanda.*

R. 2. Ad jus gentium pertinent sequentia: 1*mo.* vi hujus juris Legati recipiuntur, & dimittuntur incolumes. 2*do.* Homines in bello justo capti, & servati possunt pro servis haberi. 3*tio.* Licet exercere commercium quæstuosum apud exteras, & non hostiles nationes. 4*to.* Vi juris gentium licet bello vindicare injuriam, vel damnum ab alio populo illatum. 5*to.* Vigore pariter juris gentium bellum solemniter debet denunciari per Fecialem, antequam inchoetur, neque durante illo fontes, aut instrumenta bellica veneno sunt inficienda, neque hostis per sicarium subordinatum est occidendus. 6*to.* Rerum in bello justo captarum acquiritur dominium, sicut & impunitas propter cædes etiam in bello injusto factas. 7*timo.* Huc revocantur quoque fœdera pacis, & induciarum, dum rationabiliter petuntur. Ac 8*vo.* tandem jus sepulturæ, vi cujus cadavera sepeliri debent.

R. 3. Jus gentium in pluribus differt a naturali. 1*mo.* Jus gentium immediate conditur a populorum consensu: jus naturæ a Deo. 2*do.* Jus naturæ est circa ea, quæ omnino necessario, & indispensabiliter conveniunt creaturæ rationali: non sic jus gentium; etenim una gens cum altera non necessario, nec indispensabiliter communicat: ergo neque una gens cum altera aliqua communia jura observare debuisset. Unde 3*tio.* materia legis naturæ sunt actus intrinsece boni, non item juris gentium. 4*to.* Jus naturale obligat omnes omnino gentes: jus vero gentium tantum illas, apud quas vel expressa voluntate receptum est, vel usu, & consuetudine invaluit. 5*to.* Lex naturalis promulgatur per ipsum lumen naturale intellectus: Jus gentium per praxin, & usum, saltem ordinarie. 6*to.* Lex naturæ non potest proprie, & directe mutari: bene jus gentium, dummodo gentes, quas obligabat, unanimiter in ejus mutationem conspirent. Ex quo ultimo

Colligis, quod jus gentium ab una sola gente pro libitu, & directe mutari nequeat: sicut pacta, & conventiones ab uno contrahentium pro libitu suo tolli non possunt invito altero.

Articulus III.

De Lege divina positiva veteri.

520 Per legem positivam divinam intelligimus eam, quæ a Deo non est necessario lata, sicut naturalis, eoquod non versetur circa materiam necessario convenientem, vel disconvenientem naturæ rationali: vel saltem intelligimus eam, quæ a Deo non est promulgata per solum lumen naturale intellectus, aut per impressionem divini luminis in intellectu hominis, juxta illud Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.*

Lex autem divina positiva dividitur principaliter, & communiter in Mosaicam, seu Veteris Testamenti, & Evangelicam, seu Novi Testamenti. Dixi: dividitur *principaliter, & communiter*; nam etsi communiter lex Mosaica vocetur prima inter positivas, quæ fuere a Deo conditæ: fuerunt tamen jam ante Moysen in lege naturæ quædam, licet pauca, præcepta positiva a Deo ordinata; præceptum enim fuit remedium peccati originalis: Item Noë Gen. 9. fuit datum hoc præceptum a Deo: *Carnem cum sanguine non comedetis*: fuit pariter circumcisio præscripta familiæ Abrahæ: vigebat quoque jam apud Antiquos obligatio eliciendi actus fidei, spei, & charitatis. Verum quia hæc præcepta positiva in lege naturæ existentia fuere paucissima respectu eorum, quæ data sunt in Lege veteri, & nova, ideo lex divina positiva ordinarie solet solum dividi in veterem, & novam.

§. I.

Varia quæsita de Lege veteri.

521 Quæres 1. Quisnam tulerit, & promulgaverit legem veterem? R. *ad primum*. Lex vetus, prout continetur in libris Moysis ab Exodo usque ad Deuteronomium inclusive, non humana, sed divina authoritate immediate condita est. Est de fide. P. ex S. Scriptura Exod. 20. *Locutus est Dominus cunctos sermones hos.* Et Malach. 4. dicit Dominus: *Mementote Legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel, præcepta, & Judicia.* Dixi: *prout continetur in libris Moysis*, non enim nego,

nego, alias quasdam observantias fuisse postea authoritate humana additas, v. g. de celebrando quot annis festo Phurim Esther 9. & festo Scenopegiæ 2. Machab. 1.

R. *ad secundum.* Legem veterem per Angelos Moyses accepit in monte Sinai, quam & populo Israelitico promulgavit: siquidem S. Stephanus Act. 7. de Moyse sic ait: *Hic, qui fuit in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum Patribus nostris, qui accepit verba vitæ dare nobis.* Quare & Lex *Mosaica* dicitur, non a Moyse conditore, sed promulgatore. Notandum hic, quod *Horeb*, & *Sina* idem significent, ut advertit S. Hieronymus. Quare lex illa, quæ fuit data in monte Sinai, sæpius dicitur esse data in Horeb, ut patet ex citato superius textu Malachiæ. Ex hoc

Inferes, quod lex antiqua fuerit bona, & perfecta. Ita est de fide contra plures veteres hæreticos, nominatim Manichæos, qui putabant, legem Mosaicam esse malam, & procedere ex malo principio. P. *1mo.* enim a Deo fuit instituta, cujus perfecta sunt opera. *2do.* Apostolus ad Rom. 7. de lege antiqua ait: *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum.* Quamvis autem lex vetus fuerit bona, & perfecta in se, fuit tamen respective imperfecta, seu respectu nostræ legis, quæ est multo perfectior, quam illa antiqua: unde de veteri lege ad Hebr. 6. dicitur: *Nihil ad perfectum adduxit lex.*

Dices 1. Lex Mosaica vocatur a S. Petro jugum importabile: ergo non fuit bona. R. N. c. Sic vocatur, quia juxta servilem populi Israëlitici conditionem fuit dura, & difficilis *1mo.* propter præceptorum multitudinem, *2do.* propter aliquorum etiam austeritatem, *3tio.* propter pœnarum severitatem, *4to.* propter gratiæ tunc temporis parcitatem, cum qua tamen erat observatu possibilis, secundum illud Deuter. *Mandatum hoc, quod præcipio tibi hodie, non est supra te.*

Dices 2. Ezechiel. 20. Dicitur: *Ego dedi eis præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent, & pollui eos in operibus suis, cum offerrent, quod aperit vulvam propter delicta sua*: ergo lex vetus non erat bona. R. N. c. Verba illa non intelliguntur de præceptis legis veteris, cum de iis asseratur 2. Esdræ 9. *Dedi eis præcepta mea, judicia mea ostendi eis, quæ faciens homo vivet in eis.* Quam ob rem per Præcepta non bona intelliguntur plagæ, & punitiones, quas Deus Israëlitis intentavit, aut omnino evenire permisit in pœnam suorum peccatorum, quod præ-

cepta Dei non custodissent, ut Dominus ibidem præmiserat; ex quo inferendo subdidit: *Ergo & ego dedi eis præcepta non bona.* Punitio vero, quæ Israelitis obvenerat, consistebat saltem pro parte in duorum dæmonum principatu, quorum servitio se consecrabant per simulacrorum cultum, speciatim Idoli Moloch, adeo, ut huic obtulerint, quod aperit vulvam, seu infantes suos. Plures objectiones præclare diluit noster Herincx p. 2. *Summæ Theolog.* Tract. 3. disp. 2. q. 2. n. 7. & seqq.

522 Quæres 2. An, qualiter, & quos Lex vetus obligarit? Præmitto: In lege veteri fuisse præcepta triplicis generis, scilicet *moralia, ceremonialia*, & *judicialia*, velut exprimitur Deuter. 5. *Loquor tibi omnia mandata mea, & ceremonias, atque judicia.* Præcepta *moralia* sunt juris naturalis, Decalogo comprehensa. *Ceremonialia* sunt, quibus populus Israëliticus peculiariter dirigebatur ad cultum divinum, cujus materia fuit quadruplex: 1*mo.* Sacramenta, ut circumcisio: 2*do.* Sacrificia, ut holocaustum, sacrificium pro peccato &c. 3*tio.* Sacra, id est, res pertinentes ad sacrificia, & cultum Dei, ut tabernaculum, templum, altare, sacra vasa. 4*to.* Peculiares observantiæ, ut certa festa, jejunia, prohibitiones quorumdam ciborum &c. *Judicialia* sunt illa, quibus populus Israëliticus ordinabatur ad bonam tum œconomicam, tum politicam gubernationem.

Ex his tamen & ceremonialia, & judicialia erant figurativa; *omnia* quippe in figura *contingebant illis* 1. ad Corinth 10. cum hac tamen differentia, quod præcepta judicialia magis ex consequenti, & accessoria Dei voluntate essent figurativa: cum principalius essent ordinata ad rectam gubernationem reipublicæ: ceremonialia vero, licet in essentiali ordinata ad Dei cultum, protestationem externam fidei, evitationem idololatriæ &c. in particulari tamen essent ad mysticas significationes principaliter ordinata; quod enim tale determinatum animal, v. g. Hircus, Agnus &c. ad sacrificium deputaretur, erat ratio figurativa, & significativa mysteriorum novi Testamenti. Numerus præceptorum horum veteris legis fuit ingens: Guilielmus Parisiensis apud Suarez numerat 316. Unde non immerito Act. 15. Lex ista vocatur *jugum importabile.* H. P.

R. 1. Lex vetus obligavit in conscientia non tantum quoad præcepta moralia, & ceremonialia, sed & judicialia. Ita unanimiter Doctores contra Gersonem Tract. *de vita spirituali* lect. 2. Corollar. 2. & 7.

& 7. Ratio est: Lex vetus est data modo præceptivo in materia capaci obligationis in conscientia, & quidem a Deo, cui sic obligare maxime convenit: ergo censenda est illa lex obligasse. Singulariter contra Gersonem id probatur de lege judiciali; nam hæc eisdem verbis, quibus ceremonialis, & moralis, præcipitur, atque sub iisdem comminationibus: & licet pœna temporalis fuerit adjecta judicialibus præceptis, hæc tamen simul stant, scilicet obligatio in conscientia, & sub pœna temporali: imo pœnæ tempoarles etiam apponuntur aliis præceptis legis antiquæ, quæ Gerson docet in conscientia obligasse: sic violanti legem Sabbathi intentatur pœna mortis, & Deuter. 18. fiunt generales comminationes pœnarum temporalium transgredientibus mandata, & ceremonias. Insuper, licet legum judicialium finis fuerit politicus, tamen sub motivo altiore, scilicet ob beatitudinem per harum observantiam consequendam, statuebantur, adeoque conveniebat illis quam optime obligatio in conscientia. Adde leges has ex genere suo obligasse sub gravi, quia erant gravis obligationis secundum se capaces. Dixi: *ex genere suo*; nam parvitas materiæ regulariter excusat a mortali.

R. 2. Lex antiqua per se loquendo obligavit solos hebræos. P. ad illos 523
solos lex illa dirigebatur, & illis solis promulgabatur, ut constat passim ex Exodo, Levitico, & Deuteronomio: sed lex non obligat, nisi eos, ad quos dirigitur, & quibus promulgatur: sic Deuteron. 4. dicitur: *Quæ est alia gens sic inclyta, ut habeat ceremonias, justaque judicia, & universam legem?* Psal. 147. *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.* ad Rom. 3. *Quid ergo amplius judæo est? - - - multum, & per omnem modum: Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei.* Dixi: *per se loquendo*: quia potuisset & gens alia legem veterem sibi imponere, & alias cuilibet liberum erat, legem istam profiteri, & se populo Dei adjungere per circumcisionem tanquam januam veteris legis, secundum illud Apostoli ad Gal. 5. *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.* Quod autem multi gentiles Judaicam legem receperint, constat ex illo Esther 8. *In tantum, ut plures alterius gentis, & sectæ eorum religioni, & ceremoniis jungerentur.* Hujusmodi ex gentibus adscripti populo Judæorum, dicebantur Proselyti.

Postremo præcepta moralia, quamvis obligaverint etiam gentiles, eos tamen non obligarunt, in quantum erant in lege positiva Mosaica, sed solum, quantum erant juris naturæ.

524 R. 3. Lex vetus non defiit in nativitate Chrifti, nec ante mortem Ejus. Ita communis. Ratio eft: quia Chriftus ufque ad mortem fervavit legem Moyfis in circumcifione, oblatione in templo, efu Agni Pafchalis &c. item mundatos a lepra mifit ad Sacerdotes juxta legis præfcriptum, ut de fanatione judicarent. Accedit ex Apoftolo ad Hebræ. 7. legem non defiiffe, nifi per Sacerdotii translationem, quæ ante paffionem Chrifti non contigit.

Dices: Chriftus Luc. 16. dicit: *Lex, & Prophetæ ufque ad Joannem*: ergo lex non duravit ultra Joannem Baptiftam. R. Hujus textus fenfus eft: in lege, & Prophetis obfcurius, & fub ænigmate bonorum temporalium fuit Chriftus, & fuum regnum prophetatus, & prænuntiatus, a tempore autem Joannis aperte evangelizatus Agnus Dei, five Chriftus, ejusque regnum fpirituale, & cœlefte, per pœnitentiam obtinendum. Sic etiam locutus eft Chriftus Matth. 11. ℣. 13. ubi verba Chrifti fic exponit Tirinus cum aliis: *A diebus Joannis, id eft, a tempore, quo Joannes cœpit prædicare, ad hanc ufque diem, & deinceps, regnum cœlorum, hactenus non nifi obfcure cognitum, fed a Joanne, & me clariffime vobis oftenfum, vim patitur, id eft, vi quæritur, invaditur, occupatur.*

Præterea notandum, a tempore inftituti baptifmi circumcifionem non fuiffe amplius parvulis neceffariam neceffitate medii ad remittendum peccatum originale, fuiffe tamen eis adhuc neceffariam neceffitate præcepti, tanquam fignum diftinctivum populi judaici, & fœderis a Deo cum populo illo initi: ficut & ea de re remanfit præceptum circumcidendi Joannem, quamvis jam effet antea in utero materno fanctificatus. Aliud eft de remedio legis naturæ, quod cum non nifi ad deletionem originalis peccati effet neceffarium, patet, neceffitatem illius, adveniente baptifmi utilitate, penitus exfpiraffe. Scotus 4. D. 3. q. 4. n. 12. & 18. non eft contrarius; folum enim vult, per inftitutionem baptifmi neceffitatem circumcifionis ad delendum peccatum originale; hoc enim, & non plus probat ratio Doctoris.

525 R. 4. Lex antiqua non defiit obligare præcife in morte Chrifti, fed a promulgatione legis novæ in Pentecofte. Ita D. Bonaventura 4. D. 3. part. 2. art. 3. q. 2. in fine, colligiturque ex Scoto, & fentiunt plurimi alii contra Præpofitum q. 103. dub. 2. & multos alios. Ratio hujus eft 1mo. quia id indicatur ab Apoftolo ad Ephef. 7. *Legem mandatorum decretis* (Evangelicis) *evacuans*. ad Hebr. 10. *Aufert primum*,

mum, *ut sequens statuat.* 2do. Modus abrogandi legem veterem per novæ introductionem est convenientissimus. 3*tio*. Non decebat populum Dei spoliari sua lege, nisi propter meliorem. 4*to*. Fuisset alioqui status medius absque ulla lege positiva Dei. 5*to*. Non fuisset ista abrogatio hominibus accommodata, nec utilis, utpote a Judæis invincibiliter ignorata, & non publicata, qui proin legem adhuc antiquam servassent tanquam obligantem, quod in ipsis Apostolis locum habuisse videtur.

Recte tamen advertit Scotus, legem veterem fuisse in morte Christi consummatam, ac novam confirmatam radicaliter, meritorie, & inchoative, quamvis actu, & complete exspirarit modo in conclusione explicato. Unde responderi potest ad authoritates, quibus adversa sententia nititur.

§. II.

An Usus Legalium in Lege nova aliquando licuerit?

Hæc controversia acriter inter se collisit maximos SS. Ecclesiæ Doctores, & Patres, Hieronymum, & Augustinum, quorum prior sententiam negativam, alter affirmativam pro viribus sustinuit, quem postremum contra priorem sequuntur plerique Scholastici. a S. Hieronymo stat præter Adrianum Lorca disp. 35. n. 2. cum quibusdam aliis. H. P.

Assero cum D. Augustino: Usus legalium aliquando tempore 526
adhuc legis Evangelicæ fuit licitus. P. ex factis Apostolorum: quippe dudum post Legis Evangelicæ promulgationem Apostolus Paulus Timotheum matre Judæa, & patre gentili natum circumcidi. & Act. 21. idem S. Apostolus juxta consilium Jacobi assumptis viris est ritu judaico purificatus Act. 19. Apostoli fidelibus præceperunt, ut abstinerent a suffocatis, quod etiam ad observantiam legalium judaicorum pertinebat. Item S. Petrus Antiochiæ Judaicas ceremonias observabat Gal. 2. Hujus rei congruentia assignatur ex D. Augustino Epist. 19. quæ est ad S. Hieronymum c. 2. nempe, ut Synagoga cum honore sepeliretur, & judæi scandalo eorum evitato, suavius, faciliusque ad fidem converterentur, cum viderent suas ceremonias, & leges non ita subito abrogari, sicut gentilium, & quia alioquin etiam

nimis durum Judæis accidiſſet, tam ſubito antiquam Legem relinquere.

527 Objic. 1. Legis veteris ceremoniæ figurabant tantum Chriſti myſteria: ergo his in morte Chriſti conſummatis, ceremoniarum illarum obſervantia habebat rationem mendacii, & ſic erat illicita. R. N. a. & c. Poſt mortem Chriſti poterant legalia obſervari abſque ſignificatione præfigurativa, ſed potius tanquam ſigna abſolute ſignificativa Chriſti, & myſteriorum Ejus, quæ tunc partim præterita, partim præſentia, partim durante ſtatu Eccleſiæ perſeveratura erant. Plane, licet ante adventum Chriſti legalia ſignificarint Chriſtum venturum, tamen Chriſto nato, & nondum mortuo poterant, & debebant exerceri, etſi non amplius tanquam ſigna Chriſti venturi.

Objic. 2. Ergo neque nunc eſt illicitum, legalia obſervare, quod tamen eſt certo falſum. Illatum patet ex paritate rationis. R. N. illat. Nam uſus legalium fuit tantum permiſſus aliquanto tempore gratia Evangelii necdum ſatis promulgata, & ob congruentias in probatione poſitas. His deſinentibus, & Evangelio ſatis ubique divulgato, eſt de fide certum ex inſtituto divino per Eccleſiam declarato, ut ex ejus ſenſu, & Traditione conſtat, uſum legalium eſſe modo illicitum: cujus teſtis eſt D. Hieronymus Epiſt. 11. inter Epiſtolas D. Auguſtini poſt medium, qui cum Epiſt. 14. inter Epiſtolas Auguſtini ſcripſiſſet, ſe in Auguſtini literis non nulla hæretica judicaſſe, excuſabat ſe Auguſtinus Epiſt. 19. dicendo, ſe fuiſſe locutum de tempore naſcentis Eccleſiæ.

Non poteſt autem certo determinari, quando legalium uſus cœperit eſſe mortiferus, vel illicitus: hoc tamen generaliter, & indeterminate poteſt ſtatui, id contigiſſe, Evangelio ſatis divulgato, ſcilicet circa annum 38. aut circiter poſt paſſionem Chriſti: *Poſtea vero* (ut ait Auguſtinus Epiſt. 19.) *tanquam cum honore ſepulta ſunt* (legalia) *a Chriſtianis omnibus irreparabiliter deſerenda.*

Objic. 3. ex S. Hieronymo illud Apoſtoli ad Gal. 5. *Si circumcidamini, Chriſtus nihil vobis proderit.* Quare idem Apoſtolus noluit Titum, qui erat gentilis, circumcidere: ergo jam tum, ſeu tempore naſcentis Eccleſiæ, erant legalia prohibita. R. Juxta D. Auguſtinum l. *de Mendacio* c. 5. & in expoſitione cap. 5. Epiſt. ad Gal. & juxta alios Expoſitores communiter: Ex doctrina Pauli Chriſtus nihil proderat iis, qui circumcidebantur, credentes, circumciſio-

nem

nem esse necessariam ad salutem, vel justificationem, conformiter iis, quæ in illo textu sequuntur: *evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini, a gratia excidistis.*

Ad exemplum de Tito pro confirmatione priorum repono: Ipse Apostolus circumcidit Timotheum, natum ex matre judæa, & patre gentili, non ex necessitate salutis, sed ex consuetudine solemnitatis, ut loquitur Augustinus: Titum autem noluit Apostolus circumcidi juxta aliquos ideo, quod putent, solis Judæis licuisse usum legalium post novæ legis promulgationem, Titus autem fuerit mere gentilis. Verum videtur verisimilius, etiam vocatis ex gentibus per se illo tempore licuisse usum legalium, utpote continentem cultum Dei, neque gentibus absolute prohibitum; nam Act. 15. definitur duntaxat, legalia non esse necessaria. Fors illa nunquam adhibuerunt, quia erant multum onerosa, & hinc vix applicabantur, nisi ex erronea Judæorum opinione de eorum necessitate: quod aperte tradit D. Augustinus l. *de Mendacio* c. 5. & in cap. 2. Epist. Gal. ubi ait, Apostolum facile permissurum fuisse circumcidi Titum, nisi obstitissent falsi fratres, qui hoc vehementer urgebant, ut ex ipso facto Pauli possent inferre, & prædicare, circumcisionem etiam in lege Evangelica esse necessariam. Notanda demum sunt etiam hæc verba D. Augustini Epist. 19. *Legalia non fuerant tanquam diabolica gentium sacrificia fugienda, sed permittenda paululum, eis maxime* (etsi non solis) *qui ex populo Dei, cui data sunt, venerant.* Ex hactenus dictis

Deduces: Non posse ab Ecclesia Ceremonias legis veteris instaurari, non solum tanquam retinentes aliquam institutionem divinam, ex qua sortiantur rationem cultus Dei, sed nec materialiter quidem spectatas, saltem quoad principaliores, & suo modo substantiales, quales sunt circumcisio, sacrificia, & cætera similia: id, quod comprobat communis sensus fidelium, qui censent, fore contra excellentiam novi, & unici Sacrificii a Christo instituti, restituere vetera sacrificia, quæ illius umbræ fuere, non valentia juxta conscientiam perfectum facere servientem: idem existimant de circumcisione, quæ caret omni utilitate, & vix adhiberi potest absque animo, vanitate judaici erroris imbuto. Hoc dictum est de substantialibus ceremoniis legis: quo non obstante, non solum leges judiciales, olim in Testamento antiquo statutæ, possunt a Principibus Christianis statui, quæ non vi Testamenti veteris, sed pro- 528

pterea, quia a Principum poteſtate legislativa vim accipiunt, obligant: ſed & quædam minutiores ceremoniæ, materialiter ſpectatæ, ob aliquam convenientiam, & utilitatem poſſunt ab Eccleſia aſſumi, ut circa veſtes ſacras, & ſimilia; ſic propter reverentiam Eccleſia permittit puerperis (non vero obligat) conſuetudinem abſtinendi certo tempore ab Eccleſiæ ingreſſu, eoque finito ſolemniter ſe cum gratiarum actione Deo repræſentandi. Cap. Un. *de Purificat. poſt partum.* Ipſi quoque Apoſtoli, & Seniores Act. 15. tulerunt præceptum, quo fidelibus Syriæ, & Ciliciæ injungebatur, abſtinere ab immolatis ſimulacrorum, ſanguine, & ſuffocato ob morales congruentias, atque ejusmodi eſus iterum in Concilio Gangrenſi, & Aurelianenſi XI. c. 1. & 2. vetitus fuit. Aſt hæc prohibitio Apoſtolica, & Conciliorum modo eſt certo, & generaliter ſublata, quamvis non certo conſtet, quando fuerit penitus abrogata, ut notat noſter Herincx.

Alia magni momenti objectio petitur ex Epiſt. ad Gal. 2. & facto D. Petri: Verum hæc integro §. ſequenti diluetur: unde ſit

§. III.

De Cepha reprehenſo. ad Gal. 2.

Controverſia hæc inter Criticos modernos, & olim inter DD. Hieronymum, & Auguſtinum agitata, originem trahit ex cap. 2. Epiſt. ad Galatas, ubi ſic loquitur Apoſtolus: *Cum veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat; prius enim, quam venirent quidam a Jacobo, cum gentibus edebat: cum autem veniſſent, ſubtrahebat, & ſegregabat ſe, timens eos, qui ex circumciſione erant. Et ſimulationi ejus conſenſerunt cæteri Judæi, ita, ut & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem. Sed, cum vidiſſem, quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ: ſi tu, cum Judæus ſis, gentiliter vivis, & non judaice, quomodo gentes cogis judaizare?* Ex quo textu duo moventur dubia: 1*mum.* An Cephas hic nominatus ſit idem, ac Petrus? 2*dum.* An ille, & quomodo peccarit?

329 Aſſero 1mo. Cephas ad Gal. 2. reprehenſus a Paulo eſt Petrus Apoſtolorum Princeps, & non alius. Ita longe communior contra Joannem Harduinum, & Jordanum Simon Ord. Eremit. S. Patriarchæ

triarchæ Augustini, virum in cathedra Theologica, & Ecclesiastica nominatissimum, ac scriptis clarissimum, in dissertatione Erfordiæ recenter edita.

P. Paulus ad Gal. 2. ℣. 9. ait: *Cum cognovissent gratiam, quæ data est mihi, Jacobus, Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ Societatis.* Ex his verbis: *qui videbantur columnæ esse*, S. Hieronymus in Commentario infert, hic agi de tribus Apostolis, sic dicens: *Solicitus itaque requirebam, quidnam esset, quod diceret, qui videbantur; sed nunc me omni scrupulo liberavit, adjiciens: qui videbantur columnæ esse. Columnæ igitur sunt Ecclesiæ Apostoli, & maxime Petrus, Jacobus, & Joannes.* Quibusdam interjectis ulterius pergit: *qua authoritate, qua fronte audet, hoc in Petro reprehendere, qui circumcisionis Apostolus erat, quod ipse Apostolus gentium arguitur commisisse?* Addit deinde: *quid putamus tantas columnas Ecclesiæ, Petrum, & Paulum* &c. S. Hieronymus & Augustinus licet de hac controversia acriter inter se per annos literis decertarint, tamen per *Cepham reprehensum* semper intellexerunt Petrum, Apostolorum Principem: unde S. Hieronymus in commentario citato dicit: *Respondendum*, nempe iis, qui *Cepham* dicunt unum ex septuaginta Discipulis, *alterius, nescio cujus, Cephæ nescire nos nomen, nisi ejus, qui & in Evangelio, & in aliis Pauli Epistolis, & in hac quoque ipsa modo Cephas, modo Petrus scribitur, non quod aliud significet Petrus, aliud Cephas, sed, quam nos latine, & græce petram vocamus, hanc Hebræi, & Syri, propter linguæ inter se viciniam, Cepham nuncupent. Ad extremum, si propter Porphyrii blasphemiam alius nobis fingendus est Cephas, ne Petrus putetur errasse, infinita de Scripturis erunt radenda divinis, quæ ille, quia non intelligit, criminatur.* Hos textus ab Eruditissimo Didaco de S. Antonio in part. 3. *Enchiridii Scripturistici* allatos non potui in vetusta quadam S. Hieronymi editione reperire, & ideo volui omittere: nihilominus lustrans postea in celebri Monasterio, & Bibliotheca novam a Congregatione S. Mauri adornatam editionem, inveni eos, prout hic allegantur. Proin de eorum genuitate dubium nullum remanet.

Ex quibus clara mens S. Hieronymi patet, imo & D. Augustini, qui acriter inter se per annos decertarunt Epistolis de hoc, an Cephas, seu Petrus, in illo facto, de quo ad Gal. 2., fuerit reprehensibilis: quæ lis facile, & penitus soluta fuisset, reponendo, Cepham illum ad Galatas fuisse alium, ac Petrum, ut liquet.

Non

Non deeffent. SS. PP. alii, quibus tamen citandis fuperfedeo, cum fententiæ contrariæ Patroni ultro fateantur, omnes fere Patres in noftram fententiam confpirare. Ipfe Adverfarius Jordanus Simon pag. 21. allegat fequentes: Tertullianum l. *de præfcript.* c. 23. S. Cyprianum *Epift.* 71. S. Hieronymum *in Epift. ad Gal.* S. Auguftinum *Epift.* 28. 40. 82. *de Agone Chrifti.* S. Ambrofium *in Epift. ad Gal.* S. Gregorium Magnum Homil. 18. *in Ezech.* S. Chryfoftomum, & alios. Unde folum fic ratiocinor: In hac quæftione facti fere omnes, & præcipui Patres conveniunt: ergo de ea non eft movendum dubium; quia in quæftione facti in materia Theologica juxta communem opinionem, in qua omnes ferme, & præcipui PP. confpirant, dubitandum haud eft.

530 Affero 2. Petrus in facto hoc fuit vere reprehenfibilis, & vere a Paulo reprehenfus. Ita teftatur S. Scriptura Gal. 2. ℣. 11. *Cum veniffet Cephas Antiochiam, in faciem ei refliti, quia reprehenfibilis erat. . . . Sed cum vidiffem, quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: fi tu, cum Judæus fis, gentiliter vivis, & non judaice, quomodo gentes cogis judaizare?* quæ veram reprehenfibilitatem, & reprehenfionem indicant. Quare non folum fimulata fuit hæc reprehenfio, ut volebat S. Hieronymus *Epift.* 89. quæ eft 11. inter Epiftolas S. Auguftini, & in Commentariis magnis hujus loci: fiquidem ex D. Auguftino, & aliis paffim, ac ex ipfo textu contra D. Hieronymum liquet, ferio fuiffe acta, quæ ad Gal. 2. referuntur, & Petrum a Paulo fuiffe vere reprehenfum, non quia fimpliciter judaizaffet, quod & Paulus aliquando fecit, fed quia judaizaffet cum fcandalo gentilium, exemplo fuo inducens eos ad ceremonias judaicas, velut neceffario obfervandas, ac in eandem exiftimationem inducens ipfos Judæos. Cæterum contra D. Hieronymum pugnat, quod Apoftolis videatur hac fua affertione tribuere mendacium perniciofum, dum ait, eos fimulatorie exercuiffe judaicas ceremonias, quæ juxta ipfum jam erant falfæ, & mortiferæ: cum tamen nec fimulatorie liceat exercere ritus falfæ religionis.

Audiamus hac fuper re D. Thomam 1. 2. q. 103. art. 4. ad 2. ibi: „Dicendum, quod fecundum Hieronymum Petrus fimulatorie fe a „gentibus fubtrahebat, ut vitaret Judæorum fcandalum, quorum „erat Apoftolus: unde in hoc nullo modo peccavit. Sed Paulus „eum fimiliter fimulatorie reprehendit, ut vitaret fcandalum gentilium,

„tilium, quorum erat Apostolus. Sed Augustinus hoc improbat; „quia Paulus in canonica scriptura, scilicet ad Gal. 2. in qua nefas „est credere aliquid falsum esse, dicit, quod Petrus peccavit, & „Paulus vere eum, non simulatorie reprehendit. Non autem pec-„cavit Petrus in hoc, quod ad tempus legalia observabat, quia hoc „sibi licebat tanquam ex Judæis converso: sed peccabat in hoc, „quod circa legalium observantiam nimiam diligentiam adhibebat, ne „scandalizaret Judæos, ita, quod ex hoc sequebatur gentilium scan-„dalum.„

Id ipsum Doctor Angelicus clarius repetit 2. 2. q. 43. Art. 6. ad 2. ibi: *Petrus peccavit quidem, & reprehensibilis fuit secundum sententiam Augustini, & ipsius Pauli, subtrahens se a gentilibus, ut vitaret scandalum Judæorum, quia hoc incaute aliqualiter faciebat, ita, quod ex hoc gentiles ad fidem conversi scandalizabantur: non tamen factum Petri erat tam grave peccatum, quod merito possent alii scandalizari. Unde patiebantur scandalum passivum, non autem erat in Petro scandalum activum.* Ex hoc

Deduces: Peccatum Petri non fuisse errorem in fide, ut hære- 531
tici temere criminantur, sed conversationem incautam, & aliquo modo scandalosam, cujus tamen habebat aliquam rationem, propter quam a culpa gravi excusabatur: erat nempe incauta, atque importuna simulatio, seu professio externa Judaismi cum scandalo gentilium, qui tale factum Petri, Capitis & Principis totius Ecclesiæ, interpretabantur, signum esse, quod ceremoniæ legis Mosaicæ adhuc necessariæ essent ad salutem, ac proinde Paulum eos non recte instituisse hactenus. Erat ergo indiscretio in Petro, & vanus timor displicendi Judæis, cui proinde occurrit prudentia, & Zelus Pauli. In hoc facto Petrum peccasse venialiter, cum D. Augustino docent D. Thomas, Scotus, & plerique alii: quamquam Baronius ad annum 51. & quidam alii putent, peccasse tantum materialiter ex inconsiderantia. Imo Suarez l. 9. c. 20. n. 25. & seqq. existimat, in isto actu Petri tantum fuisse defectum majoris boni. Certe omnes tanquam indubitatum ponunt, Petrum non peccasse mortaliter, ut constat ex confirmatione Apostolorum in gratia post adventum Spiritus Sancti, quo non obstante aliqui leves defectus, & nævi potuerunt in eorum vitam irrepere. De hac quæstione non inutiliter legi potest noster Wilibaldus Heiss in Vindiciis SS. Pontificum p. 1. Sæc. 1. c. 1. sect. 1. Art. 4. ubi §. 7. fol. 58. nervose defen- dit,

dit, D. Petrum in illo facto nec venialiter, nec materialiter peccasse.

Solvuntur Objectiones.

532 Objic. 1. S. Paulus per Cepham hic non intelligit Petrum, sed alium: ergo. A. p. Si per Cepham intelligeret Petrum, eum primo loco posuisset tanquam Principem Apostolorum: atqui hoc non fecit Paulus, sed medium Cepham inter Joannem, & Jacobum posuit: ergo. R. N. a. ad p. D. M. eum primo loco posuisset, si de Petri primatu ageretur c. M. si non de hoc agatur n. M. Quam parum roboris insit huic argumento, ipsi Angeli testes resurrectionis ostendunt, dum non solum Petrum Jacobo, sed etiam Discipulis postponunt, dicentes Marc. 16. ℣. 7. *Dicite Discipulis ejus, & Petro.* Scriptores Sacri, præcipue ubi non agitur de primatu, & dignitate alicujus Personæ, dignitati illius non ita inhærent, ut non interdum postponant præferendos, & postponendos præferant, ut exemplum de Petro adductum docere potest. Aliud exemplum habemus in Prisca, quæ ante conjugem suum Aquilam locatur Rom. 16. ℣. 3. ad Timoth. 2. c. 4. ℣. 19. & Act. 18. ℣. 26. licet alibi, ut 1. Corinth. 16. ℣. 19. & Act. 18. Aquila conjux Priscæ præponatur. Si dicas, ex speciali ratione Priscam fuisse prælatam: & ego respondeo, in casu etiam nostro, tam mutati nominis, quam inversi Ordinis potest hæc dari ratio, quod cum hic agatur de Petri reprehensibilitate, Paulus ejus famæ voluerit consulere, eum nec nominans usitato, & consulto nomine, nec ordine dignitatis.

Objic. 2. Paulus Petrum reverenter, & consueto nomine ejus appellat, & statim ℣. 9. addit: *Jacobus, & Cephas, & Joannes:* atqui non est credibile, quod postquam bis Petrum suo nomine vocaverat, illum statim versu sequenti appellet Cepham: ergo. R. N. m. Petrus tria nomina habuit; dicebatur enim Simon, Petrus, & Cephas: quid igitur mirum, si nunc uno, nunc altero nomine nuncupetur? Act. 13. S. Paulus, qui ℣. 2. & 7. dicitur Saulus, statim ℣. 13. & 16. vocatur Paulus: & omnes judicant, per Paulum, & Saulum eandem significari personam. Idem dic de Petro, & Cepha.

Objic. 3. Quando Paulus per Cepham vult significare Petrum, constanter illum appellat Cepham, ut in Epist. 1. Corinth. 1. ℣. 12.

c. 3. ℣. 22. c. 9. ℣. 5. & c. 15. ℣. 5. ergo hic per Cepham intelligi cupit personam a Petro distinctam. R. D. a. in Epistola ad Corinthios prima c. a. alibi universim, n. a. Licet Paulus 1. ad Corinth. constanter Petrum Cepham vocet, non tamen exinde sequitur, ut hoc & alibi universim debuerit ... re, cum & ipse Christus Joan. 1. ℣. 42. dixerit: *Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*, ubi tria nomina, quæ Petro tribui possunt, enumerantur.

Objic. 4. Quamvis ad Galat. 2. in antiquis exemplaribus loco Cephæ Petrus fuerit positus, tamen a Tridentino in nostra Vulgata fuit repositus Cephas loco Petri, nempe ad indicandum, quod hic Cephas sit alius a Petro: ergo. R. Transmisso 1mo membro Antec. n. 2dum memb. Mens Tridentini optime colligitur ex S. Hieronymo, quæ tantum fuit, novum Testamentum græce fidei reddere, non autem determinare, hunc Cepham esse alium a Petro; hoc enim si intendisset, facile, ut jam dixi, litem inter ipsum, & S. Augustinum diremisset, sustinendo, Cepham reprehensum non fuisse Petrum, sed unum ex 70. Discipulis.

Objic. 5. Juxta nullam sanam Chronologiam ostendi potest, quod Petrus illo tempore, quo Cephas a Paulo fuit reprehensus, exstiterit Antiochiæ, & non Jerosolymis: ergo ille Cephas fuit alius a Petro. R. N. a. Juxta optimos Criticos, & Chronologos sequens series ex Actis Apostolorum, & Epistola ad Galatas potest statui. Paulus ad fidem erat conversus anno Christi 35.: post tres annos, nempe an. 38., venit Jerosolymam, videre Petrum, & mansit apud eum diebus 15. ad Gal. 1. ℣. 18. Postea ut Gentium Doctor Cyprum, Pamphiliam, Pisidiam, Lycaoniam, Galatiam, aliasque Provincias fidem prædicando peragravit usque ad annum Christi 49. quo anno Act. 15. ℣. 2. missus est Antiochia Jerosolymam, consulturus Apostolos, an Gentes ad legem Judaicam tenerentur? qua re in Concilio per Petrum decisa, rediit Paulus cum sociis Antiochiam. Aliquanto post Cephas, seu Apostolorum Princeps, intelligens, Concilii sententiam optime Antiochiæ exceptam, eo profectus est, & conversis Gentibus convixit, eorum mensa, & cibis usus: sed advenientibus a Jacobo Fratribus, conversis Judæis, hos veritus, a Gentibus, eorumque mensa recessit, & se adjunxit Advenis Judæis, horum mensa fruens, observato veteris legis usitato ciborum

discrimine. Præterea iter Petri Jerosolyma Antiochiam res tanta non erat; ut enim Calmet observat: *Hanc, & illam Gallicæ leucæ 125. interjacent, quæ quidem minus diebus quindecim absolvuntur.* Atque adeo juxta hanc relationem nulla remanet difficultas in ordine chronologico, sive ex Actis Apostolorum, aut Epistola ad Galatas.

Objic. 6. Secundum nostram sententiam, si illa reprehensio Pauli Petrum tetigisset, Petrus fuisset factus hæreticus: sed hoc nequit dici: ergo neque illud, quod reprehensio illa Petrum tetigerit. M. p. Paulus in sua reprehensione ait c. 14. *Quomodo Gentes cogis judaizare?* atqui Gentes cogere judaizare, postquam aliter in Concilio Hierosolymitano erat definitum, hæresis fuit: ergo. R. N. a. Ad p. D. m. Hæresis fuit, gentes cogere judaizare per doctrinam pravam, contrariam Evangelicæ libertati c. m. per exemplum incautæ conversationis n. m. Responsio patet ex dictis. Addo ex Tertulliano L. 5. adversus Marcionem, 3. *Reprehendit* (Paulus) *Petrum, non recto pede incedentem ad Evangelii veritatem: plane reprehendit; non ob aliud tamen, quam ob inconstantiam victus, quem pro Personarum qualitate variabat, timens eos, qui erant ex circumcisione: non ob aliquam Divinitatis perversitatem - - - causa conversationis ambiguæ Petro ipsi non pepercit.*

Objic. 7. Eusebius Hist. Eccles. c. 12. ait: *Scribitur apud Clementem in quinto libro Hypotyposeon, in quo etiam Cepham nominat, de quo item Paulus sic loquitur: quando venit Cephas Antiochiam, illi in faciem restiti, quia reprehensibilis erat, unum ait ex septuaginta Discipulis Petri Apostoli:* ergo Cephas ille fuit unus ex septuaginta discipulis. R. N. c. Nec a communi aliorum propter Clementem, & paucos alios est recedendum. Accedit: opus Hypotyposeon, dato, esse Clementis citati, quod tamen Boileau negat, affirmat autem S. Hieronymus de Viris illustribus, variis esse erroribus inspersum; sic enim, ut Photius cod. 109. refert, in illo scribitur, primos homines fuisse Androgynos, Angelos cum mulieribus se commiscentes peccasse, materiam primam fuisse ab æterno &c. & quamvis Joannes Clericus Bibliothecæ universalis tom. 10. Hypotyposeon errores excusare conetur, liquet tamen ex his, dubiam & infirmam esse authoritatem hujus operis, nihil proin valentem contra constantem assertionem, ac authoritatem plurimorum, & maximorum Patrum, ac Doctorum.

Plura quidem de Lege divina positiva adhuc dicere oporteret: verum cum ea partim breviter, & solide pertractet P. Reiffenstuel t.

2. D. 2. q. .1 & 2. qui proinde videri debet: partim aliqua dicta jam ſunt, aliqua autem per decurſum in ſubſequentibus adducentur; ideo hic brevitatis gratia ulteriorem ejus Tractatum omitto, ac progredior ad legem humanam, ſeu illam, quæ immediate a poteſtate, & authoritate humana eſt lata. Quare ſit

Diſſertatio II.

DE LEGE HUMANA ET CAUSA EJUS EFFICIENTE, SEU DE POTESTATE HUMANA LEGISLATIVA.

Cum Proteſtantes contra poteſtatem legislativam humanam multum, & varie ſe opponant, hinc varia etiam hic præliminariter ſunt diſputanda. Unde ſit

Articulus I.

An Homines, præſertim Eccleſia, poſſint condere Leges?

Adverte: Lutherani, & Calviniſtæ, excuſſo ſuavi Eccleſiæ 533
jugo, ad Principes ſæculares poteſtatem condendi Leges quaslibet, etiam Eccleſiaſticas, tranſtulerunt. Anabaptiſtæ Lutheri infelices ſurculi, ſecuti Waldenſes Sæculi XII. hæreticos, volunt, neque Principes ſæculares poteſtate gaudere ſtatuendi Leges. Ante hos, initio nempe ſæculi XV. mitius quidem ſentire videbatur Joannes Huſs, quamvis erronee, ut qui, Wiclefi hæreticis dogmatis ſeductus, aſſeruit, nullum eſſe Dominum civilem, nullumque Prælatum, aut Epiſcopum, dum eſt in peccato mortali, atque adeo per peccatum mortale tolli poteſtatem legislativam tam Civilem, quam Eccleſiaſticam, vel ita impediri, ut Legislator ſeu Civilis ſeu Eccleſiaſticus nihil valide poſſit præcipere. Contra hos ſit

§. I.

An Prælati Ecclesiæ habeant potestatem ferendi Leges Ecclesiasticas.

534 Assero, & R. affirmative. *Ita de fide certa sententia Catholicorum. P. 1mo. Joan. 20. ad Petrum, & ad suos Successores dicitur: *Pasce oves meas.* Act. 20. *in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei:* sed Pastores, & Rectores Ecclesiæ debent posse præcipere, imperare, & leges ferre: ergo. Item Math. 15. dicitur: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*: atqui, si non foret in Ecclesia potestas præcipiendi, non deberet reputari Ethnicus, qui Ecclesiæ non obediret. Ibidem quoque dicitur Apostolis, proinde & eorum Successoribus Episcopis: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo.* Hinc ista potestate usi sunt Apostoli in Concilio Hierosolymitano act. 15. condentes legem de abstinendo ab immolatis Simulacrorum, sanguine, & suffocato: atque in fine ejusdem cap. dicitur de S. Paulo: *Perambulabat Syriam, & Ciliciam - - - præcipiens custodire* præcepta Apostolorum, & Seniorum. Paulus item 1. ad Corinth. 11. ait. *Sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Dein 1. ad Timoth. 3. & ad Titum 1. fecit legem de bigamo non ordinando. Denique ad Hebræ. 13. habet: *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis.*

P. 2. ex Traditione: Etenim in Prælatis Ecclesiasticis potestatem statuendi Leges agnovit primorum Sæculorum Ecclesia, ut patet ex Canonibus, qui iis temporibus circa disciplinam sunt conditi.

P. 3. Sine hac potestate Christus pessime constituisset Ecclesiam suam, utpote quæ non posset eos coercere, qui a Lege divina deficiunt, & flagitiosam vitam agunt. Ad hæc Ecclesia constituit perfectam Rempublicam, aptam ad se dirigendam in finem sibi convenientem per media conducentia, inter quæ est Legum latio; sicut enim in aliis Rebuspublicis, sic & cum proportione in Ecclesia possunt multa occurrere ad Dei cultum, & morum directionem pertinentia, quæ divinis legibus novi Testamenti non sunt comprehensa, aut saltem determinata, & tamen expedit, ea statui, aut determinari, ut liquet in Legibus ad Sacramentorum administrationem, & receptionem spectantibus, in Censuris Ecclesiasticis, impedimentis matrimonii &c. Profecto ipsa experientia docet, quantum ritus Sacrificii incruenti, Ecclesiasticis legibus instituti, rite servati majestate sua conferant ad reverentiam, & devotionem Fidelium excitandam.

P. 4.

p. 4. ex Definitionibus Concilii Tridentini: Sic sess. 6. can. 20. *Si quis hominem justificatum, & quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei, & NB. Ecclesiæ - - - anathema sit.* Sess. 7. can. 13. de Sacramentis in genere: *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.* Et sess. 7. can. 8. de Baptismo: *Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta, vel tradita sunt, ita, ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anathema sit.* Ex quibus canonibus clare infertur potestas Ecclesiæ ferendi præcepta, & leges obligantes, & subditorum, seu Fidelium obligatio obtemperandi.

Objic. 1. Est contra suavitatem Legis novæ, fideles constringi 535
tot legibus humanis, ut earum copia superet multitudinem præceptorum Legis Judaicæ: ut proinde merito deploret S. Augustinus Ep. 119. c. 19. tolerabiliorem esse conditionem Judæorum, quam Christianorum: ergo. R. N. a. Legis novæ facilitas præcipue consistit in abundantia gratiæ, & facilitate, ac paucitate præceptorum illius, quæ per leges humanas minime tollitur cum pauca sint præcepta Ecclesiæ universos obligantia, sed ad quatuor, vel quinque revocentur, eaque sint juris divini, aut naturalis determinationes: cætera vero obligant solum ratione status, officii, vel contractus, vel sunt regulæ, quibus Judices Ecclesiastici instituuntur ut secundum justum & æquum judicent. Accedit, multa reperiri in jure canonico, quæ sunt juris naturalis, & divini: multa etiam, quæ stricte non obligant, aut quorum obligatio facile cessat: At in lege Mosaica cum parcitate gratiæ erant leges plurimæ, & difficillimæ, sumptuosæ, omnes graviter obligantes.

Deinde ad summum inde infertur, in usu potestatis Legislativæ humanæ posse contingere excessum; cum tamen propter abusum, qui quandoque potest intervenire, non sit tollendus usus bonus, quem S. Scriptura, & ratio commendat. Et sane moderatio est adhibenda in usu hujus potestatis, ne conversatio fidelium reddatur nimis onerosa, ut D. Thomas monet ex Augustini loco in objectione citato.

Insuper D. Augustinus tantum redarguit multitudinem nimiam consuetudinum, indiscrete a quibusdam sine authoritate, & ratione legitima introductarum, quæ magis curabantur, quam plura, quæ in divinis libris sunt saluberrime præcepta: potestatem autem ferendi

leges

leges non reprobat, sed diserte approbat verbis immediate ante præmissis, quæ a Sectariis studiose omittuntur. Sic sonant: *Omnia itaque talia, quæ neque sacrarum Scripturarum authoritatibus, neque* NB. *Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, neque consuetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt - - - sine ulla dubitatione resecanda existimo.*

Objic. 2. Christiani non possunt adstringi mandatis hominum, & legibus humanis; hoc enim eorum libertati a Christo concessæ repugnaret, prout volunt evincere ex variis textibus in solutione argumenti afferendis: ergo Prælati Ecclesiastici, utpote homines, non habent potestatem ferendi leges. R. N. a. Libertas Evangelica, & Christiana minime consistit in liberatione ab omnibus præceptis legitimorum Præpositorum: imo Christus per Paulum præcipit expresse obedientiam, ipsis præcipientibus præstandam: *Obedite Præpositis vestris.* ad Hebr. 13. Et: *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit.* ad Rom. 13. sed consistit in liberatione a peccato, & a servitute legum ceremonialium, & judicalium, quæ erant propriæ veteri Testamento, partim tanquam umbræ & figuræ novi, partim tanquam propriæ regimini, & statui populi Israëlitici, a quibus nos Christus liberavit, & mutato statu voluit etiam mutare præcepta. Quam ob causam non est obligatio apud nos abstinendi a certis cibis, celebrandi certa festa &c quia hæc, vel similia erant præscripta in Lege antiqua, sed quia visum est Ecclesiæ, quædam præcipere iterum in statu Legis gratiæ, sicut jam ipsi Apostoli Act. 15. præceperunt de novo, ne Christiani comederent de suffocato, & sanguine: neque abstinemus a certis cibis quasi illi per se sint immundi, sed quia a legitima potestate ex justis causis certo tempore sunt prohibiti. H. N.

Corruunt textus omnes, quos objiciunt Sectarii: nempe illud 2. Corinth. 3. *Ubi spiritus Domini, ibi libertas.* atque ad Gal. 4. *Non sumus ancillæ filii, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit.* Et ad Gal. 5. *Nolite iterum jugo servitutis contineri.* Et demum ad Coloss. 2. *Nemo vos judicet in cibo, aut potu, aut in parte diei festi.*

Objic. 3. Deus in veteri Testamento prohibuit, ne quid ad præcepta sua adderetur, juxta illud Deuter. 4. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor.* Imo & in nova lege videtur idem prohibere, dum Math. c. ult. ait: *Docete omnes gentes - - - docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis.* atque Marc. 7. damnat humana præcepta: *In vanum me colunt, docentes præcepta hominum:* ergo. R. N. a. Ad *primum* Scripturæ

textum dico, Deum ibi præcipere, ne aliquid addatur legi divinæ repugnans: signanter c. 12. injungitur, ut ceremoniæ ab ipso Deo præscriptæ in cultu illius serventur, nullique ritus gentilium in eorum profanis sacrificiis usitati, assumantur. Sane in ipso veteri Lege Esther 9. Judith. ult. 1. Machab. 4. nova festa fuisse instituta legimus: & 1. Reg. c. 30. David constituit, ut esset æqualis portio descendentium ad prælium, & remanentium ad sarcinas. Ad hæc Deus per semetipsum omnibus consuluerat, quæ ad populi Judaici regimen spectabant: at sic Christus Ecclesiæ suæ consulere noluit, non quidem amoris defectu, sed honoris gratia suam ipsi potestatem detulit juxta illud Luc. 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*, voluitque jus illud committere iis, quos Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei. Textus *secundus* S. Matthæi pro nobis est; nam & Christus præcepit fidelibus, ut obtemperarent suis Prælatis Ecclesiasticis. In *tertio*, seu Marci textu damnat Christus præcepta quædam hominum injusta, & inutilia, quæ tamen Pharisæi legi divinæ anteponebant.

Objic. 4. Lex Evangelica sufficit ad salutem: ergo frustra conderentur aliæ ab hominibus. R. N. c. Lex enim Evangelica ad salutem sufficit in eo sensu, quod, ut quis salvus fiat, satis sit, si servet totam legem Evangelicam. Verum legem Evangelicam non servat, qui non obedit legibus Prælatorum Ecclesiasticorum; nam lex Evangelica commendat illorum authoritatem, & fideles jubet illis obedire.

§. II.

Aliqua adhuc resolvuntur de potestate Legislativa humana in genere.

Assero 1. Principes sæculares etiam gaudent potestate legislativa: est certa de fide sententia. P. Sacra Scriptura diserte præcipit, 536
ut Christiani præceptis, & legibus Principum sæcularium obsequantur: ergo Principes sæculares habent potestatem etiam fideles ligandi per leges. A. p. Luc. 20. dicitur: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, quæ sunt Dei, Deo.* ad Rom. 13. Apostolus ita loquitur: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. - - necessitate subditi estote, non*

solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. 1. Petri c. 2. *Subditi igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam a Deo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei.* Apostolus quoque citato jam loco Epistolæ ad Romanos adductis verbis sic subjungit: *Ideo enim & tributa præstatis; ministri enim Dei sunt* (Principes sæculares) *in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui honorem, honorem.* Huic claræ veritati consentit communis Patrum, & perpetua Traditio.

537 Assero 2. Illa potestas legislativa, seu Ecclesiastica, seu Civilis, competit etiam bonis, & malis, ac reprobis. Est contra Wiclefum, cujus hic Articulus 15. in Concilio Constantiensi est proscriptus: *Non est obediendum malis Prælatis, & Regibus.* P. Daniel Nabuchodonosori, qui erat infidelis, ait: *Tu es Rex, & Deus Cæli dedit regnum.* Laudatus in anteriore assertione D. Paulus c. 13. ad Rom. docet subjectionem ad Superiores, etiam Ethnicos, quales communiter tunc erant Reges, quando Paulus Epistolam ad Romanos scripsit. Idem docent passim Patres: Christiani quoque antiquorum temporum erant observantissimi legum honestarum ab Ethnicis Imperatoribus, & Regibus conditarum: Saul, David, Salomon, ac plerique Reges Israel graviter peccaverunt, nec tamen ob id Reges esse desierunt, quamdiu Deus illos regno non privaret. Denique 1. Petri c. 2. præcipitur servis, ut obediant Dominis suis, non tantum bonis, sed etiam discolis. Ratio est: quia potestas legislativa non fundatur in bonis moribus Principis, vel Prælati; nec enim id ratio, nec authoritas dictat: quin imo id rationi repugnat, utpote quod vergeret in perniciem Reipublicæ, & esset fomentum plurimarum seditionum, & schismatum, dum facile subditi Principem possent peccati arguere, & sub hoc prætextu recusare obedientiam.

Objicitur quidem Clemens Papa L. 2. Constit. Apostol. dicens: *Neque enim Rex impius est utique Rex, sed Tyrannus: nec Episcopus ignorantia, vel mala mente pressus est amplius Episcopus.* Verum jam in Tomo I. de Prolegomenis Theolog. pag. 369. libros Constitutionum Clementis jure supposititios asserui. Noster P. Herincx p. 2. Theologiæ Scholasticæ tract. 3. disp. 3. q. 3. n. 41. ait, illa verba ne specietenus quidem haberi in Constitutionibus Apostolicis, quæ exstant in primo Tomo Conciliorum, & excusæ sunt Venetiis anno 1589.

Articulus II.

Apud quos resideat potestas legislativa tam Ecclesiastica, quam Civilis.

§. I.

De Potestate ferendi Leges Ecclesiasticas.

Certum est I. Potestatem ferendi leges esse aliam, quam *dominativam*, vel *œconomicam*; nam potestas *œconomica*, & *dominativa* respicit communitatem aliquam tantum imperfectam, & intendit, ac procurat bonum duntaxat privatum, ac particulare illius, qui gaudet hac potestate, v. g. Patrisfamilias: Econtra potestas ferendi leges est potestas publica, ac jurisdictionis, respiciens communitatem perfectam, quam & obligare potest ad aliquid. 538

Certum est 2. Jurisdictionem legislativam non cuivis homini, imo nec cuivis Judici, vel Superiori competere, sed tantum illis, qui eam vel a Deo, vel ab hominibus accepere; potestas siquidem legislativa non est qualiscunque jurisdictio, sed eminentia quædam jurisdictionis ad regendos, & gubernandos alios per leges convenientes, quæ etiam *imperium merum* dici solet. His Præsupp.

Affero 1. Leges Ecclesiasticas universales, seu totum orbem Christianum obligantes, potest facere Papa. Omnes Catholici. P. Papæ tanquam suo in terris Vicario commisit Christus omnium omnino suarum ovium curam, dum ad D. Petrum, & ad omnes hujus in cura pastorali successores illimitate dixit Joan. 21. *Pasce oves meas, non distinguens inter has oves, & alias, ut alienum demonstraret a suo ovili, qui Petrum, & Successores ipsius, Magistros non recognosceret, & Pastores*, prout scribit Innocentius III. ad Constantinopolitanum Imperatorem, & refertur c. *Solitæ. 6. de Majorit. & Obed.* ergo D. Petro, & ejus Successoribus a Christo est data potestas pascendi omnes Christi oves, proinde & ferendi leges convenientes, quibus oves hæ in pascuis Ecclesiæ retineantur, & aberrantes ad eadem pascua, & ovile Christi reducantur. 539

Confirm. Christus Math. 16. ad D. Petrum, & ejus in Papatu Successores dixit: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis:*

lis: ergo D. Petro, & ejus Successoribus dedit potestatem universalem ligandi omnes fideles, etiam per leges a se conditas, si id conveniens fuerit. Accedit, quod hanc potestatem universalem ferendi leges pro toto Orbe Christiano a primis Sæculis Summi Pontifices in se ipsis agnoverint, & plures leges pro tota Ecclesia tulerint.

Objic. Soli Petro est dictum: *Tu es Petrus, & super hanc petram* &c. *Pasce oves meas* &c. non autem ad reliquos Pontifices summos: ergo solus Petrus a Christo accepit potestatem legislativam pro universo mundo, non autem ejus Successores. R. N. a. Nam non soli Personæ Petri, sed & in Petro omnibus ejus Successoribus sunt dicta præfata verba; siquidem officium supremi, & universalis Pastoris, ac Legislatoris non erat privilegium quoddam Personale, soli Personæ Petri concessum, & alligatum, sed erat favor, collatus in utilitatem totius Ecclesiæ. Quamdiu ergo manet Ecclesia, tamdiu in ea manet officium supremi, & universalis Pastoris, ac Legislatoris, qui est Papa. Neque censendum est, quod Christus Ecclesiam suam sub uno supremo capite voluerit vivere ad pauculos annos, quibus D. Petrus in vivis esset: sed voluit eam semper ad instar perfectissimæ Monarchiæ spiritualis sub uno visibili capite, & Monarcha perstare usque ad finem mundi. Ex his

540 Colliges 1. Hanc potestatem, universaliter pro toto orbe Christiano ferendi leges Ecclesiasticas, esse propriam soli Papæ; huic enim soli dictum est: *Pasce oves meas, quodcunque ligaveris super terram* &c.

Colliges 2. Istam potestatem Summo Pontifici conferri non ab hominibus, sed immediate a Deo, utpote quam ipsemet Christus Dominus verus Deus, & Homo immediate commisit D. Petro, & ejus legitimis in summo Pontificatu Successoribus, prout clare ostenditur ex textibus jam allatis, & ex Extravagante *Unam sanctam.* circa finem *de Majorit. & Obedientia.* inter communes. ibi: *Est autem hæc authoritas (etsi data sit homini, & exerceatur per hominem) non humana, sed potius divina, ore divino Petro data, sibique, suisque Successoribus in Ipso, quem confessus fuit, petra firmata, dicente Domino ipsi Petro: quodcunque ligaveris* &c. Accedit cap. *quanto.* 3. *de Translatione Episcopi.* Et ratio clara est; jurisdictio enim non potest descendere, nisi a Superiore; sed summus Pontifex nullum hominem in terra se superiorem agnoscit: ergo non potest jurisdictionem ab homine, consequen-

quenter a ſolo Deo accipere. m. conſtat; ſive enim homines ſeorſim, & ſolitarie, ſive ſimul, prout conſtituunt cœtum fidelium, & Eccleſiam, ſpectantur, non habent ſuperioritatem ſupra Pontificem ſummum. Quare recte ait Innocentius III. cap. *Novit ille.* 13. *de Judiciis. Poteſtas noſtra non eſt ex homine, ſed ex Deo.*

Aſſero 2. Leges Eccleſiaſticas particulares, ſeu ſtatuta, poſt 541
ſummum Pontificem condere poſſunt plures alii Prælati Eccleſiaſtici. Eſt certa. P. inductione: Sic 1*mo* ſtatuta, & leges particulares condere poſſunt Cardinales, ſed non niſi in Eccleſiis ſuorum Titulorum, ut colligitur ex cap. *His quæ.* 11. *de Majorit. & obed.* 2do. Legati Sedis Apoſtolicæ, qui leges ferre poſſunt, obligantes totam Provinciam ſuæ legationis: & quidem tales leges durabunt quoque finita legatione, niſi a Papa, vel Legato ſucceſſore, vel conſuetudine contraria abrogentur. cap. fin. *de Officio Legati.* ubi ait Gregorius IX. *Nemini dubium eſſe volumus, quin Legatorum Sedis Apoſtolicæ ſtatuta, edita in Provincia ſibi commiſſa, durent tanquam perpetua, licet eandem poſtmodum ſint egreſſi.* 3tio. Prælati Epiſcopis ſuperiores, ut ſunt Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, reſpectu propriarum quisque diœceſium. Idem eſt de Epiſcopis. cap. *Si quis.* 2. *de Major. & obed.* & c. final. *de Conſtit.* in 6. dixi: quod *Archiepiſcopi, Primates,* & *Patriarchæ* poſſint ferre ſtatuta reſpectu ſuarum diœceſium; nam leges, quæ totam Provinciam, cui præſunt, obligent, non poſſunt ferre, niſi in Concilio Provinciali, & de conſenſu Epiſcoporum comprovincialium ipſis ſubjectorum. can. *Nullus Primas.* 7. cauſ. 9. q. 3.

4to. Prælati regulares exempti, Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem poteſtatem habentes; quia & hi reſpectu ſuorum habent jurisdictionem. An autem iſti extra Capitula generalia, aut provincialia &c. poſſint ſe ſolis ſtatuta, & leges condere, quilibet ex Ordinis ſui conſtitutionibus deſumere poteſt. Noſtrates Superiores quod attinet, fatentur Theologi noſtri communiter, quod tam Generali, quam Provincialibus ſit adempta poteſtas faciendi ſtatuta extra Capitula: licet poſſint facere aliqua præcepta, aut ordinationes tempore tantum gubernii ſui valituras, quæ tamen eo ipſo, quod non ſint perpetuæ, legis rationem non habent.

Abbatiſſæ vero, & Præfectæ Monialium non gaudent poteſtate ordinaria ferendi leges. Ratio eſt: quia fœminæ jure ordinario

non ſunt capaces jurisdictionis ſpiritualis proprie dictæ, qualis eſt poteſtas ferendi leges Eccleſiaſticas; etenim ejusmodi jurisdictio ex ordinatione Chriſti ordinarie exigit ſubjectum capax Ordinis, cujusmodi eſt mas, non fœmina. Igitur ſimiles Præfectæ poſſident ſolum poteſtatem dominativam œconomicam, & maternam, vi cujus poſſunt ſubditis ſuis præcipere, errantes corrigere, res Monaſterii adminiſtrare, Officia diſtribuere. Inſuper competit eis aliqua jurisdictio ſpiritualis improprie dicta, quatenus poſſunt ſibi concreditis præcipere ea, quæ ad ſalutem animæ ſpectant; ſiquidem hujusmodi poteſtatem requirit tam ſpiritualis, quam temporalis utilitas Monialium, ut recte dicit Holzman.

542 Aſſero 3. Epiſcopi ſuam jurisdictionem, & poteſtatem legislativam non immediate a Chriſto, ſed a ſummo Pontifice accipiunt. Communior contra Vaſquez, & quosdam alios. P. 1. Epiſcopi recognoſcunt ſuperiorem in terra, ſcilicet S. Pontificem: ergo non immediate a Deo, ſed mediante S. Pontifice poteſtatem legislativam, & jurisdictionem obtinent. P. 2. ex perpetua praxi: cum S. Pontifex ſemper conſtituere, aut confirmare Epiſcopos, eorum poteſtatem limitare, ſuſpendere, vel juſta ex cauſa omnino auferre ſoleat. P. 3. Regimen Eccleſiæ eſt Monarchicum; atqui in regimine monarchico inferiores Judices quoad jurisdictionem, & poteſtatem ſuam dependere ſolent ab uno ſupremo Capite, & Gubernatore: ergo & Epiſcopi, tanquam inferiores Judices, & Prælati Eccleſiæ, quoad jurisdictionem, & poteſtatem ſuam legislativam dependere debent a S. Pontifice, tanquam ſupremo Capite Eccleſiæ.

543 Objic. 1. Epiſcopi habent jurisdictionem ordinariam: ergo eam immediate habent a Deo. R. 1. Retorq. Argum. Etiam Parochi habent jurisdictionem ordinariam, officio ſuo Parochiali annexam, quam tamen non immediate a Deo, ſed ab Epiſcopo obtinent. R. 2. N. c. Quia ordinaria quoque jurisdictio ſpiritualis immediate ab homine dari poteſt, ut conſtat ex retorſione.

Objic. 2. Summus Pontifex ſuam jurisdictionem immediate habet a Deo: ergo & Epiſcopi. R. N. c. & paritatem; Summus Pontifex non recognoſcit ſuperiorem ſe in terris: adeoque non ab homine, ſed a Deo poteſt, & debet ſuam jurisdictionem accipere: aliud eſt de Epiſcopis.

Objic. 3. Apostoli immediate suam jurisdictionem a Christo acceperunt: ergo & Episcopi ita accipiunt. C. p. Episcopi sunt Apostolorum Successores: ergo eodem modo accipiunt suam jurisdictionem immediate a Christo, sicut Apostoli accepere. R. C. a. N. c. Ad p. D. a. Episcopi sunt Apostolorum Successores quoad characterem Episcopalem, & analogiam aliquam similis eminentiæ supra alios Sacerdotes simplices c. a. sunt Apostolorum Successores quoad alia, præsertim jurisdictionem, & modum accipiendi jurisdictionem n. a. 1mo. Apostoli acceperunt ab ipso Christo jurisdictionem; quippe qui tunc per se ipsum regebat, & instituebat Ecclesiam: nunc autem regit Ecclesiam non per se ipsum immediate, sed per suum in terris Vicarium S. Pontificem, tanquam Caput visibile: adeoque jurisdictionem reliquis Prælatis inferioribus mediate per suum Vicarium confert. 2do. Apostoli acceperunt a Christo jurisdictionem in universum mundum, juxta illud Marc. 16. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni Creaturæ*; id enim exigebat Ecclesia, tunc primum ab Apostolis fundanda in universo mundo: Nunc autem, ubi jam plenior est dies, & Sol Fidei veræ ubivis terrarum fere clarescit, Episcopi habent jurisdictionem restrictam tantum, & limitatam ad particulares suas Diœceses.

Affero 4. Concilium generale, si accedat authoritas summi Pon- 544
tificis, leges condere potest, quæ obligent universam Ecclesiam. Est communis Catholicorum. P. 1. ex communi praxi Conciliorum generalium: etenim jam in prima Nicæna Synodo generali sub S. Sylvestro Papa celebrata, & aliis successive Conciliis generalibus, non solum vera Fides Catholica contra insurgentes hæreses explicata fuit, sed etiam plures regulæ, sive Canones, & leges pro felici gubernio totius Ecclesiæ sunt additæ. Id patet quoque in ultimo Concilio generali Tridentino, in quo plura decreta circa reformationem morum condita fuerunt. P. 2. S. Pontifex extra Concilium potest facere leges totam Ecclesiam obligantes: ergo & cum Concilio.

Dixi in Conclusione: *Si accedat authoritas S. Pontificis*; Concilia enim generalia Papæ non unita, vel ab eo non confirmata, aut omnino reprobata, nullius sunt potestatis, utpote acephala, Ecclesiam sine capite repræsentantia, quibus Christus nullam dedit potestatem. Quare Concilia ejusmodi semper solent Decretorum suorum

confir-

confirmationem a summo Pontifice petere, ut fecit Tridentinum sess. 25. in fine.

545 Assero 5. Etiam Concilia particularia leges quidem ferre possunt, sed pro suo tantum territorio, scilicet Nationale pro natione; Provinciale pro provincia, Diœcesanum pro Diœcesi: non autem possunt leges ferre obligantes totam Ecclesiam, nisi forte Decreta talis Concilii approbentur a S. Pontifice pro universa Ecclesia. Est communis. P. *tum* ex praxi talium Conciliorum, plures leges pro suo territorio facientium: *tum* ex can. 56. d. 18. Quod autem hujusmodi leges non obligent extra territorium, liquet ex c. ult. *de Constit.* in 6. ubi allegatur generalis ratio hujus nostri asserti: *Cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune.*

546 Assero 6. Congregatio, vel Collegium Cardinalium non habet potestatem condendi leges universam Ecclesiam obligantes: 2. nequidem sede Papali vacante. P. 1*ma pars.* Per se potestate ordinaria Cardinalibus non convenit potestas ferendi leges universales pro tota Ecclesia; hæc enim unica ad summum Pontificem, & Concilium cum Pontifice unitum &c. pertinet: neque legitur, quod Cardinalium collegium potestatem talem universalem unquam acceperit a S. Pontifice: ergo &c. *Confirm.* Collegium Cardinalium sede Papali vacante non habet potestatem ferendi leges pro universa Ecclesia: ergo eam minus habet vivente adhuc S. Pontifice, & sede plena. conf. videtur manifesta; nam si unquam prudenter posset attribui Cardinalibus potestas ferendi leges, tunc certe in casu, quo sedes Papalis vacat. ant. statim patebit ex prob. 2dæ partis. Quare

P. 2*da pars.* ex cap. *ubi periculum.* 3. *de Elect.* in 6. & Clement. *ne Romani.* 2. eodem tit. §. 1. ubi Cardinalibus sede vacante solum conceditur, ut ea ordinent, quæ pro electione S. Pontificis, pro Ecclesiæ defensione, ac periculorum tunc temporis occurrentium aversione visa fuerint expedire, & cavetur, ne se alicui alteri negotio immisceant: id vero omne, quod aliter fecerint, inane & irritum declaratur; atqui per sola præcepta, tantum ad tempus durantia, sufficienter provideri potest periculis, tunc sede vacante occurrentibus: ergo nequeunt legem aliquam, quæ est permanens, statuere.

547 Objic. 1. Declarationes Cardinalium, qui constituti sunt a Papa Interpretes Concilii Tridentini, in decretis morum habent vim legis universalis, obligantis totam Ecclesiam: ergo Cardinalibus

com-

competit potestas legislativa universalis pro toto orbe Christiano. R. Tr. a. N. c. Nam *1mo.* has declarationes Cardinales non faciunt nomine proprio, sed summi Pontificis; eæ enim non valent, neque jus faciunt, nisi sint datæ consulto prius S. Pontifice, hujusque expresso in Literis nomine: sicut statuerunt Sixtus V. Gregorius XIV. *2do.* Hæ declarationes debent esse *comprehensivæ*, seu debent jam fuisse comprehensæ in Concilio Tridentino, neque debent jus, aut legem novam constituere ut volunt Pius V. & Gregorius XIII. ergo has declarationes faciendo, Cardinales non statuunt aliquam legem, sed tantum explicant legem jam præexistentem.

Objic. 2. Cardinales possunt eligere S. Pontificem, qui est Legislator universalis: ergo & ipsi possunt facere leges universales. R. N. c. Sæpe aliquis potest, quod est majus, & non potest, quod est minus: sic Sacerdos simplex potest administrare Sacramentum Eucharistiæ, consecrare corpus, & sanguinem Christi: non autem potest conficere Sacramentum Ordinis, neque consecrare calices, aut altaria, quæ utique aliquid minus sunt, quam consecratio corporis, & sanguinis Christi.

Assero 7. Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante habet pot- 548
estatem condendi statuta totam Diæcesin obligantia, 2. non autem sede plena, seu vivente Episcopo. Reiffenstuel L. 1. Decret. tit. 2. De Constit. §. 4. & alii. P. *1ma pars.* Capitulum sede vacante succedit Episcopo in jurisdictione Episcopali, ut colligitur ex cap. *Cum olim.* De Majorit. & Obed. & cap. un. *eod. t.* in 6. ergo id ipsum potest Capitulum cathedrale sede vacante, quod Episcopus potest. Atqui Episcopus potest ferre statuta, totam diæcesin obligantia: ergo & id ipsum potest Capitulum cathedrale sede vacante: adeoque statuta illa, quæ facit Capitulum sede vacante, durant etiam, dum novus Episcopus est electus, nisi ea per Superiorem, vel contrariam consuetudinem &c. abrogentur.

P. *2da pars.* Quia Capitulum non habet jurisdictionem Episcopalem in diœcesanos, nisi sede vacante: ergo sede plena non potest ipsos aliqua lege obligare.

Objic. contra 1. partem 1mo. Capitulum cathedrale succedit in 549
jurisdictione Episcopali tantum ad tempus, & solummodo in defectum Episcopi mortui: ergo ejus statuta statim cessant novo Episcopo substituto. R. N. c. Etiam Legatus solummodo exercet jurisdictionem usque in adventum Successoris, & tamen ejus leges sunt perpetuæ, ut

ut dictum est n. 541. siquidem lex semel legitime facta durat in perpetuum. c. *factum legitime.* de R. J. in 6.

Objic. 2. Collegium Cardinalium sede Papali vacante non potest facere leges totam Ecclesiam obligantes: ergo neque Capitulum cathedrale statuta pro tota Diæcesi facere potest. R. N. c. & parit. Cardinalibus enim hæc potestas faciendi leges sede Papali vacante clare est interdicta a jure: Capitulo vero cathedrali jus concedit talem facultatem pro tota Diæcesi.

Ex quo habes, quod Capitulum sede vacante possit leges prius latas abrogare, si id bonum visum fuerit, & novas condere: non autem potest sede vacante aliquid innovare in iis, quæ pertinent ad Ecclesiam, aut dignitatem Episcopalem. cap. 1. *Ne sede vacante.*

Hoc etiam notes, quod Capitulum sede non vacante juxta dicta non possit facere leges, quæ totam diæcesin, & diæcesanos extra Capitulum existentes obligent: possit tamen, & quidem absque consensu Episcopi sui, ferre leges, & statuta, quibus obligentur ipsimet Capitulares, & membra ejusdem Capituli cathedralis. Hoc videtur colligi ex cap. *Cum omnes.* 6. De Constit. ubi supponi videtur, Canonicos posse irrequisito Episcopo in se ipsos jus statuere. Idem colligitur ex c. *Cum accessissent.* eod. tit. & c. 11. *De Præbendis.* Ratio est: quia in his, quæ pertinent ad rectam, & ordinariam gubernationem Capituli, ipsum Capitulum procedit absque Episcopo: ergo signum est, quod & Capitulum habeat aliquam jurisdictionem faciendi aliqua statuta ad bonitatem, & utilitatem ipsius Capituli spectantia. Hoc intelligendum est saltem de causis non adeo gravibus; in gravioribus enim consensum Episcopi requirere deberent, ut innuit Schmalzgrueber, ac docere videtur Reiffenstuel.

550 Assero 8. Quamvis Archiepiscopi, Capitula &c. possint facere aliqua statuta particularia, perpetuo duratura; hæc tamen potestas est aliquo modo restricta, & limitata. Communis. Probatur afferendo aliquas limitationes.

1mo. Præfati nequeunt ferre leges Juri communi contrarias, aut statutis ab eodem confirmatis; nam *lex superioris per inferiorem tolli non potest.* Clement. *Ne Romani.* 2. De Elect. Idem clare habetur decisum cap. *Quod super.* 9. de Major. & Obed. ubi Innocentius III. Patriarchæ Constantinopolitano scribit: *Dummodo non ducas aliquid statuendum, quod canonicis obviet institutis.*

2do.

2do. Prædicti non possunt leges ferre in gravioribus, utpote quæ S. Pontifici in signum supremæ potestatis sunt reservatæ, & ob sui gravitatem altius tribunal exigunt. Ita ad S. Pontificem spectant declaratio Articulorum Fidei, Canonizatio Sanctorum, unio & divisio Episcopatuum, Ordinatio impedimentorum Matrimonii: sicut & illa, quæ tangunt unam Ecclesiam alteri subjiciendam, vel statum universalis Ecclesiæ, vel Privilegia, & consuetudines universales. Id patet ex c. *Majores.* De Baptismo. ibi: *Majores Ecclesiæ causas, præsertim Articulos Fidei contingentes, ad Petri sedem referendas* &c. Accedit c. *Cum ex illo.* De Translat. Episcopi.

§. II.

De Potestate Legislativa Civili.

Nota: Triplex hic debere distingui regimen, scilicet Monarchicum, Aristocraticum, & Democraticum. Regimen *Democraticum*, seu *Democratia* datur tunc, quando potestas gubernativa, & legislativa residet apud universum populum: unde & principatus populi dici solet, qualis olim erat apud Athenienses, imo quondam apud Romanos. Atque in statu hoc Democratico potestatem ferendi leges Civiles esse apud ipsum populum, per se patet, ac indicatur §. *Lex est.* Instit. *de Jure Naturæ, Gentium, & Civili.* 551

Regimen *Aristocraticum*, seu *Aristocratia* est Optimatum Principatus, ubi videlicet soli Optimates Rempublicam gubernant, ut hodie contingit apud Venetos. In hoc regimine potestas legislativa convenit prædictis Optimatibus.

Regimen *Monarchicum*, seu *Monarchia* est unius Principatus, & datur tunc, quando unus regit communitatem. Talis respectu Imperii Romani est Imperator, in quem lege regia populus omne suum imperium, & potestatem contulit. H. N.

Assero 1. Leges Civiles, totum Imperium Romanum obligantes facere potest Imperator, vel solus, ut olim, vel cum consensu statuum Imperii, ut hodie. P. Pichler. Pars 1ma constat ex L. 1. & ult. C. *de LL. & constitutionibus Principum*: Alteram vero partem Pichler ait esse certam ex variis *Imperii Recessibus*, & *Imperatorum Capitulationibus.* 552

Talem potestatem ferendi leges universales civiles pro suis Provinciis habent quoque Reges, & alii Principes, Superiorem non recognoscentes, & quidem vel cum vel sine consensu Procerum suarum Provinciarum, prout cujuslibet Provinciæ consuetudo, vel pacta, & jura habent, nam & hi eo ipso, quia superiorem non agnoscunt, veri sunt Monarchæ respectu suarum Provinciarum, adeoque & eas regere possunt per leges.

Petes: An etiam Regina possit leges civiles ferre? R. affirmative, si sit moderatrix, & domina Regni. Pichler, & Holzman. Patet ex c. 4. *De Arbitris.* Ratio est: quia Regina talis habet potestatem gubernativam Regni: atqui potestati gubernativæ Regni annexa est vis legislativa: ergo.

553 Assero 2. Leges Civiles particulares, seu statuta municipalia, vim legis habentia, pro suis territoriis condere possunt Principes, & Status Imperii tam Ecclesiastici, quam Sæculares, uti Electores, & alii Principes inferiores, etiam contraria juri communi, seu Cæsareo. Reiffenstuel, Holzman: & alii. Ratio est: Quia Principes Imperii habent a Cæsare Regalia, ac ejus benignitate in suis terrioriis supremum Magistratum repræsentant. Inde illud vulgatum: *Quivis Imperii status tantum potest in suo territorio, quantum Imperator in imperio*: atqui Imperator in imperio potest facere leges contrarias priori Juri communi: ergo & id possunt imperii Status in suis territoriis.

Confirm. ex Lege *Omnes*. 9. ff. de Justit. & Jure. ibi: '*Quod quisque populus ipse sibi jus constituit, id Ipsius proprium civitatis est.* quam legem etsi Suarez aliter explicare nitatur, cæteri tamen Doctores, & ipsa consuetudo de statutis municipalibus, etiam Juri communi contrariis, intelligendam esse docent.

554 Assero 3. Summus pontifex habet potestatem condendi leges civiles pro terris sibi subjectis etiam quoad dominium temporale: 2. non autem potest condere leges per se, & directe circa res temporales extra suum territorium temporale. Utraque pars est communis. P. 1ma *pars*; nam Principes, dum dominium temporale ejusmodi terrarum S. Pontifici concesserunt, simul ei tribuerunt potestatem gubernativam, & legislativam civilem.

2da. pars P. ex confessione ipsorum Pontificum: Sic Nicolaus I. can. *Quoniam idem*. 8. D. 10. ait, Christum Ecclesiasticæ, & Politicæ potestatis

tis officia distinxisse, nec Pontificem sæcularibus negotiis se debere immiscere. Et c. 6. D. 96. *sed cum ad verum ventum est, ultra sibi nec Imperator Jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium usurpavit.* Et cap. *Novit ille* 13. De Judiciis. Innocentius III. satis clare ostendit, ad Papam pertinere, judicare de rebus animam contingentibus, non autem de rebus temporalibus, suæ ditioni temporali non subjectis. Idem Pontifex c. *Per Venerabilem.* 13. Qui Filii sint legitimi. iterum confirmat, Papam per se, & directe nihil posse in rebus temporalibus alterius territorii.

Additur ratio: Si Papa posset exercere jurisdictionem temporalem extra terras, ditioni suæ temporali subjectas, tunc hanc potestatem accepisset vel a Christo, vel a Principibus aliorum territoriorum: sed non accepit a Christo; ab hoc enim accepit solam jurisdictionem spiritualem, ut colligitur ex illis verbis: *Tibi dabo claves Regni cælorum* &c. Neque constat, quod Principes Sæculares hanc potestatem concesserint Papæ: ergo.

Dixi in Conclusione: *per se & directe*; nam per accidens, & indirecte potest Papa corrigere, aut abrogare leges Regum, & Imperatorum iniquas, quæ peccatum fovent, aut Ecclesiasticæ libertati præjudicant. potest & Pontifex indirecte Reges suis regnis, Imperatores imperio privare, prout aliqui fecere, si id sit necessarium ad defensionem Ecclesiæ. Verum & hoc faciendo non videtur Pontifex uti jurisdictione temporali, sed spirituali; quia peccata impedire, iniquitati resistere, ac Ecclesiæ utilitati providere, ad spiritualem animarum curam spectat.

Objic. can. *Omnes* 1. D. 22. dicit Nicolaus Papa: *B. Petro terreni simul, & cœlestis Imperii jura commissa esse*: ergo S. Pontifex etiam leges circa res temporales pro universo mundo condere potest. R. D. a. Jura cœlestis imperii B. Petro sunt concessa directe, & terreni imperii indirecte c. a. ambo directe n. a. Tali modo etiam debet exponi Extravagans. *Unam Sanctam.* 1. de Major. & Obed. in qua Bonifacius VIII. ait: *oportet autem gladium esse sub gladio, & temporalem authoritatem spirituali subjici potestati.*

Articulus III.

De Materia Legis humanæ.

555 Not. 1. Materiam, seu objectum legis humanæ, esse omnes actiones humanas, quæ præcipi, prohiberi, puniri, aut permitti possunt: quod colligitur ex L. 7. ff. de LL. ubi dicitur: *Legis virtus hæc est, imperare, vetare, permittere, punire.*

Not. 2. Legis præceptivæ objectum non potest esse actus per se inhonestus; quia lex omnis debet esse rationabilis, atqui illa lex, quæ præciperet inhonestum, non esset rationabilis: ergo. Dixi: Legis *præceptivæ*; nam lex mere *permissiva* pro objecto suo potest etiam habere aliquid inhonestum, illudque permittere ad vitanda majora mala, sicut alicubi permittuntur lupanaria.

Not. 3. Materiam legis præceptivæ non posse esse illud, quod est physice, aut moraliter impossibile; nemo enim obligari ad impossibile potest. Reg. 185. ff. de R. J. & Reg. 6. de R. J. in 6.

Not. 4. Legis prohibitivæ materiam posse etiam esse actus de se honestos, in quantum nempe alicui certo fini, vel bono publico non sunt convenientes. Sic utique labor servilis de se est honestus, prohibetur tamen die festo, quia non est conveniens sanctificationi festi.

Not. 5. Actus indifferentes, non possunt esse materia legis præceptivæ, aut prohibentis: ad quid enim præciperetur, vel prohiberetur actus mere indifferens? certe per tale præceptum, vel prohibitionem non promoveretur bonum commune. Possunt tamen hi actus in se indifferentes præcipi, quatenus serviunt ad aliquem finem honestum, vel ad bonum commune, & sic non manent amplius mere indifferentes, sed honestatem aliquam acquirunt a fine. His tanquam certis præmissis, sit

§. Unicus.

An, & quomodo Actus interni per Legem humanam præcipi possint?

556 Not. 1. Per actus internos intelligi actus intellectus & voluntatis qui sunt per se occulti. Quæritur ergo: An tales sub legem humanam cadere possint?

Not.

Not. 2. Leges alias tantum habere vim *directivam*, alias pollere quoque vi *coactiva*. Leges tantum *directivæ* ſunt, quæ obligant ad ſolam culpam in conſcientia incurrendam, non autem ad aliquam pœnam ab homine infligendam. Dixi: *ab homine infligendam*; ſiquidem & leges tantum directivæ poſſunt obligare ſub pœna a Deo imponenda, vel in inferno, vel purgatorio. Lex *coactiva*, vel *comminatoria eſt*, *quæ* obligat non ſolum ſub culpa in conſcientia incurrenda, ſed & ſub pœna ab homine tacite vel expreſſe ſtatuta, aut ſtatuenda.

Not. 3. Legem coactivam eſſe iterum duplicem: Una eſt coactiva *coactione interna*, quæ obligat ſub pœna ipſo facto ante ſententiam judicis incurrenda: altera eſt coactiva *coactione externa*, quæ obligat ſub pœna primum per ſententiam judicis injungenda. Sic leges, quæ aliquid prohibent ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrendæ, ſunt coactivæ coactione interna: illæ autem, quæ tantum ſub excommunicatione primum a Judice, v. g. Epiſcopo, ferenda aliquid præcipiunt, aut prohibent, coactivæ coactione externa ſunt. H. N.

Aſſero 1. Lex humana Eccleſiaſtica, & Civilis poteſt indirecte 557
præcipere actus internos. Communis. P. Lex humana Eccleſiaſtica, & Civilis poteſt præcipere aliquos actus externos, cum quibus neceſſario connexi ſunt aliqui actus interni: ergo etiam poteſt indirecte præcipere tales actus internos connexos cum externis. c. patet; nam qui poteſt actum externum præcipere, poteſt & illud præcipere, ſine quo actus externus eſſe non poteſt phyſice, vel ſaltem moraliter. A. p. Nam poteſt lex humana Civilis, & Eccleſiaſtica præcipere in certis occaſionibus verum contractum, vel verum juramentum: ſed verus contractus non poteſt dari ſine intentione interna contrahendi, neque juramentum verum eſſe poteſt ſine intentione jurandi: ergo.

P. 2. Alexander VII. confixit hanc propoſitionem. *Qui facit Confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.* Et iſtam Innocentius XI. *Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.* Ex quarum propoſitionum damnatione ſequitur, quod Eccleſia præcipiat Confeſſionem validam, & communionem ſanctam; atqui neutra ſine actibus internis haberi poteſt, adeoque & actus interni indirecte ab Eccleſia præcipiuntur.

Objic.

Objic. 1. Finis potestatis legislativæ Civilis, qui est pax Communitatis, potest obtineri per actus mere externos: ergo Legislator civilis non potest etiam indirecte præcipere actus internos. R. D. a. potest aliquando obtineri per actus mere externos, v. g. dum præstatur solutio tributorum, reparantur viæ &c. c. a. semper, & præcipue tunc, quando ob bonum commune imperantur contractus, juramenta, & alii similes actus, qui cum internis necessario sunt connexi, n. a. &c.

Objic. 2. Modus rei præceptæ non cadit sub præceptum; sed intentio interna est tantum modus contractus: ergo dum lex civilis præcipit contractum, non simul necessario præcipit intentionem internam. R. 1. N. m. nam intentio, & consensus internus est constitutivum essentiale, & non tantum modus contractus. R. 2. D. M. modus rei præceptæ non cadit sub præceptum, nisi sit intrinsecus rei præceptæ, & ab ea inseparabilis c. M. secus n. M. &c.

558 Assero 2. Lex humana Ecclesiastica tantum directiva potest præcipere actus mere internos, v. g. actum amoris Dei, actum Fidei, & alios actus mere internos. Henno, Holzman, La Croix, & alii contra Pichler, & plures alios.

P. 1. D. Petro, & ejus Successoribus est data potestas illimitata condendi leges, per illud Math. 16. *Quodcunque ligaveris super terram &c.* neque hæc potestas est restricta ad solos actus externos: ergo vi hujus potestatis Papa potest præcipere etiam actus mere internos. P. 2. Deus potest præcipere actus mere internos: ergo & Vicarius Dei, seu S. Pontifex; quid enim obstat?

P. 3. Potestatem legislativam habent Prælati Ecclesiæ in ordine ad finem supernaturalem æternæ beatitudinis consequendæ, ad quem magis conducunt actus interni, quam externi; cum interni sint principaliter meritorii, vel demeritorii vitæ æternæ: ergo supponendum est, quod Christus Prælatis Ecclesiæ dederit potestatem præcipiendi quoque, & prohibendi actus internos.

P. 4. enervando præcipuum argumentum AAriorum. Si actus mere internus non posset præcipi, aut prohiberi a lege humana, tunc ideo, quia legislator humanus talem actum mere internum nequit cognoscere, judicare, aut punire; sed hæc ratio nulla est: ergo. m. p. nam ad legem mere directivam non requiritur, ut ejus trans-

gressio

gressio cognosci, judicari, aut puniri possit ab humano Legislatore: sed sufficit, quod Deus, qui omni legi rite latæ, etiam humanæ, sua voluntate assistit, & eam quodammodo informat, ejus transgressionem cognoscat, & vindicet.

Confirm. Si talis lex humana præcipiens actum mere internum non esset possibilis, tunc ideo, quia foret mere directiva, & non coactiva coactione externa; atqui hæc ratio iterum nulla est; nam multæ sunt veræ leges defacto, quæ tantum sunt directivæ, & non coactivæ: sic leges naturæ, & præcepta positiva divina habent tantum vim directivam: ergo etiam possibilis est lex Ecclesiastica, quæ tantum habet vim directivam, & non coactivam simul.

P. 5. Potestatem hanc prohibendi, vel præcipiendi actus mere internos agnovit in se ipsa Ecclesia: Sic Tridentinum sess. 6. in Procemio habet: *Districtius inhibendo, ne deinceps audeat quisquam aliter credere, prædicare, aut docere.* Ubi distinctim prohibet *aliter credere*: atqui *credere* est actus mere internus: ergo. Iterum Innocentius XI. prohibet in virtute obedientiæ, & sub interminatione divini judicii, nequis propositiones ab Ipso damnatas deducat in praxin; sed praxis aliquarum harum propositionum est mere quid internum, uti constat ex propositione 5. 6. & 7. quæ agunt de dilectione Dei, & 10. quæ est de dilectione Proximi, & sic habet: *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali:* proinde praxis hujus propositionis est omissio amoris interni, quæ est mere quid internum: ergo.

Dices 1. Ibi tantum prohiberi, ne doceantur præfatæ propositiones. *Contra est*: Jam paulo ante sub pœna excommunicationis latæ sententiæ laudatus Pontifex prohibuit, ne quis præsumat, aliquam illarum propositionum docere: ergo, quæ addit de praxi, non sunt intelligenda de doctrina, sed de ipso usu harum propositionum, quem usum proinde, etsi mere internum, sub interminatione divini judicii prohibet.

Dices 2. cum P. Pichler: Harum propositionum usum jam aliunde jure divino, & naturali esse prohibitum: adeoque S. Pontificem non prohibere, sed solum declarare prohibitionem Juris naturalis, & divini. *Contra est* 1. Nullo modo ibi Pontifex indicat, quod tantum declaret, sed directe prohibet. *Contra est* 2. Quando Legislator *districte, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione divini judicii* aliquid prohibet, tunc non solum declarat prohibitionem, sed & ipse

ipse aliquid prohibet; atqui *districte*, *in virtute Sanctæ obedientiæ &c.* prohibet Innocentius XI. praxin illarum propositionum, ut ex ipso tenore Decreti clarum est: ergo.

Neque obstat, quod praxis harum propositionum jam antecedenter jure naturæ sit interdicta; nam & plura, quæ Jure naturæ, & divino sunt prohibita, possunt specialiter iterum prohiberi per Jus humanum. Sic furtum est jure divino & naturali prohibitum, & tamen prohibetur simul jure humano.

559 Assero 3. Lex humana coactiva coactione interna potest præcipere actus mere internos. La Croix, Holzman &c. P. 1. Coactio interna non requirit aliquam discussionem, aut cognitionem delicti, sed pœna a lege taxata immediate incurritur in conscientia coram Deo, qui vindex est omnium legum humanarum: ergo nil obstat, quin aliquis actus pure internus possit prohiberi lege ecclesiastica coactiva coactione interna. P. 2. Praxis mere interna Propositionis 10. ab Innocentio XI. damnatæ potuisset prohiberi sub excommunicatione; hujus enim nulla implicantia ostendi potest: ergo.

560 Assero 4. Lex humana civilis non potest præcipere actus mere internos. Communis. Ratio est: Quia lex civilis non intendit per se bonum spirituale hominis, nec eum dirigit ad finem supernaturalem, sed versatur tantum circa Politicam, & externam gubernationem Reipublicæ: ergo non habetur fundamentum aliquod, cur Legislatori civili tribuatur potestas præcipiendi actus mere internos.

561 Objic. contra 2. & 3. Assert. 1*mo.* C. 33. in fine. & c. 34. *de Simonia.* dicitur, quod *Ecclesia non judicet de occultis*: ergo Ecclesia non fert leges de mere internis; nam actus mere interni sunt occulti. R. D. a. Ecclesia de occultis, & internis nihil judicat, seu disponit *in forma judicii contentiosi*, cognoscendo nempe causam, ferendo sententiam, ac exercendo coactionem externam c. a. nihil judicat de internis, & occultis *in forma legis*, statuendo aliquas leges de iis n. a.

Sic proportionaliter explicandus est Can. *Cogitationis.* 14. de Pœnit. d. 1. qui sic sonat: *Cogitationis pœnam nemo patitur*: scilicet in foro externo, & contentioso c. in foro conscientiæ, interno, & coram Deo n. Accedit, quod hic Canon sit desumptus ex Jure Civili, quod utique non potest præcipere actus mere internos.

Objic.

Objic. 2. Poteſtas legislativa debet eſſe conjuncta cum punitiva, ut habet Ariſtoteles 10. Ethic. 5. ergo quia Eccleſia non habet poteſtatem punitivam reſpectu actuum internorum, neque habebit legislativam. R. Ariſtotelem tantum loqui de poteſtate legislativa ſibi cognita, nempe civili, quæ non poteſt præcipere actus mere internos: non autem loqui de poteſtate eccleſiaſtica, & ſpirituali, quam non agnovit. Hinc ipſius authoritas non eſt ad rem.

Objic. 3. Lex humana directiva, aut ſolum interne coactiva eſſet inutilis, & inefficax; quia Legislator humanus ejus executionem non urgeret: ergo non datur. R. N. a. Urget enim ſatis adimpletionem talis legis ipſa conſcientia, dictans gravem obligationem, vel etiam pœnam in foro conſcientiæ ſtringentem, & ipſo facto incurrendam, poſito, quod talis eſſet ſtatuta. Vid. dicta in Probationibus Aſſert. 2dæ.

Pro aliis objectionibus nota ſequentia. *1mo.* Poteſtas humana 562
legislativa, condens legem de actibus mere internis, adhuc exercetur modo humano: *tum*, quia etiam Prælatus Regularis, præcipiens ſubdito aliquem actum mere internum, v. g. orationem mentalem, adhuc agit modo humano. *tum*, quia illud humano modo exercetur, quod hominem dirigit ad finem ſuum ultimum, ad quem a Deo ordinatus eſt, prout fit præcipiendo actus mere internos. 2. Poteſtas legislativa Pontificis reſpicit externum ſtatum fidelium tanquam finem inadæquatum, & ſecundarium, non autem tanquam adæquatum, & primarium. 3. Sicut Chriſtus inſtituit Sacramenta ſenſibilia, ita & Eccleſia leges ſuas, quas faceret de actibus internis, deberet ſenſibili promulgatione nobis manifeſtare. 4. Ad Deum, & Angelos pertinet agere de internis, & inſenſibilibus modo inſenſibili; ſenſibili autem modo poſſunt etiam homines de rebus internis agere, ſicut & Eccleſia ſenſibiliter legem de actibus internis promulgat. Ex dictis

Colliges 1. Eccleſiam defacto jam præcepiſſe aliquos actus mere internos. Cur autem Eccleſia actus mere internos non præcipiat ſæpius, quam illos, qui ſunt mixti ex externis, & internis, ratio eſt: quod per actus mixtos magis proſpiciatur Eccleſiæ paci, & tranquillitati, quam per mere internos.

Colliges 2. Eccleſiam poſſe actum externum præcipere tanquam medium in ordine ad aliquem actum internum; ſic enim Eccleſia in Tridentino ſeſſ. 22. c. 5. præcipit ritus Miſſæ, tanquam adminicula ad

ad rerum divinarum meditationem: item prohibet libros hæreticos, præcipit Catecheses, ut conservetur fides interna: imo probabile est, quod Ecclesia omnia præcepta sua dirigat ad obtinendam perfectionem Christianam, quæ est aliquid internum.

Articulus IV.

De Forma Legis Humanæ.

Non est impræsentiarum quæstio de forma essentiali legis; de hac enim satis est actum superius. Quæritur igitur solum de forma extrinseca, quæ consistit in Promulgatione, & acceptatione legis.

§. I.

An ad Obligationem Legis requiratur aliqua Promulgatio: & an hæc sit de essentia Legis?

563 Assero 1. Ut Lex humana actu obliget in conscientia quoad culpam, vel etiam quoad pœnam, requiritur prævia ejus Promulgatio, seu Publicatio. Communis: singulariter Doct. subtilis 4. d. 3. q. 4. §. *Ad secundum.* P. Lex est commune præceptum. L. 1. ff. de LL. ergo debet necessario publicari, ut toti communitati sit cognita, & ab hac observari possit. Hinc L. *leges sacratissimæ.* 9. C. de LL. dicitur: *Leges sacratissimæ, quæ constringunt hominum vitas, ab omnibus intelligi debent.* Sed quomodo ab omnibus intelligentur, nisi omnibus, seu communitati publicentur?

Objic. 1. C. 1. *De Postulat. Prælatorum.* dicitur, legem obligare, quando *solemniter editur, aut publice promulgatur*: ergo ad actualem obligationem legis non requiritur determinate ejus promulgatio, sed tantum disjunctive, ac sufficit quoque sola constitutio legis in consistorio Principis, etsi ejus publicatio non accedat. R. cum communi Canonistarum, & Theologorum, solemnem editionem, & publicam promulgationem in citato textu esse synonima, & particulam *aut* non sumi disjunctive, sed expositive pro *seu*, vel pro *id est*, ut adeo sensus sit: Leges obligare, quando *solemniter eduntur, seu publice promulgantur.*

Objic.

Objic. 2. Dantur aliquæ leges obligantes pro tempore, quo vel necdum conditæ, vel saltem nondum fuerant promulgatæ: ergo promulgatio non requiritur ad obligationem actualem legis. a. colligitur ex cap. ult. *de Constit.* & L. 7. C. de LL. R. N. 2. vel potius D. dantur leges obligantes, id est, irritantes, & annullantes aliquem actum, factum ante constitutionem, vel promulgationem talium legum c. a. dantur leges obligantes in conscientia sub peccato, vel ad pœnam, pro tempore, quo nondum sunt conditæ, vel promulgatæ n. a. Notanter dixi in assertione, ut lex obliget *in conscientia ad culpam, vel ad pœnam:* quid autem de legibus irritantibus sit dicendum, inferius declarabitur. Ex quo

Colliges: Non peccare eum, qui agit contra legem jam quidem conditam, sed necdum debite communitati promulgatam, dato etiam, quod talis homo privata notitia sciat, legem illam jam esse constitutam. Hinc is, qui interfuit consilio, in quo decretum de pretio frumenti, aut valore pecuniæ minuendo est conditum, vel qui id alia via cognovit, potest ante publicam promulgationem ejusmodi decreti distrahere frumentum, aut pecuniam juxta valorem, & pretium currens, id est, juxta carius, quam fuit in illo decreto statutum: & hoc facere potest absque læsione justitiæ, & charitatis. Ratio est: quia non lædit justitiam, vel charitatem, qui rem suam distrahit justo pretio; sed pretium carius adhuc est justum; quia lex taxans minus pretium non est promulgata, sicque necdum obligat. Insuper talis utitur jure suo, nec ei debet obesse privata notitia legis necdum promulgatæ. Damnum autem, quod emens, vel pecuniam illam accipiens secundum majus pretium, inde patitur, est mere per accidens, nec per se intenditur a distrahente rem suam justo adhuc pretio. Suppono tamen, quod per ejusmodi venditionem emptori non inferatur tantum damnum, ob quod in extremam, vel gravem necessitatem devenire deberet; hoc enim esset contra charitatem: contra quam tamen non est aliud damnum, notabile quidem & grave, sed non inducens unam ex præfatis necessitatibus. Quid autem sit necessitas gravis, vel extrema, ex materia de restitutione constat, & videri potest apud P. Elbel vel Reiffenstuel. 564

Assero 2. Ad obligationem actualem legis requiritur talis promulgatio, ut toti communitati ea mediante possit innotescere: non tamen requiritur, ut ea singulorum auribus specialiter inculcetur 565

Communis cum Reiffenſtuel. Ratio primæ partis clara eſt ex dictis. Ratio 2dæ partis patet ex cit. c. 1. *de Poſtulat. Præl.* ibi: *Non eſt neceſſarium, cum conſtitutio ſolemniter editur, aut publice promulgatur, ipſius notitiam ſingulorum auribus per ſpeciale mandatum, vel literas inculcare: ſed id ſolum ſufficit, ut ad ejus obſervantiam teneatur, qui noverit eam ſolemniter editam, aut publice promulgatam.* Accedit ratio: quia moraliter eſt impoſſibile, ut ſingulis ſubditis privatim, & in particulari aliqua lex intimetur: ergo ſufficit eam ſolemniter, & publice promulgari communitati. Adde, quod mediante præfata publicatione facile omnes ſubditi notitiam legis acquirere poſſint: proinde omnes facta ſemel publica promulgatione ad legem obſervandam ſtatim obligantur. Si tamen aliqui eſſent, ad quos per accidens non perveniſſet notitia legis ſolemniter promulgatæ, tunc hi per accidens in foro conſcientiæ ab ejus obſervantia excuſarentur juxta dicenda inferius: in foro tamen externo hæc ignorantia nulli patrocinaretur, niſi eam efficaciter, & poſitive probaret; nam juris communis debite promulgati ignorantiam nemo habere præſumitur.

Dum vero dixi, legem facta promulgatione *ſtatim* obligare, to *ſtatim* intelligi volo 1mo *moraliter*, ut patiatur aliquam temporis latitudinem: 2do *conditionate*, niſi ſcilicet Legislator determinatum tempus præfixerit, quo incipiat lex actu obligare: de quo §. ſeq.

366 Aſſero 3. Promulgatio non eſt eſſentiale conſtitutivum legis, ſed eſt tantum conditio aliqua, neceſſario & eſſentialiter requiſita ad ejus obligationem actualem in actu ſecundo. Communis SSarum contra TTas, Pichler, & alios: eſt etiam Scoti 4. d. 3. q. 4. art. 1.

P. Tota virtus legis jam datur ante promulgationem: ergo etiam tota eſſentia legis jam datur ante promulgationem. c. videtur patere; virtus enim legis vel eſt ipſa eſſentia legis, vel eſt proprietas metaphyſica eidem realiter identificata: ergo, ſi tota hæc virtus jam datur ante promulgationem, tunc & tota eſſentia legis jam datur ante promulgationem. A. p. Virtus legis & ipſa vis obligativa, & directiva legis: ſed hæc jam datur antecedenter ad promulgationem; quippe & lex nondum promulgata, & adhuc in pectore Legislatoris exiſtens, jam continet vim obligativam, & directivam; hæc enim oritur unice a voluntate Legislatoris, quæ præcedit actualem promulgationem.

Confirm.

Confirm. & explicatur conclusio exemplo: Applicatio ignis ad subjectum calefactibile non est pars constitutiva virtutis calefactivæ ignis: ergo etiam promulgatio non est pars constitutiva virtutis obligativæ legis; promulgatio enim est nihil aliud, quam applicatio legis ad subjectum obligabile, vel ad subditos ad hoc, ut possit in eos virtutem suam obligatoriam, sibi jam antecedenter inexistentem, exercere.

Objic. 1. Gratianus Can. *In istis*. 3. d. 4. ait: *Leges instituuntur, cum promulgantur*: ergo promulgatio est de essentia legis, & lex ante promulgationem non est. R. D. a. instituuntur, id est, obligant actualiter in actu secundo, quando promulgantur c. a. obligant tunc primum in actu primo, seu accipiunt virtutem obligandi, dum promulgantur n. a. Obligatio actualis in actu 2do. non pertinent ad essentiam legis, sicut & actualis calefactio alicujus subjecti non pertinet ad essentiam virtutis calefactivæ ignis. 567

Dices: Lex essentialiter constituitur per actum secundum; sed ad actum secundum pertinet essentialiter promulgatio: ergo. M. p. Lex est imperium, & actus vitalis; atqui actus vitales essentialiter important actum secundum: ergo. R. D. M. Lex est actus secundus respectu potentiæ legislativæ, seu respectu voluntatis Legislatoris, a qua procedit c. M. est actus secundus respectu obligationis n. M. Lex, quia est actus voluntatis, utique dicit actum secundum, & actuale exercitium voluntatis Legislatoris: Si vero lex spectatur in ordine ad obligationem, quam fundat, tunc habet rationem actus primi, & nihil aliud importat, quam vim obligativam, ceu radicem, ex qua postea primum actualis obligatio, mediante promulgatione, resultat. Quare, quemadmodum de essentia mensuræ solum est potentia, & vis mensurandi, non autem actualis mensuratio: ita quoque de essentia legis non est actualis obligatio in actu secundo, sed tantum vis obligandi. Hinc neque promulgatio essentiam legis ingreditur, utpote quæ solum requiritur ad actualem obligationem, non autem ad vim obligandi.

Objic. 2. Lex essentialiter est regula totius communitatis: ergo ad essentiam ejus pertinet, ut sit debite promulgata communitati. R. D. a. Lex essentialiter est regula totius communitatis, potens regulare communitatem c. a. est essentialiter regula, actu regulans n.

2. Actu regulare non ad essentiam, sed ad actum secundum legis spectat.

Objic. 3. Lex essentialiter est locutio Principis, obligare volentis, ad subditos directa; sed hæc locutio nequit esse, aut intelligi sine promulgatione: ergo. R. N. M. Nam lex essentialiter non est locutio, sed imperium Principis, quod formaliter consistit in actu voluntatis, non autem in intimatione, aut promulgatione, prout in Tract. de Actibus humanis est dictum. Si autem aliqui sic definiant legem, quod sit *locutio* &c. Tunc ii vel non recte faciunt, vel certe non dant definitionem essentialem, sed tantum accidentalem, ac per additamentum.

Objic. 4. Si promulgatio est tantum conditio legis, tunc poterit a Deo suppleri, consequenter per absolutam Dei potentiam posset lex non promulgata, aut non intimata obligare in conscientia; nam Deus potest supplere conditiones; sic enim supplere potest approximationem ignis ad passum, & facere, ut ignis etiam non approximatus aliquod passum calefaciat, aut comburat; atqui sequela hæc est absurda: ergo. R. N. M. ad prob. n. parit. Est aliqua differentia inter conditiones: aliquæ sunt pure accidentales, & hæ a Deo suppleri possunt: aliæ sunt indispensabiliter, & essentialiter requisitæ ad effectum, sic v. g. ad actum voluntatis tendentem in aliquod objectum requiritur essentialiter cognitio talis objecti, tanquam conditio applicativa, & ostensiva ejusdem objecti: ita se res quoque habet in promulgatione, quæ etiam essentialiter, & indispensabiliter requiritur tanquam conditio ostensiva legis, ceu objecti.

§. II.

Qualis Promulgatio requiratur ad Obligationem Legis.

568 Assero 1. Attento jure positivo, & nisi aliter in ipsis legibus exprimatur, ad obligationem actualem legum Imperialium, pro toto Imperio latarum, requiritur, ut promulgentur in singulis Provinciis Imperii, seu in quavis Metropoli cujuscunque Provinciæ imperio subjectæ: insuper, ut duo menses a facta promulgatione sint elapsi, antea enim non obligant. Reiffenstuel Tit. de Constitutionibus, & alii communiter. Utraque pars habetur ex *Novella 66. capite 1.*

Et

Et quamvis Novella allegata directe solum loquatur de legibus, causam Testamentorum contingentibus, tamen ea extenditur universaliter ad omnes leges Imperiales, totum imperium obligantes: *tum*, quia Glossa ibidem ℣. *Hujusmodi lex. collat.* 5. eandem Novellam sic universaliter intelligit de omnibus omnino Legibus Imperatoriis, in quibus non habetur specialiter aliquid aliud expressum: *tum*, quia Rubrica, quæ Novellæ est præfixa, generaliter loquitur; sic enim sonat: *Ut factæ novæ constitutiones post insinuationem earum post duos menses valeant.* Si quidem & Rubricæ sunt authenticæ, & vim probandi habent, ac optime explicant nigrum, seu subjectum textum Juris, prout Reiffenstuel, & Pichler in proœmio Juris Canonici ostendunt: *tum*, quia ipsa praxis & consuetudo, quæ est optima legum interpres, ac communis Doctorum ita generaliter accipiunt allegatam Novellam de omnibus legibus totum imperium stringentibus.

Aliter videtur esse dicendum de Statutis inferiorum Principum, vel Civitatum. Ratio est: quia allegata Authentica, seu Novella solum loquitur de legibus imperialibus, latis pro pluribus Provinciis: ergo ea non statim est extendenda ad statuta inferiorum Principum. Hinc similia statuta satis promulgantur una solemni publicatione, facta in Curia, aut præcipua Civitate, nisi aliter in ipsa lege sit expressum. Ita Reiffenstuel Tit. de Constit. n. 112. contra alios. Porro Novella illa neque locum habet in Provinciis, ac Regnis Sacro Imperio Romano non subjectis, v. g. Hispania, Gallia &c. hæ enim non stringuntur legibus Cæsareis.

Pariter, nisi in ipsa lege inferiorum Principum aliud tempus sit præfixum, tunc ea, facta promulgatione, statim obligat scientes, ignorantes autem, & absentes post tempus arbitrarium, quo rationabiliter potest præsumi, quod jam notitiam legis obtinuerint, & quod post tantum tempus non debuerint ignorare legem. Ita denuo cit. Reiffenstuel cum aliis a se adductis: ego autem quoad utrumque hoc judico, esse attendendam consuetudinem cujuslibet Provinciæ; hæc enim optima legum est interpres.

Assero 2. Ad obligationem actualem legis Pontificiæ pro toto orbe Christiano latæ per se, & regulariter sufficit promulgatio Romæ facta locis ibi consuetis. Herincx, Holzman, Schmalzgrueber, ac plures alii, inter quos Castro Palao hanc nostram Assertionem omnino certam vocat. Reiffenstuel Tit. Constit. n. 117. & seqq. est pro- 569

blematicus. Eft autem contra noftrum Henno, Engl, & Pichler &c.

P. 1. Si ad inducendam obligationem non fufficeret promulgatio legis folum Romæ facta, tunc ideo, quia Pontifex non poffet, aut non vellet obligare, nifi facta promulgatione in omnibus Diæcefibus, ac provinciis mundi: aft non poteft dici primum; quia ipfi AArii fatentur, Pontificem poffe totum mundum obligare ad obfervantiam legis folum Romæ promulgatæ: imo aliqui Pontifices declararunt in fuis Bullis, quod velint, eas obligare, etfi folum Romæ confuetis in locis fint promulgatæ, ut Clemens VIII. in Conftitutione: *Quæcunque* Urbanus VIII. in Bulla: *Romanus Pontifex*, Idem in Bulla: *In eminenti*, qua prohibet Auguftinum Janfenii, & non nulla alia fcripta: ergo S. Pontifex poteft obligare totum mundum ad obfervantiam legis, folum Romæ promulgatæ.

Neque fecundum dici poteft; nam nullo ex capite colligitur, quod S. Pontifex nolit obligare totum orbem Chriftianum ad Conftitutiones fuas, tantum Romæ promulgatas: quin potius SS. Pontifices hac in re fuam feriam voluntatem fatis oftendunt, dum ad enervandam opinionem oppofitam fæpiffime fuis Conftitutionibus inferunt claufulam, *ut poft promulgationem Romæ factam omnes Chriftianos ubique obligent, ac fi fingulis forent intimatæ:* ergo fignum eft, quod Pontifices velint, Conftitutiones fuas, tantum Romæ promulgatas, ubivis terrarum obligare.

P. 2. C. 1. *de Poftul. Prælat.* dicitur, eum teneri ad Conftitutionis Pontificiæ obfervantiam, *qui noverit eam folemniter editam, aut publice promulgatam:* atqui fufficienter aliquis novit, Conftitutionem effe publice editam &c. fi ea eft Romæ publice promulgata: & fi de tali promulgatione alicui, etiam extra Romam exiftenti, certo conftat: ergo ad hoc, ut aliquis obligetur Conftitutione Pontificia, fufficit eam effe Romæ promulgatam, & de tali promulgatione facta certo conftare.

P. 3. defacto plures funt Bullæ Pontificiæ, quæ actu obligant orbem univerfum, etfi Romæ tantum fint promulgatæ. In exemplum adduco Bullam Cœnæ, quæ, ut teftantur Suarez, Caftro Palao, Layman, Pirrhing, folum Romæ promulgatur. Refert quoque P. Wex, non fuiffe Viennæ, in Bohemia, Hungaria &c. permiffum, ut ibi publicaretur, & palam affigeretur, etfi a tempore Rudolphi II. id fuerit attentatum. Et tamen hæc Bulla ubivis obligat, eftque Confeffariis inevitabiliter obfervanda quoad dandam, vel denegan-

dam

dam abſolutionem: ergo poteſt obligare lex aliqua tantum Romæ promulgata. Sic etiam Bulla, confirmans Concilium Tridentinum, edita a Pio IV. quæ incipit: *Benedictus Deus*, etſi eſſet ſummi momenti, & Summus Pontifex per eam vellet totum orbem obligare, tamen non fuit alibi a Pontifice juſſa publicari, quam Romæ in conſuetis locis, neque fuit in ea expreſſe adjunctum, *quod Romæ publicata omnes obliget ita, ac ſi omnibus fuiſſet privatim publicata.* Pariter Bulla alia: *Sicut ad ſacrorum.* ejusdem Pontificis, determinans tempus, poſt quod apud omnes Fideles curreret obligatio obſervandi Tridentinum, tantum fuit Romæ promulgata, ut videre eſt ad finem Concilii Tridentini: & tamen certum eſt, quod per hanc Bullam Pontifex iterum voluerit, omnes, etiam extra Romam exiſtentes, eſſe obligatos: ergo de facto plures ſunt Bullæ Pontificiæ, quæ actu obligant orbem univerſum, etſi Romæ tantum ſint promulgatæ.

Confirm. In cit. Bulla Cœnæ §. 26. habentur iſta: *Ut vero præſentes noſtri Proceſſus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas, proceſſus ipſos continentes, valvis Eccleſiæ S. Joannis Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe appendi faciemus, ut ii, quos proceſſus hujusmodi concernunt, quod ad ipſos non pervenerint, aut quod ipſos ignoraverint, nullam poſſint excuſationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cum non ſit veriſimile id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.* Neque obſtat, quod Pontifex eandem Bullam Cœnæ §. 27. jubeat etiam promulgari ab Epiſcopis, Archiepiſcopis &c.; id enim facit ſolum ad melius eſſe, ut nempe contenta in illa Bulla *eo fiant notiora*, prout dicit ipſa Bulla cit. §.: non autem id jubet ideo, quaſi promulgatio ſolum Romæ facta per ſe non ſufficeret.

P. 4. Noſtra Aſſertio patet ex ipſa conſuetudine, & praxi Curiæ Romanæ, quæ juxta leges ſolum Romæ promulgatas judicat omnes Chriſtianos totius orbis, niſi hi juſtam ignorantiam harum legum probare valeant, ut teſtantur Navarrus, & Herincx &c. At certe non recte faceret Romana Curia judicando Chriſtianos ſecundum illas leges, quæ ipſos non obligaſſent; id enim æquitati naturali foret contrarium: ſic etiam curia Sæcularis non judicat ſubditos alicujus loci ſecundum leges illas, quæ in illo loco non vigent, vel per conſuetudinem ſunt abrogatæ.

P. 5. Si ad obligationem Conſtitutionis Pontificiæ in univerſo mundo requireretur, ut ea promulgaretur non ſolum Romæ, ſed

& in aliis Provinciis, ac Diæcefibus extra Romam, tunc SS. Pontifices deberent magis curare, & laborare, ut Ipforum Conftitutiones etiam alibi per totum orbem promulgarentur, atqui SS. Pontifices non adeo multum curant, ut Ipforum Conftitutiones alibi extra Romam promulgentur, ut teftatur experientia, & Adverfarius nofter P. Schmier in Jure Legali c. 5. fect. 1 §. 1. n. 14. fatetur his verbis: *Romana curia non laborat, ut lex Romæ promulgata aliis innotefcat*: ergo ad obligationem Conftitutionis Pontificiæ in univerfo mundo non requiritur, ut ea alibi extra Romam promulgetur. M. conftat; nam certum eft, quod Pontifices, dum edunt Conftitutiones, univerfum orbem Chriftianum concernentes, velint, eas effe efficaces, utiles, ac vere obligatorias: ergo fi eæ obligationem actualem parere, & vim obligatoriam exercere nequeant, nifi fint extra Romam etiam in aliis provinciis promulgatæ, deberent Pontifices earum promulgationem in aliis Provinciis efficaciter urgere: quod tamen non faciunt, fed contenti funt fola promulgatione Romæ facta, haud dubie volentes, quod hæc unica Romæ peracta promulgatio fufficiat ad efficaciter obligandum totum orbem Chriftianum.

P. 6. Si Pontifex non vellet, regulariter legem Romæ promulgatam obligare omnes Chrifti Fideles, tunc fruftra quandoque fpecialiter exprimeret, aliquam fuam legem non obligare, nifi in Parochiis, aut Epifcopatibus promulgata; atqui quandoque fpecialiter hoc exprimit: ergo. M. conftat; ad quid enim talis fpecialis expreffio, fi aliunde jam univerfaliter aliquis non obligaretur ad legem, nifi ea foret promulgata in fingulis Epifcopatibus?

570 Objic. 1. Leges Romæ folum promulgatæ, non poffunt moraliter venire in notitiam remotarum Regionum fine alia in iis ipfis regionibus facta promulgatione: ergo promulgatio Romæ facta non fufficit ad obligandum totum orbem Chriftianum. R. 1. Retorq. Argum. ergo neque promulgatio Bullæ Cœnæ, & aliarum, in quibus expreffe dicitur, quod eæ Romæ promulgatæ totum orbem obligent, fufficit ad obligandum totum orbem Chriftianum. R. 2. N. a. Equidem Romæ eft omnium gentium confluxus: Principes ibi fuos habent Legatos, Epifcopi fuos Agentes, Religiofi Ordines fuos Generales, & Procuratores, qui Decreta Pontificia recenter publicata ftatim ad fuos dirigere folent, & debent, ut adeo moraliter cenfeatur impoffibile, legem aliquam, Romæ promulgatam, non pervenire ad notitiam reli-

reliquarum, etiam remotissimarum totius orbis Christiani Provinciarum.

Dices: Saltem magis congruum esset, legem Pontificiam in omnibus Episcopatibus totius mundi publicari, ut sic facilius ad singulorum aures pertingeret: ergo. R. 1. Retor. Argum. Adhuc magis commodum foret, leges Pontificias, vel saltem Diæcesanas, promulgari in singulis Parochiis, aut saltem Decaniis, sicut Tridentinum voluit, suum Decretum de irritatione Matrimonii clandestini sess. 24. c. 1. *de Reform. Matrim.* promulgari in singulis Parochiis: Et tamen AA rii. non requirunt, nequidem ad legem Diæcesanam, ut ea promulgetur in singulis Parochiis. R. 2. N. a. Imo congruentia suadet, legem Pontificiam non debere promulgari in singulis Provinciis, & Episcopatibus totius orbis christiani: *tum*, quia ob amplitudinem Ecclesiæ, multitudinem Diæcesium &c. foret omnino incommodum, & moraliter impossibile Pontifici, pro singulis singula Decreta expedire. quam rationem etiam agnovit Gregorius XV. in sua Bulla: *Inscrutabili.* edita 1622. Nonis Februarii, in cujus fine ita habet: *Quia difficile foret, præsentes literas ad singula loca deferri: ut eæ tamen omnibus innotescant, mandamus, illas ad valvas Lateranensis Ecclesiæ &c. publicari, & inibi affigi.* *Tum*, quia ex sola publicatione in curia Romana, & inde orta obligatione universali, major elucescit Ecclesiæ unitas, & amplior Christi Vicarii in subditos Episcopos authoritas, horumque erga illum exactior obedientia.

Objic 2. Noluit christus, ut Lex nova obligaret omnes Nationes virtute solius promulgationis factæ Jerosolymis in die Pentecostes, sed voluit, eam ab Apostolis promulgari ubivis terrarum: ergo idem dicendum est de Legibus Ecclesiasticis. R. N. c. Quod Lex Evangelica per universum mundum debuerit ab Apostolis prædicari, inde venit: *tum*, quia Christus specialiter id præcepit juxta illud Math. 28. *Euntes docete omnes gentes, servare omnia, quæcunque mandavi vobis.* *tum*, quia id necessarium erat; nam cum tunc Ecclesia nondum esset propagata per universum mundum, lex hæc nova non potuit aliter ad notitiam venire totius mundi, quam per promulgationem ubique terrarum factam. Ast Pontifices 1*mo.* nullo præcepto seu divino, seu humano adstringuntur ad promulgandas suas leges in omnibus Provinciis. 2*do.* Disseminata jam ubique fide, & omnibus Fidelibus obedientibus eidem Pontifici, facile lex Romæ promulgata remotis etiam nationi-

bus innotescere potest. Accedit, quod observatio Legis Evangelicæ a Christo institutæ magis sit necessaria, quam observantia legum ecclesiasticarum a Pontificibus statutarum: hinc & exactior, & amplior promulgatio Legis Evangelicæ, quam Bullarum Pontificiarum requirebatur.

Objic. 3. C. *Cum infirmitas*. 13. de Pœnitent. & Remiss. Innocentius III. expresse dicit, Medicos non obligari illa lege, quæ ibi statuitur, antequam ea per locorum Prælatos fuerit promulgata: ergo Constitutio Pontificia non obligat, nisi fuerit promulgata per locorum Ordinarios in suis Diæcesibus. R. 1. Retorq. Argum. Pontifices in pluribus Bullis dicunt, quod eæ obligent, etsi solum sint Romæ promulgatæ: ergo Constitutiones Pontificiæ obligant, etsi per locorum Ordinarios non sint promulgatæ. R. 2. N. c. Ex casu particulari, qualis erat in cit. cap. non licet argumentum ducere universale ad omnes alios casus in Jure non expressos: alioquin etiam ex eo, quia Tridentinum legem irritantem Matrimonii clandestini voluit promulgari in singulis Parochiis, antequam in iis obligaret, possemus etiam argumentari, quamlibet legem irritantem debere in singulis Parochiis promulgari ad hoc, ut in iis possit obligare, quod utique falsum. Hinc dixi in Assertione notanter: *per se*, *& regulariter*, id est, nisi specialiter aliud in Bulla Pontificia exprimatur, prout fit in allegato capitulo.

Dices: Quamvis Novella 66. superius adducta sit particularis, ac concernat causam specialem Testamentorum, ea tamen ob paritatem rationis extenditur ad omnes leges imperiales: ergo, etsi cap. 13. *De Pœnit. & Remiss.* sit speciale, & particularem casum contineat, id tamen ob paritatem rationis ad alias omnes leges ecclesiasticas erit extendendum. R. N. a. non enim ob paritatem rationis, sed ob verba Rubricæ, seu Rubri generalia, & ob consuetudinem, ac communem sensum Jurisperitorum extenditur illa novella ad omnes omnino leges cæsareas: ast nil simile invenio circa cap. 13. *de Pœnit.* & *Remiss.*

Objic. 4. In casibus, etiam ecclesiasticis, in quibus Jus canonicum nihil determinat, servandum est jus civile; sed jus canonicum nihil determinat circa promulgationem legum canonicarum: ergo circa hanc est observandum jus civile. & cum jus civile velit, leges totum imperium obligantes promulgari in singulis ejus Provinciis, ita & leges universales ecclesiasticæ in singulis Provinciis Promulgari debebunt. M.

con-

constat ex c. 1. *de novi operis nunt.* ibi: *Sicut leges non dedignantur Sacros canones imitari, ita sacrorum canonum statuta Constitutionibus Principum adjuvantur.* R. 1. N. m. quod jus canonicum nihil determinet circa promulgationem legum; contrarium enim satis colligitur ex nostris probationibus. R. 2. D. M. servandum est jus civile in causis particularibus in judicio decidendis c. M. in modo ferendi leges n. M. Deficiente jure canonico equidem sequitur Ecclesia jus civile, ubi hoc æquitati non repugnat: & hoc ideo, quia causæ judiciales debent decidi juxta aliquam regulam; sed nulla aptior post canones videtur esse, quam jus civile. Ast ex hoc non recte infertur, quod Ecclesia etiam debeat sequi jus civile in ferendis legibus: & est magna differentia quoad hoc inter Monarchiam Ecclesiasticam, & Imperii Romani; siquidem 1*mo.* Imperium Romanum non est tam amplum, sicut Ecclesia, quæ per totum orbem diffunditur: hinc facile promulgari potest lex per totum imperium, non autem per totam Ecclesiam. 2*do.* Perfectior obedientia debetur S. Pontifici, quam Cæsari. 3*tio.* Major est conformitas in Ecclesia quoad mores, & ecclesiasticas observantias, quam sit in diversis Provinciis imperii: ergo non est tanta ratio promulgandi leges ecclesiasticas in singulis Episcopatibus, sicut est ratio promulgandi leges civiles in singulis Provinciis Imperii. Ita recte respondet P. Holzman.

Si quæ leges civiles universaliter in foro canonico observantur, ut Lex 3. ff. *de Officio Prætoris*; hoc fit, quia per communem DD. consensum, per praxin, & usum Ecclesiæ, ac Fidelium talis lex civilis quasi canonizatur: ast hæc non pugnant pro legibus illis civilibus de promulgatione legum.

Objic. 5. SS. Pontifices in pluribus Bullis declarant, quod, facta earum Romæ promulgatione solemni, omnes Christi fideles ad illas arctentur, ac si unicuique fuissent personaliter intimatæ: ergo ubi hæc declaratio specialiter in Bullis non apponitur, signum est, quod eæ non statim obligent omnes fideles in toto mundo, facta solum Romæ promulgatione. R. 1. Ret. Argum. Pontifices in aliis Bullis exprimunt, & declarant, quod eæ non obligent, nisi fuerint per locorum Ordinarios &c. promulgatæ: ergo ubi hæc expressio, & declaratio specialis non apponitur, signum est, quod Bullæ Pontificiæ statim obligent, etsi per locorum Ordinarios, seu Episcopos non fuerint promulgatæ. R. 2. N. c. Hanc clausulam, & expressionem

sionem adjungunt Pontifices ad majorem cautelam & ob rationem intimatam in prob. 1ma.

571 Assero 3. Leges Pontificiæ statim obligant facta promulgatione eos, ad quorum notitiam moraliter pervenire potuerunt: adeoque non debet expectari bimestre, vel aliud tempus a promulgatione, nisi id in Bulla specialiter exprimatur. Herincx, Castro Palao, Schmalzgrueber, Holzman, ac alii contra alios. P. 1. Pontifex non tenetur servare modum promulgationis a jure civili præscriptum; quia hujus legibus non arctatur, neque authenticam: *ut factæ novæ constitutiones* &c. quæ est ipsa Novella 66. sæpius jam allegata, invenitur acceptasse: ergo.

P. 2. Dispositio illius Authenticæ, ac Novellæ circa tempus inchoandæ obligationis post promulgationem legis, non est conveniens legibus Ecclesiasticis: ergo Ecclesia non censetur, nec potest acceptare dispositionem illius authenticæ. A. p. Regulariter loquendo spatium duorum mensium non est sufficiens, ut lex Romæ lata, & ibi tantum promulgata in notitiam veniat Hispanorum, Indorum, ac aliorum multum dissitorum: adeoque est censendum potius, quod ex voluntate Ecclesiæ, & Pontificum, aliud in suis Constitutionibus non exprimentium, pro inchoanda obligatione legis ecclesiasticæ illud tempus sit statutum, quod est sufficiens, ut moraliter interea ad ipsos notitia legis promulgatæ possit pervenire. Et hoc tempus respectu illorum, qui Romæ sunt viciniores, est brevius, respectu magis distantium, est longius.

P. 3. Teste Navarro Romæ ex recepta consuetudine puniuntur transgredientes legem Pontificiam, etiam antequam elapsi sunt duo menses a promulgatione ejusmodi legis: ergo signum est, quod eæ jam ante duos menses obligent; alias enim inique punirentur, cum nullam culpam, neque præsumptam, committerent, si lex Pontificia ante duos menses nullam in conscientia induceret obligationem.

P. 4. Si exigeretur bimestre, tunc hoc vel ex natura rei, vel ex jure positivo? Non ex natura rei; siquidem natura legis non exigit ampliorem publicationem, quam quæ sufficit, ut voluntas Legislatoris integræ alicui communitati, vel saltem majori ejus parti innotescere possit. Neque ex jure canonico; quia istud nullibi præscribit tempus determinatum, sed indeterminatum duntaxat, intra quod nempe lex innotescere queat. Sic c. 1. *de Postul. Præl.* ad obligatio-

nem

nem legis Pontificiæ sufficit, *ut quis noverit eam solemniter editam, aut publice promulgatam.*

Objic. 1. Pius IV. in Bulla: *Sicut ad Sacrorum Conciliorum.* statuens 572
certum tempus, post quod Concilii Tridentini Decreta de Reformatione inciperent obligare, allegavit, & secutus est jus civile, scilicet Novellam 66.; ait enim: *Quia & jure etiam communi* (id est, cæsareo) *sancitum est, ut Constitutiones novæ vim non nisi post certum tempus obtineant, æquum nobis &c.* ergo S. Pontifex censet, etiam jus civile in casu nostræ conclusionis esse observandum. R. N. c. nam Pius IV. jus civile non allegavit, quasi voluerit, illud habere locum in legibus Ecclesiæ promulgandis: sed ostendit solum, quod ad exemplum Legislatorum civilium rationabiliter faciat, etiam certum tempus præfigendo pro inchoanda obligatione Concilii Tridentini a die factæ confirmationis, & promulgationis ejusdem. Quare etiam non idem tempus assignavit, quod jus civile statuit, sed longius, scilicet trium mensium. Paucis: exemplum juris civilis adducit tanquam rationem aliquam congruentialem suæ determinationis, & constitutionis: verum rationes congruentiales in legibus additæ, vim legis non habent.

Objic. 2. Concilium Tridentinum sess. 24. c. 1. *de Reform. Matrim.* voluit, suum Decretum, quo irritavit matrimonium clandestinum, tantum obligare in Parochia post 30. dies, numerando a die primæ publicationis in eadem Parochia: ergo Ecclesia non vult, sua Decreta statim obligare post promulgationem factam. R. 1. Hic textus Tridentini non favet Actiis, *tum* ob dicta superius, *tum* quia in eo requiruntur tantum 30. dies a die factæ publicationis: ergo non requiritur bimestre ad inducendam obligationem legis ecclesiasticæ. R. 2. D. c. si Ecclesia hoc specialiter exprimat, prout facit in allato Decreto Tridentini c. c. secus n. c.

Deduces 1. Leges ecclesiasticas Romæ promulgatas, statim 573
facta promulgatione obligare totum orbem Christianum, ita tamen, ut τo *statim* non accipiatur metaphysice, vel mathematice pro aliquo indivisibili instanti, aut puncto temporis; debet enim accipi *moraliter* cum aliqua latitudine, & mora, intra quam ad totum orbem christianum potest pervenire notitia talis legis. Cum ergo aliqui intra paucos dies, alii intra aliquas septimanas, nonnulli post duos, tres, vel quatuor primum menses moraliter cognitio-

nem legis Romæ promulgatæ acquirere possunt: ita quoque juxta hujusmodi possibilitatem aliqui post aliquot dies, alii serius, alii citius erunt obligati ad observationem talis legis, ut observat Castro Palao, & Mastrius ex Scoto 4. D. 3. q. 4. §. *ad istum artic.* deducit.

Deduces 2. Si est facta sufficiens promulgatio, & tempus tantum est elapsum, intra quod ad aliquam civitatem, vel regionem moraliter potuit deferri notitia legis Romæ latæ, & promulgatæ, tunc eadem actu stringuntur omnes fideles ejusdem civitatis, etsi aliqui eorum forte talem promulgationem, vel legem ignorent invincibiliter. Ratio est: quia lex quæcunque rite lata, & promulgata obligat actu etiam illos, qui de ea non cogitant, vel de facto eam non considerant: nihilominus, si ignorantia, vel inadvertentia est invincibilis, tunc contra legem agentes non peccant formaliter, sed tantum materialiter; ignorantia enim invincibilis, licet non tollat obligationem legis, tamen per accidens excusat a formali peccato.

Deduces 3. Nostras Conclusiones, de legum Pontificiarum promulgatione hic positas, etiam esse intelligendas de legibus irritantibus, inhabilitantibus, revocantibus privilegia, vel potestatem absolvendi a casibus reservatis, aut indulgentias &c. Ita Herincx contra aliquos, qui etiam nobiscum sentiunt in prioribus Conclusionibus. Ratio est: quia non apparet ulla ratio, cur non idem de his, ac aliis legibus Pontificiis dicatur. *Neque dicas*: plura incommoda posse oriri ex hac nostra assertione; *Respond. enim*: his incommodis satis obviari per hoc, quod leges Romæ promulgatæ obligare incipiant tunc primum in regionibus distantibus, quando sufficienter ibi potuerunt innotescere per Nuncios Apostolicos, Ordinum Generales, Procuratores, Episcopos &c.

Deduces 4. Quando Pontifex expresse dicit, se nolle obligare, *nisi Bulla, vel Constitutio sit promulgata in Diœcesi, vel Parochia*, prout fit in c. *Cum infirmitas.* de Pœnit. & Remiss., tunc non obligare eam ante promulgationem factam: aliter tamen est dicendum, si Pontifex solum præcipiat, ut lex sua promulgetur in omnibus Diœcesibus; nam talem promulgationem videtur tantum præcipere pro meliori esse, ut sic ejus Constitutio eo certius, & efficacius vim suam exerat: non autem videtur hoc facere, quasi independenter ab ejusmodi promulgatione suam legem nolit alibi extra Romam obligare. Ita denuo sentit Herincx.

§. III.

An ad obligationem Legis humanæ requiratur acceptatio populi?

Lex poſt promulgationem rite factam cenſetur *acceptari* a populo, quando communitas, vel populus eam verbo, ſcripto, aliove ſigno approbat, aut in eam conſentit: & dum illam actu obſervat, dicitur *uſu recipi*. Jam plurimi juris Conſulti, & TT. requirunt populi acceptationem ad hoc, ut lex eccleſiaſtica, vel civilis obliget. Contra quos

Aſſero: Regulariter neque lex eccleſiaſtica, neque civilis, a ſu- 574
premo quodam & abſoluto Principe lata, quoad ſuam obligationem dependet ab acceptatione populi. Herincx, Holzman, Viva, & alii.

P. Legislator humanus *poteſt*, & *vult* obligare per ſuas leges independenter ab acceptatione populi: ergo ejus leges obligant independenter ab hac acceptatione. conſ. eſt liquida. ant. *quoad* 1. *partem* prob. Etenim 1*mo*. Legislatores Eccleſiaſtici non habent poteſtatem legislativam a populo, ſed Papa eam obtinet immediate a Deo, alii vero Epiſcopi illam accipiunt a Pontifice: ergo poſſunt leges condere, & per eas obligare independenter a populo. 2. In principem Sæcularem abſolutum populus tranſtulit omnem poteſtatem legislativam, ut habetur L. 1. ff. *de Conſtit. Princip.* ergo & hi poſſunt leges ferre, & per eas obligare independenter ab acceptatione populi. 3. Si Princeps, ſeu Eccleſiaſticus, ſeu Sæcularis, non poſſet leges efficaciter obligantes ferre, niſi dependenter a conſenſu populi, tunc non eſſet abſolutus dominus, & poteſtas legislativa præcipue reſideret apud populum, cui utique liberum eſſet per acceptationem leges reddere obligatorias, vel per non acceptationem inefficaces. 4. Tali modo Princeps non eſſet Superior, nec populus eſſet ſubditus, utpote qui non obediret neceſſario, nec ex obligatione Principi, ſed ex ſua libertate, ſicut alius, qui non eſt ſubditus. 5. Neque ſatis eſſet proviſum incolumitati Reipublicæ, ſi Princeps populum non poſſet cogere ad acceptandam legem rationabilem, ac Reipublicæ utilem. 6to. denique ipſe uſus, & conſuetudo probat, Principem habere poteſtatem obligandi ſubditos independenter ab

eorum acceptatione; quia non acceptantes, aut non observantes legem puniuntur: ergo.

Neque obstat, quod in aliquibus regnis Rex, aut Princeps non possit leges ferre, nisi in publicis comitiis, aut cum consensu regni; siquidem neque in hoc casu requiritur ea populi acceptatio, de qua hic est sermo, quæ nempe primum sequitur legem rite latam, & jam promulgatam: sed est aliqua acceptatio antecedens, quatenus scilicet consensus regni simul cum voluntate Regis concurrit ad ferendam legem: qua tamen semel condita, & publicata, sequitur in populo obligatio eam acceptandi, & observandi. Ita recte dicunt Herincx, & Viva. Quare, ubicunque regimen non est democraticum, populus supremam potestatem transtulit in Principem, sive ille sit una, ab aliis independens Persona, ut est in Monarchia: sive Principem constituat Concilium Optimatum, & Procerum Provinciæ, vel communitatis, ut fit in Aristocratia: sive sit Rex, aut Princeps cum comitiis Regni, aut cum Senatu, ut accidit in regimine mixto ex Monarchia, & Aristocratia. Huic autem potestati legislativæ subdi debet populus, & ejus leges acceptare, ac observare, juxta illud ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita est*: ergo Principes etiam sæculares possunt leges ferre independenter ab acceptatione populi.

P. etiam 2*da pars* 1*mi* antecedentis, quod videlicet Legislator humanus *velit* obligare independenter a consensu, & acceptatione populi. 1*mo*. Quia verba legum absolute sunt præceptiva, & non sub conditione hac: *si populus non contradicat*. 2*do*. Principes solent pœnis compellere ad legis recenter latæ executionem, non expectata acceptatione populi. 3*tio*. Præceptum a Superiore impositum vere obligat independenter ab acceptatione subditi: ergo & lex Superioris ita obligat independenter ab acceptatione subditorum. 4*to*. Ipsum bonum commune exigit, ut vis obligativa legum non dependeat a voluntate, & consensu subditorum; alias enim illud per leges non posset efficaciter procurari, cum subditi legibus latis pro libitu possent resistere. Imo, si vera esset sententia opposita, vix ulla lex obtineret effectum; cum enim maxima pars populi libertatem amet, vix unquam aliquam legem acceptaret.

Accedit tandem Propositio 28. ab Alexandro VII. confixa, hujus tenoris: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.*

Objic. 1. Can. *In istis.* 3. d. 4. *Leges instituuntur, cum promulgantur; firmantur, cum moribus utentium approbantur:* ergo ante hanc approbationem, & acceptationem non habent completam firmitatem, aut obligationem. R. D. a. firmantur accidentaliter moribus utentium c. a. firmantur substantialiter, ita, ut vim obligandi habeant dependenter ab acceptatione, & moribus populi n. a. Acceptatio populi addit firmitatem extrinsecam, quatenus facit, ut leges usu receptæ, & a populo constanter observatæ per contrariam consuetudinem, vel desuetudinem non valeant facile abrogari, quomodo autem per desuetudinem, vel actus contrarios aliqua lex possit tolli, & abrogari, inferius dicetur. Ita etiam explica legem *de quibus.* ff. de LL. dicentem: *Leges nulla alia causa nos tenent, quam quod judicio populi receptæ sint.* disting. enim: nulla alia causa nos tenent firmiter, & stabiliter *conc.* simpliciter *neg.* Firmitatem, & stabilitatem dat usus, & executio legis, & impedit desuetudinem, vel consuetudinem contrariam. Quod autem in hoc sensu intelligenda sit ista lex, videntur ejus verba indicare, quæ inferius addit: *Illud receptum est, quod leges non solum suffragio Legislatoris, sed etiam tacito consensu hominum* NB. *per desuetudinem abrogentur.* Ita etiam est exponendus Aristoteles 2. Polit. c. 2. ubi dicit, legem nullam vim habere obligandi, nisi ex more, qui non fit, nisi temporis longitudine. Cæterum allatus in objectione textus est potius contra AArios; supponit enim, leges jam esse institutas, consequenter vim obligandi habere, dum promulgantur: sed promulgatio ista præcedit acceptationem populi, adeoque leges jam habent vim obligandi ante acceptationem, a qua proin quoad obligationem non dependent. 575

Objic. 2. C. *cum olim. de Clericis conjug.* Sacerdotes Græci dicuntur non obligari ad cœlibatum, & castitatis votum ideo, *quod Orientalis Ecclesia votum hoc non admiserit:* ergo ea admissio & acceptatio erat necessaria ad introducendam obligationem. R. Non ideo solum, quia præceptum Ecclesiæ de cœlibatu non acceptarunt Sacerdotes Græci, ab hoc sunt immunes: sed ideo, quia S. Pontifex voluit eorum genio condescendere, & noluit hanc obligationem urgere. Hinc eorum matrimonia nunquam leguntur reprobata.

 Objic.

Objic. 3. Complures Bullæ, imo & Concilium Tridentinum, quoad decreta morum non obligant in locis aliquibus tantum ideo, quia non fuerunt acceptatæ: ergo. R. N. a. Ratio, cur non obligant talia decreta, hæc eſt, quod propter obortas difficultates Pontifex noluerit urgere obſervantiam ejusmodi legum, vel quod introducta legitima conſuetudine leges illæ ſint abrogatæ: adeoque ceſſatio obligationis talium Decretorum non provenit formaliter a non acceptatione.

Objic. 4. Leges feruntur ſub hac implicita conditione, *ſi a ſubditis acceptentur*: ergo ſine acceptatione non obligant. a. p. quia modus ferendi leges ſub hac conditione eſt ſuavior, & dirigendis ſubditis aptior. R. N. a. hæc enim conditio implicita poteſtatem Legislatorum multum deprimeret, obeſſet bono communi, vim omnium legum enervaret, ac daret licentiam liberam transgrediendi quasvis utiliſſimas leges, ut ex probationibus colligitur. Neque populus cum limitatione, ut ſub hac conditione implicita leges conderentur, cenſetur tranſtuliſſe poteſtatem legislativam in Principem; nam populus longe convenientius judicavit eſſe, ſi ſolus Princeps independenter a populi acceptatione poſſit leges utiles condere: neque ex conſuetudine habetur, cum hac conditione a populo in ſæculares Principes poteſtatem legislativam tranſiiſſe.

Objic. 5. Lex eſt commune præceptum: ergo debet etiam a tota communitate approbari, & acceptari. R. D. a. Lex eſt commune præceptum; eoquod feratur communitati, & omnes de communitate exiſtentes obliget c. a. eoquod ab omnibus, & ſingulis de communitate exiſtentibus exigat approbari, & acceptari, ad hoc, ut obliget n. a. &c.

Objic. 6. Deſuetudo, vel conſuetudo contraria tollit legem jam uſu receptam: ergo etiam non acceptatio impedit primam ejus efficaciam. R. N. c. Conſuetudo legitima vim ab ipſo Jure, & Principe habet ad abrogandam legem jam exiſtentem: talem vim non habet non acceptatio legis, niſi & ea, per tempus ſufficiens continuata, in conſuetudinem degeneret.

Dixi in Aſſertione: *regulariter*; nam iſta concluſio patitur aliquas exceptiones, quas videre potes apud Reiffenſtuel T. 2. de LL. d. 1. n. 37. & ſeqq. Ex huc uſque dictis, & ex illis, quæ habet cit. Reiffenſtuel

Dedu-

Deduces 1. Defacto a populo esse translatam potestatem legislativam in Principes suos absolutos, haud aliter, ac ea est concessa a Christo Domino Papæ, aut ab hoc aliis Ecclesiæ Prælatis, ita quidem, ut Principes Sæculares, sicut Prælati Ecclesiæ, possint condere leges, quæ obligent independenter ab acceptatione populi. 576

Deduces 2. Quod populus legem rite promulgatam sine justa causa excusante non observans, & non acceptans, peccet contra ipsam legem, utpote quæ jam ante acceptationem habet vim obligandi. Quoties autem res, per novam legem præcepta, est nimis ardua, & rationabiliter præsumitur, quod nolit Superior obligare ad legem, antequam acceptetur, tunc potest ex Epikeia non acceptari ob ejus arduitatem. Verum in ejusmodi emergentia observetur illud, quod monet Reiffenstuel supra cit. scilicet recurratur ad Superiorem, supplicando pro abrogatione legis novæ. Ast

Quid tunc, si Princeps audiat hanc supplicationem pro revocanda lege, & taceat: censeturne, tacendo revocare legem? R. cum Castro Palao, & Herincx probabilius affirmative. Ratio est: quia Legislator in ejusmodi casu tenetur legi insistere, & ejus observantiam urgere, si animum habeat obligandi: ergo si nihil horum faciat, sed taceat, censetur eorum petitioni annuere, & legem tollere. Hoc tamen limitant præfati Doctores, nisi ex aliis circumstantiis colligatur, quod hac sua taciturnitate nolit revocare legem latam.

Deduces 3. Si certo est lata, & promulgata lex, & dubium est, an sit debite acceptata, tunc subditos sic dubitantes teneri observare legem. Ratio est: quia in hoc dubio in possessione est lex, utpote quæ antecedenter ad acceptationem jam fuit obligatoria, non autem libertas. Ita P. Viva cum aliis Probabilismi Sectatoribus, qui tamen leniora docent.

Arti-

Articulus V.

De Effectu Legis Humanæ, seu de Obligatione.

§. I.

An Omnis Lex ad aliquid obliget in conscientia?

577 Nota: ad propositum legem dividi in mere *præceptivam*, aut mere *prohibitivam*, & in *pœnalem*. *Prior* est, quæ aliquid præcipit, aut prohibet simpliciter, seu absque expressa adjectione pœnæ; Lex ejusmodi simpliciter aliquid præcipiens, vocatur a Reiffenstuel *moralis*. *Pœnalis* est, quæ in transgressores pœnam statuit. Hæc iterum est duplex: una *mere pœnalis*, quæ ad culpam theologicam in foro conscientiæ non obligat, sed ad solam pœnam: alia est *mixta*, quæ simul aliquid præcipit, sub culpa theologica præstandum, simulque ad certam pœnam transgressores obligat. Iterum aliæ leges sunt *irritantes*, seu tales, quæ annullant certos actus, ut nullius sint roboris, aut momenti: sic lex Tridentini annullat, & invalidat matrimonia clandestine, id est, sine præsentia Parochi, & duorum testium contracta: sic annullantur varii contractus, debitis solemnitatibus, aut requisitis destituti, de quibus suis in locis. Sunt & aliæ leges *permittentes*, quæ aliquid indulgent, aut permittunt &c. De his omnibus potest quæri, an obligent?

578 Assero: Omnis Lex humana proprie talis, etiam pœnalis, & irritans, debet obligare ad aliquid. Communis. P. 1. Omnis vera lex continet præceptum, & decretum obligans: ergo ei debet ex parte subditi respondere obligatio passiva. P. 2. Lex vera differt à Consilio, quod illa inducat obligationem obediendi ex parte subditi, non autem consilium: ergo lex obligat ad aliquid.

579 Objic. 1. Lex permissiva non obligat: ergo non omnis lex obligat. R. D. a. Lex permissiva non obligat, quatenus, & respectu quorum non est vera lex c. a. quatenus, & respectu quorum est vera lex n. a. &c. Permissio Legislatoris respectu illorum, quibus aliquid permittitur, non est lex: bene respectu aliorum, qui obligantur, ne illum, cui aliquid permissum est, turbent, aut a re permissa impediant. Ita etiam Privilegium dicitur lex

priva-

privata, non respectu privilegiati, sed respectu aliorum, qui prohibentur impedire privilegiatum in usu sui privilegii.

Objic. 2. Leges pœnales sunt veræ leges: sed hæ non obligant in conscientia; per hoc enim distinguuntur a non pœnalibus: ergo non omnes leges obligant ad aliquid in conscientia. R. N. m. Etsi enim leges mere pœnales non obligent in conscientia, & sub culpa theologica ad actum, vel ad omissionem actus, ratione cujus pœna imponitur: obligant tamen in conscientia judicem ad imponendam pœnam, vel saltem subditum ad eam solvendam, si imponatur; alias enim judex non posset efficaciter transgressores punire. Ex quo habes, quod Statuta nostri Ordinis sint veræ leges, etsi plerumque in conscientia non obligent ad actus in illis præceptos; siquidem sufficit, quod obligent ad pœnam supposita transgressione &c.

Dices: Leges pure pœnales non obligant sub culpa: ergo neque possunt obligare ad pœnam. c. patet; ubi enim nulla est culpa, ibi neque pœnæ est locus, quæ propter culpam imponi solet. R. D. a. non obligant sub culpa theologica, quæ sit peccatum coram Deo c. a. non obligant sub culpa politica, quæ importat defectum contra laudabilem Principis, aut Religiosi Ordinis constitutionem, & consequenter merito competenti pœna castigatur n. a.

Objic. 3. Lex fundata in præsumptione vere est lex, quin tamen obliget in conscientia: ergo non omnis lex obligat in conscienia. R. Si præsumptio, in qua fundatur lex, subsistit, & vera est, tunc etiam lex est vera, ac obligat: si præsumptio autem non est vera, tunc erit lex præsumpta, & obligabit solum præsumptive, non proprie.

Objic. 4. L. *Legis virtus.* ff. de LL. Consilium inter leges numeratur, nec tamen obligat: ergo. R. D. a. numeratur inter leges, quia habet aliquam similitudinem cum lege, quia dirigit, & docet, quid fieri deceat c. a. quia habet veram essentiam, & rationem formalem legis n. a.

Objic. 5. Obligatio legis a libera voluntate Legislatoris pendet: ergo potest eam vel mitigare, vel omnino nullam imponere. R. D. c. potest obligationem omnino nullam imponere, perseverante lege n. c. lege sublata c. c. Si datur, aut perseverat lex, datur etiam, & perseverat præceptum, & consequenter obligatio, quæ de ratione præcepti est.

Objic. 6. Saltem lex mere irritans non obligat ad aliquid in conscientia: ergo. R. N. a. Obligat 1mo judicem, ut talem actum irritum, & nullum pronunciet: obligat 2do. & illum, qui talem actum nullum fecit, ut vi illius fructus v. g. aut alia commoda percipere non præsumat.

§. II.

An Leges humanæ possint quoque obligare sub culpa theologica?

580 Assero: Legislator humanus tam civilis, quam ecclesiasticus potest, si velit, per suas leges obligare in conscientia sub culpa theologica. Ita Catholici contra modernos hæreticos.

P. 1. Ad Rom. 13. dicitur: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non enim est potestas, nisi a Deo: qui resistit potestati*, NB. *Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi* NB. *damnationem acquirunt; Potestas enim Dei Minister est, vindex in iram ei, qui male agit. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam* NB. *propter conscientiam*: id est, non solum propter pœnam, sed etiam propter culpam in conscientia contrahendam per transgressionem. Et 1. Petri 2. *Subditi estote propter Deum, sive Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum; quia sic est voluntas Dei.*

P. 2. Legislator humanus fert leges authoritate a Deo accepta, ut patet ex allegatis textibus: ergo ei obediendum sub peccato coram Deo.

P. 3. Accedit praxis Ecclesiæ, quæ ad Confessionem annuam, Communionem Paschalem, auditionem Missæ diebus festis, observandum jejunium &c. obligat sub peccato mortali. Hinc ab Alexandro VII. damnata est Propositio 23. sic sonans: *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere præcepto.*

P. 4. Parentes possunt in conscientia graviter obligare filios in iis, quæ ad suam potestatem spectant, adeo, ut lex vetus maledicat, imo morti adjiciat filium, Patri suo inobedientem: ergo id etiam possunt Superiores Reipublicæ.

P. 5.

P. 5. Potestas obligandi in conscientia est omnino necessaria ad Rempublicam humanam recte gubernandam; secus enim plurimi non curarent leges humanas, easque occulte impune transgrederentur, eo quod tales transgressiones occultæ in foro externo puniri non possent, & in foro interno conscientiæ nulla culpa contraheretur, & consequenter coram Deo nulla pœna timenda foret.

Dixi in Assertione: *si velit.* An autem Legislator humanus velit obligare sub culpa theologica, præsertim gravi, id tum ex verbis legis, tum ex subjecta materia, ac aliis circumstantiis desumendum erit; id, quod suo loco amplius declarabitur. interea legatur Reiffenstuel Tr. 2. D. 2. n. 32. & 33.

Objic. 1. 1. ad. Timoth. 1. ℣. 9. ait Apostolus: *Justo non est lex posita*: ergo illis, qui per Baptismum sunt justificati, non potest imponi lex obligans. R. D. a. justo non est posita lex tanquam onus, quia non pœna, sed charitate ad observationem illius trahitur c. a. nullo modo justo est lex posita n. a. 581

Objic. 2. Peccatum est tantum *dictum*, *factum &c. contra legem Dei* juxta S. Augustinum: ergo transgressio legis tantum humanæ non est peccatum. R. D. a. est dictum &c. contra legem Dei vel mediate, vel immediate c. a. semper immediate n. a. Etiam transgressio legis humanæ mediate est contra legem divinam, illam scilicet, quæ jubet nos legitimis Superioribus obedire. Ex quo tamen non sequitur, quod obligatio in conscientia legum humanarum unice oriatur ex lege divina, ea enim adhuc vere provenit proxime, & immediate ex lege humana; nam & Superiores humani immediate possident potestatem legislativam, & obligativam, quamvis hæc potestas ultimato a Deo descendat, & hominibus sit collata.

Objic. 3. Homo non potest pænam purgatorii, vel inferni infligere: ergo neque potest sub pœna hac obligare. R. N. c. sufficit enim, quod Deus, qui cuilibet Legislatori humano sua authoritate assistit, hanc pœnam possit infligere. Et cur non possit Superior judici inferiori potestatem concedere statuendi leges, obligantes ad certam pœnam, reservata tamen sibi ipsi executione ejusdem pœnæ? Ita facit Deus, qui concedit, ut Legislatores humani sub pœna inferni, vel purgatorii suos obligent, executionem autem hujus pœnæ sibi reservat.

Objic. 4. Lex civilis refpicit bonum tantum politicum, & externum, ad quod procurandum non videtur neceffaria, aut utilis obligatio in foro interno confcientiæ: ergo. R. N. a. quoad 2. membrum, cujus falfitas patet *tum* ex probatione 5ta. Affertionis, *tum* ex eo, quia bonum politicum debet fundari in bonitate morali, ad quod procurandum maxime fervit obligatio in confcientia.

§. III.

Qualiter poffit obligare in confcientia Legislator?

Certum eft, quod Legislator humanus in materia tam materialiter, quam formaliter gravi poffit fub peccato mortali obligare. voco autem materiam tam materialiter, quam formaliter gravem, quæ non folum in fe, fed etiam refpectu finis a Legislatore intenti, vel refpectu aliarum circumftantiarum eft gravis: & fic e contrario eft dicendum de materia levi. Dubium remanet, an in materia levi poffit imponi obligatio gravis, & viciffim in materia gravi levis? Ad quod

Affero 1. Lex humana non poteft obligare graviter in materia fimpliciter, id eft, tam materialiter, quam formaliter levi: poteft tamen in materia materialiter folum levi. Communis.

582 P. 1ma *pars*. Obligatio gravis non poteft fundari, nifi in materia capace; fed materia levis non eft capax gravis obligationis: ergo. P. 2da *pars*. Materia levis poteft ex fubordinatione ad finem a Legislatore intentum, vel ex aliis circumftantiis fieri omnino gravis: ergo poteft etiam fub gravi culpa prohiberi. c. patet; nam non folum materia fecundum fe, fed etiam prout fubftat certo fini, vel certis circumftantiis veftitur, poteft fub præceptum cadere. a. p. fic enim 1mo. mixtio modiciffimæ aquæ cum vino in Miffa quoad fe eft res levis: fi autem confideratur in ordine ad finem, ad quem eft præcepta, tunc evadit materia gravis, ordinatur enim ad altiffima myfteria repræfentanda. 2do. Sic comeftio pomi materialiter accepta fecundum fe levis eft, vel omnino indifferens: fi vero eam fpectes: ut fubftat fini fupremi Legislatoris, exigentis abftinentiam illam ab Adamo in fpeciale homagium, ac conteftationem fingularem fubjectionis, & obedientiæ, materia ifta evadit formaliter gravis, ac fub gravi culpa pro-

prohiberi poteſt. *3tio.* Ita pariter ingreſſus Religioſi in alterius cellam ſecundum ſe eſt materia levis: poteſt tamen fieri materia formaliter gravis, ſi ob conſervationem diſciplinæ, aut alia mala impedienda a Superiore graviter prohibeatur.

Aſſero. 2. E diverſo lex humana poteſt, ſaltem valide, non ſo- 583
lum in materia materialiter, ſed etiam formaliter gravi obligare leviter, ſi Legiſlator ita velit. Holzman cum aliis contra Maſtrium, Vaſquez &c. P. Tota obligatio legis dependet a voluntate Legiſlatoris: ergo is poteſt materiam gravem vel omnino non præcipere, vel ad eam ſolum ſub veniali obligare.

Dixi: *ſaltem valide*; etenim ſi Legiſlator videat, Reipublicæ ſalutem exigere, ut ejusmodi res ſub gravi præcipiatur, tunc præcipiens eam tantum ſub levi, peccat contra juſtitiam legalem, quamvis adhuc agat valide, & ſubditi tantum ſub levi vi hujus legis poſitivæ teneantur. Dictum eſt: *vi hujus legis poſitivæ*; poſſent enim aliunde graviter a jure naturali obligari ad bonum commune promovendum.

Objic. 1. Lex naturalis non poteſt obligare ad materiam gravem ſub levi: ergo neque lex humana. R. N. c. Lex naturalis eſt neceſſaria, ac proinde quoad obligationem ſe neceſſario accommodat materiæ ſubjectæ: lex humana eſt libera, & pendet a liberrima voluntate Legiſlatoris, qui pro libitu ſuo in materia capaci poteſt vel levem, vel gravem obligationem injungere.

Objic. 2. Legiſlator leviter obligando ad materiam gravem, non provideret bono communi: ergo non valide ageret. R. D. a. non provideret modo, quo poteſt meliore c. a. ullo modo n. a. Lex talis ex natura ſua adhuc apta eſt promovere bonum commune, etſi magis promoveret, ſi graviter obligaret.

Objic. 3. Non poteſt legiſlator in materia omnino levi imponere obligationem gravem: ergo nec viciſſim. R. N. c. & paritat. Materia levis non eſt capax obligationis gravis: contra materia gravis jam eſt capax obligationis levis; ſi enim capere poteſt obligationem gravem, a fortiori capite levem.

§. IV.

An Leges humanæ obligent cum periculo vitæ & metu mortis?

384 Affero: Regulariter leges humanæ non obligant cum metu aut periculo mortis, aut gravis damni incurrendi in bonis corporis, famæ, aut fortunæ. Communis. P. 1. Quia juxta fuperius dicta leges debent effe non nimis difficiles, fed accommodatæ fragilitati naturæ humanæ; atqui leges, quæ cum tanto incommodo obligarent, effent nimis arduæ, & non forent accommodatæ fragilitati humanæ: ergo. P. 2. Neque Legislator humanus, præfertim Ecclefia, vult, neque poteft obligare cum tanto incommodo. Non vult; quia Ecclefia eft benigna Mater: neque poteft; quia Legislatori humano non eft conceffa poteftas privandi fubditos vita, fortunis, & fama fua &c. nifi id bonum publicum in caufis graviffimis exigat: ergo neque Legislator humanus habet poteftatem obligandi in cafu, quo timenda foret privatio vitæ &c. faltem regulariter. P. 3. Jus pofitivum divinum interdum non obligat cum tanto damno: ergo multo minus lex humana ita obligabit.

Quæ ex ifta conclufione poffint, & debeant deduci, videbis apud Reiffenftuel Tr. 2. d. 2. n. 26. & feqq.

Objic. C. *Sacris. de his, quæ vi, metusque caufa fiunt.* refpondet Innocentius III., incurri excommunicationem ab eo, qui communicat cum excommunicato, quamvis ex metu. Addit rationem: *cum pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurrere:* ergo etiam in cafu metus gravis obligant leges ecclefiafticæ; alias enim earum transgreffio non poffet puniri pœna tam magna, qualis eft excommunicatio. R. Pontifex in cit. cap. loquitur de eo, qui cum excommunicato communicavit in crimine, ob quod fuit excommunicatus, & quidem in contemptum poteftatis ecclefiafticæ: vel loquitur folum de metu levi, qui utique non excufat ab obfervantia legum ecclefiafticarum.

Dixi in Affertione: *regulariter*; nam excipiendi funt duo cafus, in quibus lex quoque humana poteft obligare cum aperto vitæ difcrimine. *Primus* eft, quando legis obfervantia eft moraliter neceffaria ad bonum publicum confervandum; hoc enim in cafu cenfetur etiam Legislator humanus habere poteftatem obligandi cum gravi periculo vitæ, eoquod bonum commune fit præferendum vitæ ho-

minis privati: Sic tempore periculoſo miles tenetur manere in ſua ſtatione etiam cum aperto mortis periculo: Item Parochus poteſt ex præcepto Epiſcopi adigi, ut tempore peſtis Sacramenta miniſtret lue infectis. Neque in his caſibus homo ſe cenſetur occidere, ſed tantum vitam non conſervat, quod in variis caſibus non eſt illicitum. Ita diſcurrit Herincx. Caſus *ſecundus* eſt, quando non obſervantia legis cederet in contemptum Fidei, aut eccleſiaſticæ legis, ſeu poteſtatis, vel eſſet ſcandalo &c. In his igitur caſibus obligat lex humana cum periculo vitæ; quia in his Legislator cenſetur habere poteſtatem obligandi cum periculo vitæ, vel quia certe concurrit lex naturæ, aut divina, obligans ad obſervantiam talium legum humanarum. Videatur iterum Reiffenſtuel cit. n. 23. & ſeqq.

Quæres: An ſaltem leges divinæ poſitivæ, & naturales obli- 585
gent cum gravi periculo vitæ? R. 1. Neque ſemper leges divinæ poſitivæ obligant cum gravi periculo vitæ, aut aliorum gravium damnorum; Nam Deus, cujus jugum ſuave eſt, & onus leve, non cenſetur tanto cum rigore obligare. 2. ob difficultatem, & grave periculum Machabæi judicarunt, non eſſe ſervandum Sabbatum 1. Mach. 2. & Chriſtus ipſe Math. 12. excuſat Davidem, quod fugiens a facie Saulis comederit panes propoſitionis, quos non niſi Levitis edere licebat ex lege divina poſitiva: ergo.

Dixi in reſponſione: *neque ſemper*; nam diſtingui debet inter præcepta divina. Aliqua prohibent, vel præcipiunt aliquid in bonum privatum ſubditorum, uti eſt lex de integritate Confeſſionis, de præmittenda Confeſſione ſumptioni Euchariſtiæ &c. in his ab obſervantia excuſat metus gravis mali. Alia ſunt præcepta divina in bonum commune, & neceſſitatem Reipublicæ facta, uti eſt illud de Sigillo Confeſſionis Sacramentalis, de conſecratione utriusque ſpeciei in Euchariſtia, de non danda abſolutione indignis &c. Et hæc obſervanda ſunt, tametſi ſervanti immineat grave malum.

R. 2. Etiam aliquoties non obligat lex naturæ cum periculo gravis mali, ſeu illa negativa, ſeu affirmativa ſit. Sic utique non obligat lex charitatis, ut proximum liberem ex periculo mortis in caſu, quo ego æquale periculum vitæ incurro: neque obligat lex: *Non occides*, ubi hæc occiſio eſt neceſſaria ad juſtam defenſionem vitæ meæ contra injuſtum invaſorem. Videantur dicta de diſpenſatione

tione in Jure naturæ, ex quibus etiam colligetur, quænam præcepta legis naturæ semper, & pro semper obligent.

Articulus VI.

Aliqua de Subjecto Legum.

§. I.

An Legislator propriis Legibus a se latis obligetur?

Nota: Quæstionem non esse de Legislatore, quando is est aliqua Communitas, v. g. Capitulum Generale, ubi & singuli Capitulares, & ipse Generalis, qui ejusmodi leges tulere, ad easdem observandas obligantur: idem dic de Optimatibus in statu Aristocratico, & populo in Democratico; quia quilibet ex his in particulari est verus subditus respectu totius communitatis, v. g. Capituli, aut Collegii Optimatum &c. id quod colligitur ex c. 6. *de Constit.* Quare tota quæstio devolvitur ad Legislatorem Monarchicum, se solo ferentem leges. H. N.

586 Assero: Legislator non obligatur legibus suis directe, & immediate, id est, obligatione orta ex ipsis suis legibus. P. 1. L. *Princeps.* 31. ff. de LL. ibi: *Princeps legibus solutus est.* & §. final. Instit. *Quibus modis Testamenta infirmentur.* ajunt Severus, & Antoninus Impp. *Licet legibus soluti simus, attamen legibus vivimus.* id est, etsi nos leges non obligent, illas tamen observamus ob bonum exemplum: ergo.

P. 2. Nemo in se ipsum exercere potest jurisdictionem, neque aliquis respectu sui ipsius est superior, aut subditus: ergo neque aliquis se ipsum lege ligare potest; nam superior subditum tantum lege adstringere potest. Id, quod confirmat lex: *Si de re* 51. ff. *de Receptis, qui arbitrium.* ibi: *neque imperare sibi, neque se prohibere quisquam potest.* Adeoque Princeps suis legibus solutus est, etiam quoad vim directivam, & ratione culpæ: etenim vis directiva legum oritur ex jurisdictione, quam aliquis in se ipsum exercere nequit.

P. 3. Obligatio illa, qua stringeretur Legislator suis legibus, foret omnino inutilis, & inefficax; lex enim quoad obligationem suam totaliter dependet a voluntate Legislatoris, qui proinde pro libitu

libitu posset hanc obligationem toties tollere, aut suspendere, quoties eam nollet observare. Hinc obligatio ejusmodi legis respectu Legislatoris esset prorsus inefficax: atqui obligatio inutilis, & prorsus inefficax in legibus non est statuenda; hæc enim sapientiam Legislatorum dedecet: ergo.

Dixi in assertione 1mo. *legibus suis*; nam aliis legibus a Deo, vel ab alio Superiore Principe latis etiam adstringuntur Principes. Dixi 2do. *Directe, & immediate, obligatione orta ex ipsis* NB. *suis legibus*; aliunde enim ex lege, & æquitate naturali obligatur quoque Princeps se conformare suis legibus, quando hæ respiciunt materiam gravem, & accommodatam tam Legislatori, quam subditis, uti sunt, quæ statuunt certam taxam mercibus &c. Verum hæc obligatio non descendit ex lege ab ipso Principe lata, sed ex jure naturæ, præcipiente, ne pluris vendatur res, quam illa communiter valet; at posita taxa res illa communiter non valet plus, nec minus, quam fuit taxata: ergo. Idem dicendum, si ex inobservantia propriarum legum a Principe admissa oriretur scandalum apud subditos. Juxta hanc limitationem sunt solvendæ leges, quæ in contrarium adducuntur.

Objic. Can. *Non liceat*. 20. c. 12. q. 2. Symmachus Papa statuit, 587
ut non liceat etiam *Papæ* prædium Ecclesiæ alienare: ergo etiam Papa suis legibus tenetur. R. Nomine *Papæ* ibi non venire summum Pontificem, sed Episcopum, aliosque Prælatos inferiores. Ita Barbosa ibidem n. 5. & 8. Vel, si intelligatur de S. Pontifice, canon tantum vult, nec Papam posse *sine justa causa* alienare aliquod prædium Ecclesiæ: ast sine justa causa vi Juris naturalis, cui etiam Papa subjacet, est illicitum alienare res Ecclesiæ.

De cætero, etsi Princeps indirecte interdum suis legibus stringatur; hæc tamen obligatio non est tam gravis respectu Principis, sicut est respectu subditi: hinc Princeps pluries potest violare leges suas, quin peccet graviter, dato etiam, quod ad observantiam ejusmodi legum subditi a Principe sint graviter obligati. Ratio est: quia Princeps tunc solum graviter peccat violando leges a se latas, quando per talem violationem graviter lædit jus naturæ, dando grave scandalum, causando notabilem Reipublicæ perturbationem &c. sed sæpius poterit leges a se latas violare, quin graviter lædat jus naturæ, aut det aliquod scandalum grave: ergo. Aliud est de subdito, qui a Principe potest graviter per legem positivam obligari etiam in illa

materia, in qua lege naturæ tantum levis, vel omnino nulla obligatio est imposita.

§. II.

An Clerici obligentur [Legibus civilibus ?

588 Assero: Leges Juris civilis, & statuta Sæcularium Principum, quæ nominatim, ac specifice disponunt de Ecclesiis, Personis, rebusque Ecclesiasticis, non habent vim obligandi, nisi approbentur ab Ecclesia. Reiffenstuel L. 1. Decret. tit. 2. n. 290. Holzman, & alii.

P. 1. Status Clericalis, Ecclesiæ, & res ecclesiasticæ sunt jure tam divino, quam canonico supra jurisdictionem sæcularem evectæ, ut satis testatur Tridentinum sess. 25. c. 20. de Regularibus, & ex aliis canonibus colligitur: ergo Clerici, Ecclesiæ, & res ecclesiasticæ non possunt ligari lege aliqua civili, vel Principis sæcularis.

P. 2. ex c. *Ecclesia S. Mariæ.* 10. *de Constit.* ibi: *Nos attendentes, quod Laicis super Ecclesiis, & Personis Ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non authorias imperandi: a quibus si quid motu proprio statutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam respiciat commodum, & favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum* &c. Ecce! leges sæcularium Principum, etiam faventes Ecclesiis, non obligant Personas ecclesiasticas, nisi fuerint ab Ecclesia approbatæ, ob defectum jurisdictionis in Principibus sæcularibus respectu Ecclesiarum, & ecclesiasticarum Personarum. Magis hæc Assertio procedit de legibus illis, quæ sunt onerosæ, aut præjudiciosæ Ecclesiis, & Personis, ac rebus ecclesiasticis, ut patet ex c. *quæ in Ecclesiarum.* 7. *de Constit.* & c. ult. *de rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.* Accedit Bulla Cœnæ *casu* 18.

589 Objic. 1. Privilegia ab Imperatoribus Ecclesiis, & Clericis concessa non sunt invalida, ergo neque leges in favorem Ecclesiarum &c. factæ, etsi nominatim disponant de Ecclesiis, & Personis ecclesiasticis eas obligando, non erunt invalidæ. R. N. c. Statuere alicui legem, est in eum tanquam subditum exercere jurisdictionem: ergo cum Potestas civilis in Ecclesias, & Personas ecclesiasticas non habeat jurisdictionem, eas neque legibus favorabilibus obligare potest:

test: ast contra concessio Privilegii non est actus jurisdictionis, sed meræ liberalitatis erga Privilegiatum. Item Privilegium est aliqua gratia, quæ etiam non subdito concedi potest.

Objic. 2. Plurimæ leges habentur in jure civili, concernentes res, & Personas ecclesiasticas: ergo tales leges possunt a Potestate civili ferri. a. constat ex integris Titulis in Codice Justinianeo, qui inscribuntur *de Summa Trinitate, & Fide Catholica*: *de SS. Ecclesiis*: *de Episcopis, & Clericis*: item Authenticæ *de Episcopis.* R. D. a. Et hæ leges ex se, quatenus sunt civiles, non habent vim obligandi Clericos ob defectum jurisdictionis, & superioritatis c. a. secus n. a. Nullæ ex his legibus obligant Clericos, aut Personas sacras, nisi illæ a Romano Pontifice fuerint approbatæ; si autem aliquæ ex iis taliter fuerint approbatæ (uti a Joanne Papa III. confirmatus est totus Titulus primus Codicis de S. Trinit. & Fide Cath.) tunc obligant eos, non vi Potestatis sæcularis, sed ecclesiasticæ, a qua approbationem obtinuerunt. Addit Reiffenstuel, plures quoque leges civiles specifice de rebus Ecclesiæ, ac Personis ecclesiasticis loquentes, ac secundum objectum utiles, esse successive ipsa generali Ecclesiarum acceptatione, & usu approbatas. Quare præfatæ leges civiles, si Evangelicis, & canonicis Decretis non repugnent, non omnino sunt inutiles: *tum* ob rationem immediate dictam; quia earum non paucæ ipso usu Ecclesiæ censentur approbatæ, & canonizatæ, unde & in libris, & Judiciis allegari solent: *tum*, quia non paucæ ex iis mera privilegia continent: *tum*, quia iis Ecclesiastici possunt uti contra hæreticos, qui canones non admittunt. Ex his

Colliges: injustas esse illas leges civiles, quæ varias collectas, exactiones, & tributa imponunt Clericis, ac Ecclesiis: item injuste agere illos Judices, qui gravant Ecclesiasticos, migrantes de loco in locum, exigentes certam partem bonorum eorumdem, quæ vocari solet, Abzug, Abfart, Nachsteur. Neque suffragatur ejusmodi Principibus, & Judicibus consuetudo, etiam immemorialis; hæc enim tanquam corruptela rejicitur a Jure canonico, & Bulla Cœnæ, quæ singulis annis innovatur, & contra quam alia nova consuetudo currere non potest.

Dices: Sæpe requirit communis Reipublicæ utilitas, vel necessitas, ut ejusmodi onera imponantur Clericis: ergo possunt iis im-

poni. R. D. c. possunt imponi consentiente summo Pontifice c. c. secus n. c. Petatur ergo consensus Pontificis, qui eum non denegabit, si justam causam id concedendi cognoverit.

590 Quæres: An Clerici saltem illis legibus civilibus obligentur, quæ nihil expresse de Ecclesiis, Personis aut bonis Ecclesiasticis disponunt, nec eorum Privilegiis præjudicant, & simul materiam Clericis, & Laicis communem continent: ejusmodi sunt, quæ justa rerum pretia determinant, quæ prohibent arma deferri noctu, vetant merces extrahi extra Provinciam, præscribunt formam servandam in contractibus? Ad hoc quæsitum

R. Clerici obligantur ejusmodi legibus, sed indirecte tantum. Communis. P. Nam & Clerici sunt pars aliqua Reipublicæ: ergo debent toti Reipublicæ conformari in iis, quæ non sunt præjudiciosa suo statui Clericali; nam, ut ait canon *quæ contra.* d. 8. turpis est omnis pars, suo universo non congruens. Id etiam exigit quies, & tranquillitas publica.

Dixi: obligantur *indirecte*; hæc enim obligatio non descendit a legibus civilibus, nec a Potestate civili, quæ nullam jurisdictionem in Clericos habet, sed provenit ab ipso Jure naturæ, quod dictat, conservandam esse pacem, evitandam esse perturbationem publicam, & scandala &c.

Articulus VII.

De Jure non scripto, seu de Consuetudine

591 Nota 1. Consuetudinem dupliciter accipi posse: 1*mo* accipitur pro ipso usu, seu pro frequentatis actibus, & moribus alicujus communitatis. Sic accepta dici solet *consuetudo facti.* 2*do* sumitur pro ipso jure, quod ex frequentatis actibus nascitur, & dicitur *consuetudo juris*, vel *jus non scriptum*; quia ab initio absque scriptura, absque Legislatoris expresso præcepto, & absque Præconis voce, & promulgatione introducitur, & ex usu, moribusque hominum descendens authoritatem legis obtinet. Germanice vocatur ein altes Herkommen, Gebrauch, Gewonheit. Dixi: *ab initio absque scriptura* &c. Quia consuetudini non obstat, quod ex post facto memoriæ causa in scripturam redigatur, vel omnino Corpori Juris inseratur, dum-

modo ab initio sine scriptura vim legalem ex usu, & moribus consequatur. In hoc ultimo sensu consuetudo nil aliud est, quam Jus diuturnis moribus (id est, frequentatis actibus) & tacito populi consensu introductum, quod proinde pro lege suscipitur. Hæc descriptio est desumpta partim ex c. *consuetudo.* 5. d. 1. partim ex L. *de quibus.* ff. de LL. De consuetudine ita descripta hic præcipue sermo erit.

Nota 2. Consuetudinem dividi in eam, quæ est *secundum*, *præter*, & *contra legem.* Consuetudo *secundum legem* minus ad propositum est, cum sit mera consuetudo facti, neque jus novum introducat; nil enim aliud est, quam usus, observantia, & executio legis jam præexistentis. Habet tamen & ipsa suos effectus, & vires: 1*mo* Legem conditam, & promulgatam deducit in usum, & reddit eam stabilem, ac defendit contra contrariam consuetudinem, juxta illud c. *In istis.* 3. d. 4. *Leges firmantur, cum moribus utentium comprobantur.* 2*do.* Habet vim declarandi legem ambiguam. Unde illud commune dictum: *Consuetudo est optima legum interpres.* c. *Cum dilectus.* De Consuetudine. & L. 39. ff. de LL.

Consuetudo *præter legem* se tenet circa illos casus, circa quos antecedenter nulla lex fuit posita. Hujus consuetudinis virtus est, constituere legem novam, ubi prius nulla fuit, quare & *Juris constitutiva* dicitur. Consuetudo *contra legem* est illa, qua lex aliqua lata vel usu nunquam recipitur, vel usu recepta per contrarios frequentatos actus abrogatur, & tollitur. Quare & *desuetudo*, ac *consuetudo legi contraria* dicitur.

§. I.

An Consuetudo possit tollere legem humanam, & aliam novam inducere?

Nota: Certum esse, quod lex naturalis, aut divina non possit tolli per consuetudinem. Ratio est: quia nulla lex legitime lata & promulgata potest tolli, nisi consentiente Legislatore, qui ipsam tulit; atqui Deus, qui tulit legem naturæ, & divinam, nuspiam legitur consentire in consuetudinem abrogativam utriusque illius legis, imo potius contrarium ex communi omnium Theologorum, & Juris-

peritorum sensu colligitur: ergo. M. per se constat; nam sicut leges vim suam habent unice a voluntate Legislatoris, ita & sine consensu ejus non possunt tolli. Idem expresse habetur c. ult. *de consuetudine.* Quare unice quæritur de lege humana. H. N.

592 Assero 1. Consuetudo legitime introducta potest abrogare legem humanam tam ecclesiasticam, quam civilem. Est certa, & habetur ex c. ult. *de Consuetud.* ac ex L. *de quibus.* ff. de LL. Ratio hujus est: quia illa lex, cui longævo usu a majori parte communitatis constanter contravenitur, videtur minus esse utilis: adeoque rationabiliter Legislatores consentiunt in abrogationem talis legis, ut sic evitentur majora mala.

Objic. 1. L. *Consuetudinis.* C. *quæ sit longa consuetudo.* dicitur, quod consuetudo *non usque adeo sui sit valitura momento, ut legem vincat, aut rationem:* ergo lex per consuetudinem contrariam non potest abrogari. R. cit. legem loqui de consuetudine non legitime introducta, seu irrationabili, & non legitime præscripta: & hæc utique vim legis non obtinet, ut statim dicetur.

Objic. 2. Episcopi non possunt facere statuta contraria Juri communi Pontificio: ergo neque possunt subditi introducere consuetudinem juri communi Ecclesiastico contrariam. R. N. c. & parit. Nam jus clare resistit statutis Episcoporum, non autem consuetudinibus pugnantibus contra jus commune Pontificium: imo ejusmodi consuetudines, dummodo sint rationabiles, & legitime præscriptæ, positive approbantur a jure ecclesiastico.

593 Assero 2. Regulariter consuetudo potest quoque tollere legem irritantem. Herincx, König, & plures alii: hinc dico, quod per contrariam consuetudinem possint abrogari leges, præscribentes formam substantialem contractibus: item leges ecclesiasticæ irritantes matrimonium, proinde & impedimenta matrimonii jure ecclesiastico introducta.

P. 1. Quia jura indistincte, & universaliter pronunciant, quod contraria consuetudine leges humanæ possint abrogari: ergo etiam leges irritantes possunt abrogari contraria consuetudine. P. 2. Lex irritans potest per consuetudinem introduci: ergo pariter per consuetudinem contrariam abrogari potest. P. 3. Leges irritantes possunt abrogari, vel mutari per alias leges: ergo non est ratio, cur non etiam possint mutari, vel abrogari per contrariam consuetudinem.

Neque

Neque obstat c. *quod super.* 5. *de Consanguinitate*, & *affinitate*, quod consuetudinem contrahendi matrimonium inter gradus consanguinitatis, & affinitatis ab Ecclesia prohibitas reprobat ut corruptelam, & irrationabilem. Nam R. 1. capitulum hoc loqui de aliquo casu particulari graduum prohibitorum; sed a casu particulari non est ducendum argumentum universale ad alios casus in jure non expressos. R. 2. cum Sanchez, & Reiffenstuel Tit. *de Constit. n.* 46. etiam consuetudinem, quæ antecedenter a Jure fuit reprobata ut corruptela, & ut iniqua, posse successu temporis fieri rationabilem, si scilicet superveniat nova causa, quæ iniquitatem priorem tollat, & tunc ejusmodi consuetudo poterit legem præxistentem tollere. Ubi proinde locum habet dictum Innocentii III. c. *Non debet.* 8. *De consanguinitate*, & *affinitate.*. Ubi ait: *Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana, præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit.*

Neque ad inducenda, aut abroganda per consuetudinem impedimenta matrimonii specialis, & expressus consensus, ac approbatio S. Pontificis, requiritur; sufficit enim consensus ipse legalis juri communi insertus, ubi universaliter approbatur omnis consuetudo rationabilis, ac legitime præscripta. Ex his

Fit 1*mo*. Consuetudine etiam tolli posse leges mere pœnales, ac 594
etiam mixtas, & quidem vel ex parte, vel ex toto, prout nempe consuetudo vel ex parte toto repugnat ejusmodi legibus. Ratio claret ex dictis. Adde, quod obligationes legis partiales sint distinctæ, & separabiles: ex quo sequitur, quod consuetudo possit unam partialem obligationem legis tollere, altera relicta: sic potest in lege mixta tollere obligationem ad pænam, remanente sola obligatione ad culpam, vel vicissim. Hoc tamen intellige cum limitatione, nisi pœna necessario pæsupponat culpam theologicam, uti Censuræ Ecclesiasticæ, Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum, quæ tantum propter peccatum infliguntur: ubi igitur obligatio ad pœnam non potest subsistere, pereunte obligatione ad culpam. Ita König.

Fit 2. Etiam illam legem abrogari posse per consuetudinem, quæ ut corruptelam, & iniquam reprobat consuetudinem contrariam, dummodo res & circumstantiæ ita mutentur, ut illud modo rationabile, & bono communi expediens videatur, quod antecedenter, dum lex est condita, ob alias circumstantias videbatur irrationabile. Ratio est:

eft: quia talem cafum novum Legislator non cenfetur comprehendiffe in fua lege.

Fit 3. Per confuetudinem quoque poffe abrogari illam legem, quæ non quidem ut iniquam, & corruptelam reprobat confuetudinem, bene eam fimpliciter prohibet. Herincx, König, Reiffenftuel, & alii. Ratio eft: regulariter omnis lex poteft abrogari per confuetudinem contrariam; fed & prohibitio confuetudinis eft aliqua lex; ergo & hæc poteft abrogari per contrariam confuetudinem. 2do. Omnis lex implicite prohibet confuetudinem contrariam, cum prohibeat tranfgreffiones illas, per quas contraria confuetudo introducitur: quo tamen non obftante contra ejusmodi legem poteft introduci confuetudo, ut ex dictis patet: ergo etiam contra legem, quæ expreffe prohibet confuetudinem, poteft introduci confuetudo.

Neque per hoc fruftranea prorfus eft claufula legi adjecta, prohibens expreffe confuetudinem contrariam; nam, ut ait Herincx, ea defervit ad hoc, ut difficilius præfumi poffit confenfus Principis in contrariam confuetudinem, & ut populus efficacius obligetur ad abftinendum ab actibus illis, per quos poffet contraria confuetudo introduci. Imo Reiffenftuel, Tit. cit. n. 47. defendit, quod contra legem, quæ fimpliciter prohibet confuetudinem contrariam, non valeat ejusmodi confuetudo tempore ordinario introducta, bene tamen illa, quæ durat a tempore immemoriali: cui tamen contradicunt Navarrus, Suarez, ac Azorius, putantes, etiam tempore ordinario fimilem legem confuetudine contraria aboleri poffe; quia per adjectam claufulam prohibitoriam confuetudinis contrariæ legislator tantum indicat, fe magis & efficacius velle, ne introducatur confuetudo contraria: per hoc tamen talem confuetudinem non reprobat ut invalidam.

Fit 4. A fortiori confuetudine aboleri poffe legem, cui adjicitur hæc claufula: *Non obftante quacumque confuetudine.* Herincx, Reiffenftuel, & alii apud hunc citt. Nam hæc claufula intelligitur folum de confuetudine præexiftente ante legem conditam, non autem de futura, faltem regulariter loquendo.

Fit 5. Quod per confuetudinem non folum lex prior abrogari, fed etiam nova introduci poffit, quæ vocatur confuetudo *præter legem.* Ita communiter omnes, & defumitur ex L. 32. ff. de LL. ibi: *Inveterata*

terata consuetudo pro lege non immerito custoditur. Et L. 33. ff. *eod. Diuturna consuetudo pro jure, & lege in his, quæ non ex scripto descendunt, observari solet.*

§. II.

Quænam Conditiones requirantur ad Consuetudinem tam contra, quam præter legem?

Assero 1. Ad consuetudinem, quæ vim legis habeat, aut legem 595
præexistentem abroget, requiritur, ut sit rationabilis. Communis. P. ex c. final. *de Consuetudine*, ubi expresse ad consuetudinem legitimam requiritur, ut sit *rationabilis, & legitime præscripta.* Accedit ratio: omnis lex debet esse rationabilis: ergo etiam consuetudo, vim legis obtinens, debet esse rationabilis.

Nota autem ex Reiffenstuel Tit. *de Consuetud.* n. 35. ad consuetudinem contra legem, seu abrogativam legis, sufficere, si ea sit rationabilis *negative*, seu si non sit positive irrationabilis: ad hoc autem, ut constituatur per consuetudinem jus novum, & positivum, requiri, ut illa sit *positive* rationabilis. Ratio hujus est: quia ad abrogationem legis minus requiritur, quam ad legem & obligationem introducendam. Accedit; quia materia legis positivæ, & obligantis debet esse positive honesta, & consequenter positive rationabilis, ut superius est dictum: ast ad legem tantum permissivam, & obligationis abrogativam requiritur materia tantum indifferens, quæ neque positive honesta, neque positive inhonesta sit. Igitur consuetudo legis obligantis, introductiva debet positive esse utilis bono communi, & taliter positivam rationabilitatem habere.

Petes: Quænam consuetudo sit irrationabilis? R. cum Reiffenstuel cit. n. 34. consuetudo generaliter est irrationabilis, quæ vel juri divino, aut naturali est contraria, vel a jure canonico reprobatur ut iniqua, & ut corruptela, vel quæ peccandi occasionem nutrit, aut quæ bono communi perniciosa est: & ejusmodi consuetudo, quæ aliquem ex his defectibus habet, nec legem præexistentem abrogare, nec novam inducere potest, ut per se claret: illa vero, quæ in nullo horum deficit, censetur rationabilis, saltem negative, imo etiam positive, si ea bono communi utilis appareat.

596 Objic. 1. Consuetudo contra legem non potest esse rationabilis: ergo. a. p. quod est contra aliquid rationabile, non potest esse rationabile; atqui consuetudo, quæ est contra legem præexistentem, est contra aliquid rationabile, scilicet contra legem vere obligantem, quæ debet necessario esse rationabilis: ergo.

R. 1. Retorq. Argum. atqui lex posterior, abrogans priorem legem, est contra aliquid rationabile, nempe contra legem priorem: ergo hæc lex posterior non potest esse rationabilis, consequenter non potest habere vim legis, proinde neque potest valide tollere legem præexistentem, quod est falsum. R. 2. D. a. Consuetudo, quamdiu est *in fieri*, non potest esse rationabilis c. a. quando est *in facto esse* n. a. &c. Consuetudo *in fieri* consistit in transgressionibus legis, quæ, cum pugnent contra aliquid rationabile, scilicet contra legem adhuc existentem, & obligantem, non possunt esse rationabiles. Ast vero, quando consuetudo consideratur *in facto esse*, seu quando jam est per frequentatos longo tempore actus completa, tunc adest consensus legalis Superioris, tollens legem præexistentem, & justificans talem consuetudinem introductam: ex quo consuetudo incipit esse rationabilis, neque amplius adversatur alicui legi, utpote quæ jam est sublata.

Objic 2. Actus, ex quibus nascitur consuetudo *in facto esse*, sunt irrationabiles, & formaliter peccaminosi, cum sint transgressiones legis adhuc existentis, & obligantis: ergo etiam consuetudo in facto esse, quæ ex talibus actibus oritur, erit irrationabilis & peccaminosa. R. D. a. Actus, ex quibus tanquam ex occasione & conditione, ac materialiter oritur consuetudo, sunt peccaminosi, & irrationabiles c. a. ex quibus formaliter tanquam ex causa oritur n. a. Consuetudo in facto esse, habens vim abrogandi legem præexistentem, oritur formaliter a consensu legali Legislatoris tanquam a causa adæquata, quatenus ille post frequentationem actuum legi contrariorum, debito tempore continuatorum, consentit in legis præexistentis abrogationem, vultque, consuetudinem vim legis obtinere. Et hic consensus, a quo formaliter omnem vim suam habet consuetudo, est summe rationabilis; nam lex, quæ valde frequenter a majore parte communitatis per longum tempus violatur, desinit esse utilis tali communitati, imo incipit esse noxia subditorum saluti: hinc rationabiliter Legislator consentit in cessationem legis, præsertim quia ejus observatio post tot, & tantas transgressiones prudenter haud amplius sperari

ſperari poteſt. Continuatio autem actuum peccaminoſorum eſt mera conditio, & occaſio conſuetudinis, non autem eſt ejus cauſa: hinc poſſunt actus iſti eſſe peccaminoſi, quin ſit conſuetudo peccaminoſa: ſicut & pœnitentia de peccatis commiſſis non eſt mala, aut peccaminoſa, quamvis conditio neceſſaria pœnitentiæ ſint peccata.

Objic. 3. Conſuetudo debet eſſe *legitime præſcripta* cap. fin. cit. ergo debet introduci cum bona fide, qualem omnis præſcriptio exigit; atqui bona fides non poteſt conſiſtere cum actibus formaliter peccaminoſis: ergo. R. Conſuetudinem tantum debere habere aliquam imitationem præſcriptionis, non autem debere habere omnes conditiones ad præſcriptionem requiſitas, uti patebit ex dicendis. Hinc conſuetudo in hoc aliqualiter, non autem ex integro, cum præſcriptione convenit, quod ad utramque introducendam requiratur aliqua mora, & diuturnitas temporis.

Aſſero 2. Ad conſuetudinem introducendam requiritur actuum 597
frequentia, eorumque qualitas. Ita communis cum Mezger, Holzman, Reiffenſtuel, & aliis. Per actus etiam intelligo omiſſiones.

Primo igitur actuum *frequentia* requiritur, id eſt, actus, quibus conſuetudo introducitur, debent longo tempore a majore parte communitatis eſſe frequentati. patet ex L. 1. C. *quæ ſit longa conſuetudo.* & c. 5. d. 1. ibi: *vocatur autem conſuetudo, quia in communi eſt uſu.* Accedit ratio: quia conſuetudo non poteſt introduci, niſi conſtet de populi conſenſu in eandem, ut dicetur; ſed ex uno, vel duobus, vel alias paucis, & non frequenter exercitis actibus non poteſt ſatis conſtare de populi, vel majoris partis populi conſenſu: ergo. Ex his

Habes 1mo. quod conſuetudo non poſſit introduci per unum, duos, aut tres actus, ſaltem regulariter: *tum*, ob rationem immediate adductam: *tum*, quia ex §. 9. Inſt. *de Jure naturæ, gentium, & civili.* L. 33. ff. de LL. L. 1. & 2. C. *Quæ ſit longa conſuetudo.* Actus ad conſuetudinem requiſiti dicuntur *diuturni, frequentes, longævi*; atqui unus, vel duo &c. actus non ſunt diuturni, nec frequentes: ergo.

Habes 2do. Numerum actuum, ad conſuetudinem requiſitorum, determinandum eſſe prudentum, præſertim Judicis arbitrio: Ratio hujus eſt; quia Jura nihil in hac re determinarunt, ſic tota hæc res committi debet prudentum arbitrio. Imo jura convenienter non

 potue-

potuerunt facere univerfalem determinationem actuum, eoquod pro diverfitate circumftantiarum, & materiarum exigantur quandoque plures, quandoque pauciores actus ad hoc, ut inde populi confenfus poffit colligi. Ita Pichler, ac Holzman, a quibus non diffentit Mezger, dicens, quod tanta faltem frequentia actuum requiratur, quanta ad manifeftandum firmum populi confenfum prudentum judicio fufficit.

Neque obeft can. ult. cauf. 25. q. 2. ubi indicatur, ex *geminatis actibus* confuetudinem poffe induci; etenim ille canon non loquitur de confuetudine legali, & publica, fed de confuetudine hominis privati, ac de ufu, & habitu peccandi, qui ex frequentatis actibus peccaminofis nafci folet, ut advertit P. Pichler.

Jam ut altera pars conclufionis probetur, majoris claritatis gratia

Quæres: *Qualiter* actus, per quos confuetudo legalis introducitur, debeant effe conftituti?

598 R. 1. Actus inductivi confuetudinis debent effe publici, ac notorii, & a majore parte communitatis exerciti. Ratio eft: quia ad confuetudinem requiritur confenfus, faltem tacitus, populi, & communitatis §. 9. Inft. *de J. N. G. & C.* ac L. 32. & 35. ff. de LL. quare etiam in jure confuetudo vocatur *tacita civium conventio*; fed confenfus tacitus totius communitatis nequit intelligi, nifi ex actibus publicis, & a majori parte communitatis exercitis in præfentia multarum perfonarum: ergo.

Sufficit tamen, quod ejusmodi actus fint notorii notoreitate facti, neque opus eft, ut fint notorii notoreitate juris: hoc eft, non debent tales actus effe publicati in judicio contradictorio per fententiam Judicis; neceffitas enim ejusmodi publicationis nullo jure probari poteft: quamvis tales actus judiciales multum prodeffent ad probandam confuetudinem.

Obfervandum etiam, quod major pars exercens actus, confuetudinis inductivos, debeat effe ex perfonis habilibus, & capacibus legis. Quare amentes, infantes, & omnes illi, qui legibus non ftringuntur, non poffunt fuis actibus, vel confuetudine legem abrogare, aut novam conftituere. Unde neque una perfona privata, neque familia una imperfecta poteft confuetudinem introducere, quæ vim

vim legis habeat, aut per suos actus frequentatos aliquam legem tollere: ratio est; quia neque persona privata, neque familia imperfecta, qua tales, sunt capaces alicujus legis; his enim tantum præcepta dari possunt. Reiffenstuel, Schmalzgrueber, Palao.

R. 2. Actus ejusmodi debent exerceri *uniformiter*, nec debent interrumpi. Ratio est: quia actus, per quos introducitur consuetudo, debent stabilem & constantem populi consensum significare; sed eam non significant, si modo hi, modo alii & oppositi actus a populo fiant, vel si omnino interrumpatur consuetudo: ergo.

Censetur autem consuetudo interrumpi 1*mo*, si ante lapsum legitimi temporis, quod ad consuetudinem introducendam requiritur, a populo, vel majore parte populi, ex certa scientia exerceantur actus aliqui contrarii. Ratio est: quia hoc ipso populus ostenderet, se nolle amplius continuare consuetudinem incæptam. 2*do* SI Superior contra consuetudinem in tribunali judicaret, aut transgressores legis, contra quam pugnat talis consuetudo, puniret; hac enim ratione Superior consuetudinem expresse revocaret. Proinde, si simili modo consuetudo foret interrupta, deberet de novo inchoari, ut vim legis posset obtinere, aut legem præexistentem abolere.

R. 3. Isti actus debent exerceri libere, & sine metu, saltem gravi. Ratio est; etsi actus ex metu etiam gravi facti sint simpliciter voluntarii, non tamen videntur sufficere ad significandum liberum consensum populi, & animum inducendi jus legale, cum ipsa renitentia voluntatis potius significet contrarium.

R. 4. Actus debent frequentari animo introducendi obligationem, & novam legem, si sit consuetudo præter legem, vel novæ legis constitutiva: si autem sit consuetudo contra legem, tunc debent actus exerceri cum intentione saltem implicita, & interpretativa tollendi, & abrogandi legem. Ratio est: quia juxta c. fin. *De Præbendis. Actus agentium non operantur ultra* intentionem eorum. Qua de causa multi actus publice frequentantur, qui tamen nullam consuetudinem, quæ vim legis obligantis haberet, inducunt; quia sunt actus meræ facultatis, & ex mera devotione sine obligatione peraguntur, ut salutatio Angelica ad ternum pulsum, aspersio aquæ benedictæ in ingressu Ecclesiæ, admissio aspersionis Cinerum benedictorum in die

Cinerum &c. qui actus, etsi communiter, & per plura jam sæcula uniformiter frequententur ab omnibus fere Christianis, nullam tamen consuetudinem obligantem, & vim legis habentem introducunt, ex defectu intentionis.

599 Petes 1. Unde possit colligi, quod populus per actus suos, communiter & uniformiter exercitos, velit consuetudinem, vim legis habentem, inducere? *Respondet* Mezger ex Suarez, ex his signis: Si res multum difficilis, nihilominus a tota communitate observetur: si ejusmodi res sit admodum expediens bono communi: si populus male sentiat de contra agentibus: si Superiores severius animadvertant in contra agentes.

Petes 2. Quid censendum sit in casu, quo stricte dubitetur, an consuetudo sit introducta ex animo se obligandi? R. In hoc casu censendum est, talem consuetudinem ex devotione, & gratuito affectu, non ex animo se obligandi esse introductam, consequenter eam non obligare: Ratio est: quia nemo præsumitur, sibi facile velle onus imponere, nisi illud sufficienter probetur.

Petes 3. An consuetudo præter legem, seu novæ legis constitutiva possit introduci per actus ex ignorantia, vel errore factos? E. g. aliqua communitas per 10. & plures annos putavit ex errore se esse obligatam ad aliquem diem festum, vel jejunium observandum, ex quo errore etiam illud observavit: modo quæritur, an per talem continuatam observantiam introduxerit consuetudinem obligantem? R. negative. Ratio est: *Quia nihil magis contrarium est consensui, quam error.* L. 15. ff. *de Jurisdictione.* 2*do.* deficit in tali communitate intentio inducendi novam legem; hi enim actus præcise fiunt, ut satisfiat legi illi, quæ putatur præexistere, non autem fiunt ideo, ut nova lex, aut obligatio introducatur. 3*tio.* Homines ex sua natura potius refugiunt novas obligationes, quam eas intendunt: hinc ejusmodi intentio non est facile præsumenda.

Petes 4. An communitas ignorans aliquam legem, & hinc libere eam transgrediens per plurimos annos, possit per ejusmodi transgressiones continuatas abrogare legem? R. probabilius affirmative. Hæc assertio videtur quidem esse contra communem, ac fere contra omnes alios, licet in eam aliqualiter inclinet Clarissimus D. Hardter Benedictinus: ex ratione tamen solide sic suadetur: 1*mo* ex L. 39. ff. de LL. quæ sic habet: *Quod non ratione* (hoc est, scientia) *sed*

sed errore primum, deinde consuetudine obtentum est: ergo lex supponit posse introduci consuetudinem, si actus erronei longo tempore continuentur.

P. 2. Per formales transgressiones legis potest abrogari lex præexistens: ergo a fortiori abrogari potest per transgressiones tantum materiales, & ex ignorantia factas.

P. 3. Si per transgressiones materiales non posset abrogari lex, tunc ideo, quia per eas consensus, & intentio populi non satis manifestaretur; sed hæc ratio nulla est: ergo. M. est AAriorum. m. p. nam consensus formalis, & explicitus populi in consuetudinem abrogativam legis non requiritur; id enim ex nullo jure ostendi potest. Deinde consensus implicitus, tacitus, præsumptus, aut interpretativus omnino adest: siquidem in consuetudine contra legem agitur de favore, deobligatione, ac libertate, ad quam populus ex natura sua est inclinatus. Proinde consensus tacitus populi in ejusmodi deobligationem, & favorem præsumitur adesse.

Neque est paritas inter consuetudinem præter legem, quæ novam obligationem introducit, & inter consuetudinem contra legem, quæ obligationem præexistentem tollit; siquidem plerique hominum suopte ingenio sunt proniores ad dandum consensum in extinctionem oneris, & obligationis, quam in ejus introductionem. Hinc ad consuetudinem præter legem, quæ novum jus & obligationem imponit, plus requiritur, quam ad consuetudinem contra legem.

Assero 3. Temporis ad consuetudinem requisiti longitudo re- 600
linquitur arbitrio prudentis Judicis, & non consistit determinate in decennio &c. Holzman, Menochius Lauterbach, Pichler, & alii contra Reiffenstuel, & alios.

P. Jus nullibi determinat certum tempus; sed cum jus nullibi certum tempus determinat, satis indicat, determinationem talis temporis esse in arbitrio Judicis prudentis. Quapropter Judex pensabit ex circumstantiis, an consuetudo duret tanto tempore, ut ex ejus lapsu possit præsumi sufficiens populi consensus in consuetudinem: ergo. M. constat; quia jus solum requirit tempus plurium annorum, vocando consuetudinem *inveteratam*, *longam*, *longævam*, *vetustissimam*. m. p. ex L. *Si servus*. 1. §. 2. ff. *de Jure deliberandi*. ibi dicitur: *Cum dicit tempus, nec adjicit diem* (hoc est, si tempus non determinat) *sine dubio ostendit, esse in Judicis potestate, quem* diem præstituat.

tuat. Debet nihilominus tempus, quod ad consuetudinem introducendam requiritur, esse continuum; dum enim jus exigit aliquod tempus, solet exigere continuum: uti constat in anno Novitiatus, cujus tempus non debet interrumpi. Accedunt dicta superius, quibus probatum est, actus consuetudinem introducentes non debere interrumpi, & debere esse conformes.

601 Objic. 1. Ad præscriptionem requiritur tempus determinatum: ergo etiam ad consuetudinem. R. 1. Retorq. Argum. Ad præscriptionem contra Ecclesiam Romanam requiritur tempus determinatum 100. annorum: ergo etiam ad consuetudinem contra legem Ecclesiæ Romanæ requiritur tempus determinatum 100. annorum. R. 2. N. c. & parit. Nam inter consuetudinem, & præscriptionem est tantum hæc convenientia, quod ad utramque requiratur aliquis lapsus temporis, non autem in hoc, quod ad utramque sit necessarium a Jure determinatum, aut æquale tempus.

Objic. 2. Ad consuetudinem requiritur longum tempus a jure; sed decennium in Jure reputatur longum tempus: ergo. R. D. m. decennium solum reputatur longum tempus n. m. etiam c. m. Etiam 30. &. 40. anni in Jure vocantur longum tempus, ut L. 51. ff. *de Ritu Nupt.* L. 2. C. *de Præscriptione* 30. *annorum*. Hoc quidem facile do AAriis, quod decennium ordinarie sufficiat ad consuetudinem: nego autem, quod semper sit sufficiens. Ratio hujus est: quia ex una parte jura non determinant, quod decennium sit universaliter sufficiens ad consuetudinem: ex altera parte ratio dictat plus temporis requiri in rebus magni momenti, quam in levioribus. Nihilominus ex hac objectione, quam AArii faciunt, saltem videtur hoc sequi, quod tempus minus, quam decennium, non sufficiat ad consuetudinem inducendam. Ratio est: quia jura exigunt tempus longum ad consuetudinem; sed tempus longum in jure non reputatur inferius decennio. Ita Pater Holzman, a quo nec ego dissentio.

Objic. 3. L. 3. §. 4. *De aqua quotidiana, & æstiva*, & alibi consuetudo legalis censetur illa, quæ excedit hominum memoriam: ergo ad consuetudinem requiritur tempus immemoriale. R. In iis legibus approbari quidem consuetudinem immemorialem, non autem rejici aliam, quæ habet minus temporis.

602 Quæres: An, & qualis consensus Principis, vel Legislatoris requiratur ad inducendam consuetudinem? R. 1. Omnino requiritur

con-

consensus Principis, & Legislatoris. Est communis omnium DD. P. Quia consuetudo est aliqua lex nova, vel certe est abrogatio legis antiquæ; sed nemo potest condere legem novam, aut antiquam abrogare, nisi qui habet potestatem ferendi leges: ergo Legislator, seu Princeps, qui habet potestatem ferendi leges, debet necessario consentire in consuetudinem, & per suum consensum ei dare vim obligativam, si sit consuetudo præter legem, vel legem antiquam tollere, si sit consuetudo contra legem.

Adverte autem ex Reiffenstuel L. 1. Decret. tit. 4. n. 138. tribus modis Principem posse in consuetudinem consentire, nimirum expresse, tacite, & legaliter. *Expresse* consentit, quando expressis verbis, vel signis approbat consuetudinem introductam. *Tacite* consentit Princeps, dum scit talem consuetudinem, & dissimulat, nec contradicit, cum tamen facile contradicere posset; sic enim, dum tacet, consentire videtur. *Consensus legalis* est, qui datur per legem, & Jus ipsum, dum Legislatores generaliter per suas constitutiones, & leges approbant quascunque consuetudines rationabiles, ac legitime præscriptas, atque eas volunt habere vim legis. Hic consensus *legalis*, & *juridicus* dicitur, quia præstatur per *Jus*, & *leges*: uti c. ult. *de Consuetudine.* L. 1. & seqq. C. *quæ sit longa consuetudo.* Vocatur quoque *generalis*; quia per leges generaliter approbantur omnes consuetudines rite introductæ: consensus vero *tacitus*, & *expressus* solent vocari *speciales*, eoquod pro hac, vel illa consuetudine tantum, determinata in specie, non autem pro omnibus universaliter dentur. H. N.

R. 2. ad consuetudinem, via præscriptionis introducendam, non requiritur consensus specialis, aut Personalis Principis. Reiffenstuel cit. Holzman, & alii. P. 1. Quia jura, quæ consuetudinem approbant, nullam faciunt mentionem de consensu personali, & speciali. 2*do.* quia sufficit consensus legalis, qui certo datur. 3*tio.* Princeps ex una parte potest generaliter omnem consuetudinem approbare per consensum legalem, & ei vim legis attribuere: & ex altera parte ita legaliter, & generaliter approbat omnes consuetudines recte introductas: ergo per solum consensum legalem habent vim legis. 4*to.* c. 1. *de Constit.* in 6. dicitur: *Romanum Pontificem locorum consuetudines probabiliter ignorare*; atqui si eas ignorat, tunc nequidem in eas consentire potest consensu speciali, & personali: & tamen dictæ consuetudines locorum valide censentur: ergo ad eas scientia, & consensus Principis specialis non requiritur.

R. 3. Requiritur tamen consensus legalis. Communis. P. 1mo. quia aliquis consensus Principis requiritur: ergo, cum non requiratur personalis, & specialis, requiritur saltem legalis. 2do. Illæ consuetudines, quas jus reprobat, non possunt introduci ob hanc rationem, quia nempe iis deficit consensus juridicus, & legalis: ergo hic consensus requiritur.

603 Objic 1. Jura reprobant aliquas consuetudines: ergo Legislator prius scire debet, quæ & qualis consuetudo sit a populo introducta, & debet ei vim legis tribuere. R. D. a. Jura reprobant aliquas consuetudines debitis conditionibus a jure requisitis destitutas c. a. illis conditionibus vestitas n. a. Legislator jam generaliter approbavit omnes consuetudines, debitis circumstantiis vestitas, adeoque non est necesse, ut eæ iterum in speciali a Principe approbentur.

Insuper argumentum tantum probat, quod consuetudines illæ, quæ per viam *conniventiæ*, & *dissimulationis* introducuntur, debeant sciri a Principe, & firmari per tacitum saltem consensum specialem ejusdem Principis. Verum hic non agimus de consuetudine introducenda per viam conniventiæ, sed per viam *præscriptionis*; consuetudo autem tali modo etiam ignorante, & consequenter personaliter non consentiente Principe potest introduci, sicut & præscriptio potest fieri contra Dominum rei, quæ præscribitur, personaliter non consentientem, & ignorantem. Item ad consuetudinem per viam conniventiæ non requiritur longum tempus, sed potest etiam breviori tempore introduci, non quidem vi consuetudinis, sed vi consensus Principis, qui tacite, ac personaliter iterum abrogat legem: id autem iterum locum non habet in consuetudine per viam præscriptionis, vel quasi præscriptionis. Videantur de hoc Reiffenstuel in Theologia morali, & alii Casistæ, ac Canonistæ.

Objic. 2. Consuetudo est lex specialis: ergo etiam requirit consensum Legislatoris specialem. R. N. c. Sicut enim quælibet lex non exigit Legislatorem specialem, sed ab uno Legislatore possunt plures leges speciales fieri: ita etiam quælibet consuetudo specialis non exigit consensum specialem, sed unus consensus generalis potest sufficere pro plurimis consuetudinibus specialibus.

Ex his deduces 1mo. Consuetudinem differre a lege, *tum* ratione consensus legislatoris, *tum* ratione modi, quo introducitur consuetudo, & lex.

Dedu-

Deduces 2. Consuetudinem etiam esse diversam a præscriptione; præscriptio enim datur solum inter Personas privatas, & particulares: & ipsa communitas, quando contra eam præscribitur, habet rationem Personæ privatæ, & particularis. 2. fit cum lucro unius, & damno alterius. 3. requirit bonam fidem, & titulum. 4. datur, & quidem præcipue in rebus corporalibus. Contra consuetudo respicit communitatem solum qua talem. 2. Ordinatur vel ad deobligationem a lege, vel ad introductionem novæ obligationis in communitatem, non autem ad lucrum, vel damnum particularium. 3. Non requirit bonam fidem. 4. solum datur in incorporalibus.

Dissertatio III.

DE ALIQUIBUS LEGIBUS HUMANIS IN SPECIE.

Articulus I.

De Lege Pœnali.

Præter divisiones superius n. 577. indicatas lex pœnalis ulterius dividitur in legem pœnalem ferendæ, & latæ sententiæ. Lex pœnalis *latæ sententiæ* est, in qua transgressori de facto pœna imponitur: lex pœnalis *ferendæ sententiæ* est, quæ non ipsam pœnam imponit, nec ad eam condemnat, sed illam solum comminatur, aut Judici mandat, ut reo pœnam imponat. Quare pœna latæ sententiæ dicitur esse imposita a jure, & reus stringitur statim a tempore contracti delicti: altera, seu pœna ferendæ sententiæ, infligitur ab homine, seu judice, & primum adstringit reum a tempore latæ per Judicem sententiæ condemnatoriæ. Ex quo dubitabis:

§. I.

Unde colligi possit, pœnam esse latæ, vel ferendæ sententiæ?

Assero 1. Quotiescunque dubium est, an lex contineat pœnam ipso jure v. g. excommunicationis, suspensionis, privationis officii, ipso jure latam, 604

latam, vel ferendam à Judice, censendum est, quod tantum contineat ferendam. Herincx, Reiffenstuel citans Cardinalem Tuschum. P. ex Reg. 49. J. in 6. *In pœnis benignior est interpretatio facienda.* Et L. *Interpretatione.* 42. *ff. de pœnis. Interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potius, quam exasperandæ:* ergo leges præfatæ dubiæ interpretandæ sunt de pœna ferenda; hæc enim est benignior interpretatio.

605 Assero 2. Si lex tantum comminatur pœnam, continet pœnam ferendam, ut si lex dicat: *Prohibemus sub pœna excommunicationis, sub interminatione anathematis, sub pœna privationis actuum legitimorum &c.* Herincx, Reiffenstuel, & apud hunc alii. P. Quia comminatio non est ipsa sententia lata. hinc per similes loquendi formulas Judici solum præcipitur, ut pœnam in ea lege taxatam infligat per sententiam primum ferendam: ergo.

Idem dic, si lex adhibeat verbum, vel participium futuri temporis, v. g. *reus erit excommunicationis, subjacebit suspensioni*; hæ enim, & similes locutiones facile intelligi possunt de sententia ferenda: ergo etiam de illa intelligi debent; quia juxta dicta *in pœnis benignior interpretatio est facienda.*

Id ipsum verisimiliter tenendum est in casu, quo lex dicit: *Excommunicationem se noverit incursurum.* Ita Herincx, quamquam varii contradicant. Ratio est: quia si lex ita dicat: *Excommunicationem incurret*, tunc tantum ferendam sententiam indicat, ut colligitur ex immediate dictis: ergo etiam si dicat: *excommunicationem se noverit incursurum*; utraque enim locutio eundem omnino parit sensum, scilicet comminatorium excommunicationis ferendæ.

Excipias ab his resolutionibus: nisi aliquæ particulæ addantur, quæ satis exprimunt, pœnam esse latæ sententiæ, v. g. *ipso facto* se noverit incursurum pœnam excommunicationis, *ipso jure*, vel *ipso facto* subjacebit suspensioni. Item: si lex pœnalis alioquin esset inutilis: sic quando jure statuitur irregularitas, ea semper est latæ sententiæ. ratio est: quia irregularitas tantum per ipsum jus, non autem per sententiam judicis imponi solet: hinc lex irregularitatem taxans, debet esse latæ sententiæ, alioquin esset frivola, & inutilis, ut patet.

606 Assero 3. Si lex utatur verbis imperativi modi, quæ non efficiunt immediate ipsam pœnam, sed vel reatum pœnæ, vel ipsam actionem

nem judicis, tunc est tantun ferendæ sententiæ. v. g. si ita sonent verba legis: *Reatum talis pœnæ incurrat, reus fiat suspensionis.* item: *Excommunicetur, suspendatur.* Ita superius laudati Authores. P. 1*mo.* Prior loquendi modus tantum indicat, talem hominem reum fieri pœnæ a judice primum ferendæ: alter vero satis clare requirit actionem judicis, per quam transgressor *excommunicetur, suspendatur &c.* ergo leges ita loquentes tantum continent pœnam ferendæ sententiæ. P. 2*do.* Leges istæ commode possunt intelligi de pœnis ferendæ sententiæ: ergo ita debent intelligi ob rationem insinuatam.

Assero 4. Etiam quando verba imperativi modi immediate affici- 607
unt pœnam, dicendo: *sit excommunicatus, sit suspensus,* tantum pœnam ferendæ sententiæ continent. Navarrus, Reiffenstuel, Sanchez, Baldus, Layman. P. 1*mo.* Plurimi canones habent illa verba: *anathema sit,* & tamen solum continent sententiam ferendam, juxta Glossam finalem c. 2. *De foro compet.* Ergo etiam in aliis casibus idem dicendum est.

P. 2. Verbum: *sit excommunicatus,* potest etiam bene explicari per τo *fiat* excommunicatus, prout Glossa finalis in cap. *Si quis ex Clericis. De vita, & honestate Clericorum* explicat τo *anathema sit,* dicens: *hoc est, fiat; non enim est excommunicatus ipso Jure:* ergo.

P. 3. Ex una parte præfata verba sunt dubia, ut ex allatis rationibus, & vario Doctorum sensu colligitur: ex altera parte mitior pars in pœnis ferendis est eligenda: ergo & hic benigniorem opinionem tenere debemus, quæ est nostra.

Hæc assertio patitur limitationem, scilicet hanc, nisi alia adjecta verba, vel jura declarent, pœnam ejusmodi esse latæ sententiæ. Hinc τo *anathema sit,* canonibus Tridentini, & aliorum Conciliorum adjectum, ac in hæreticos fulminatum, continet excommunicationem latæ sententiæ; nam hæretici ipsomet jure jam aliunde sunt excommunicati. Ita Reiffenstuel T. 2. n. 216.

Assero 5. Lex pœnalis certo est latæ sententiæ in sequentibus 608
casibus: 1*mo.* quando adhibet verba indicativi modi præsentis, vel præteriti temporis, v. g. *excommunicamus, suspendimus, sciat, se esse excommunicatum, noverit se excommunicationem incurrisse.* Reiffenstuel, Herincx, & alii plures. 2*do.* Si verba nullam dilationem temporis admittant, ut si dicitur: *ex tunc, mox, statim,* vel *ipso facto* sit excommuni-

municatus. 3*tio.* denique si Legislator sibi, vel suæ legi adscribat sententiam, v. g. *authoritate nostra*, *virtute præsentium sit excommunicatus* : item, *qui secus fecerit*, *excommunicationem*, *quam nunc in eum ferimus*, *se noverit incursurum &c.* Ratio horum omnium est; quia ex verbis satis patet, sententiam pœnæ inflictivam esse jam ab ipsa lege, & Jure latam.

§. II.

Qua ratione obligent Leges pœnam ferendæ, vel latæ sententiæ continentes?

609 Assero 1. Quando lex statuit pœnam ferendæ sententiæ, non obligat ad illam subeundam ante sententiam judicis condemnatoriam. Est communis. P. Reus non tenetur ad plus, quam ipsi lex imponit; sed lex ejusmodi, continens pœnam ferendæ sententiæ, tantum imponit eam subeundam post, & non ante judicis sententiam: ergo reus vi ejusmodi legis non tenetur subire pœnam ante judicis sententiam.

Ex quo deducis, illum, qui transgressus est legem, sub excommunicatione ferendæ sententiæ aliquid prohibentem, se ante sententiam judicis condemnatoriam licite & valide gerere tanquam non excommunicatum, Sacramenta administrare, & recipere posse &c. Ratio est: quia ante latam sententiam necdum incurrit excommunicationem, quamvis commiserit crimen, ob quod possit, & debeat a judice excommunicari.

610 Assero 2. Lex pœnalis ferendæ sententiæ obligat, ut reus post sententiam judicis legitime latam non resistat, & pœnam a judice conformiter legi dictatam subeat. Communis. P. Secundum Apostolum ad Rom. 13. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*: atqui Potestati publicæ resisteret ille reus, qui juste secundum leges damnatus, judiciali sententiæ se vellet opponere: ergo. *Confirm.* Lex ejusmodi pœnalis vera est lex: ergo vere obligat ad pœnam ab ipsa dictatam.

His breviter resolutis de legibus pœnalibus ferendæ sententiæ, progredimur ad pœnas latæ sententiæ: pro quo nota, duplicis generis esse pœnas latæ sententiæ: *aliquæ sunt*, quæ aliam externam executionem in sui adimpletione non requirunt, uti sunt excommunica-

tio latæ ſententiæ, aliæque cenſuræ Eccleſiaſticæ, irregularitates, impedimenta matrimonii, & hujusmodi: *aliæ* ſunt, quæ executionem, ſeu actionem aliquam externam, per quam executioni mandentur, requirunt, uti ſunt fuſtigatio, incarceratio, amiſſio dominii, confiſcatio bonorum, privatio beneficii, aut officii Eccleſiaſtici, vel privatio alterius rei propriæ, & jam acquiſitæ &c. H. N.

Aſſero 3. Si pœna latæ ſententiæ nullam externam executionem 611
requirit, tunc ea contrahitur ſtatim, dum crimen, cui ejusmodi pœna eſt impoſita, committitur: proinde ea in foro conſcientiæ ſtringit ante omnem ſententiam judicis. Communis apud Reiffenſtuel cit. n. 226. P. Quia juxta omnes Th. Th. & Canoniſtas excommunicatio in percuſſores Clericorum lata, & aliæ excommunicationes latæ ſententiæ absque omni ſententia declaratoria judicis ipſo facto incurruntur: ergo.

Confirm. Ex una parte Legislator vult, tales pœnas ipſo facto, & independenter ab omni ſententia ulteriore judicis incurri, ut patet ex tenore ipſo legum, & Conſtitutionum, has pœnas imponentium: ex altera parte iſtæ pœnæ, etſi ipſo facto incurrantur, non excedunt ſuavitatem, & æquitatem humanam: ergo eæ ſtatim ipſo facto absque ulteriore ſententia judicis incurruntur.

Accedit congruentia: quia conveniens erat, ut Eccleſia pro ſpirituali fidelium emolumento injungeret non ſolum pœnas in foro externo poſt ſententiam judicis luendas, ſed etiam illico incurrendas in foro interno ob peccata quævis occulta, ut hac ratione ſubditi magis a peccatis occultis retraherentur.

Aſſero 4. Pœnæ latæ ſententiæ, quæ externam executionem 612
requirunt, non incurruntur in foro externo ante ſententiam judicis declaratoriam ſuper crimine admiſſo, niſi aliud in ipſa lege exprimatur. Reiffenſtuel, Engl, Navarrus, Sanchez, & alii contra Bartolum, Jaſonem, & quosdam alios.

P. 1mo. c. *Cum ſecundum* 19. *de Hæreticis* in 6. Bona hæreticorum confiſcantur ipſo jure; & tamen dictæ confiſcationis executio, & bonorum occupatio expreſſe prohibetur fieri ante ſententiam declaratoriam judicis Eccleſiaſtici ſuper crimine hæreſis admiſſo: ergo idem dicendum de aliis ſimilibus pœnis, externam executionem requirentibus, aut inducentibus privationem rei jam acquiſitæ; de ſimilibus enim idem judicium eſt habendum. c. *Inter corporalia.* De Transl. Epiſ.

P. 2do.

P. *2do.* Omnis lex humana debet esse accommodata naturæ humanæ, & hanc non excessive gravare; sed talis non foret illa lex pœnalis, quæ ipso facto pirvaret aliquem re sua jam obtenta, & statim ad talem pœnam, in se ipso exercendam, obligaret ante omnem sententiam judicis declaratoriam; vi enim ejusmodi legis, statim ante sententiam declaratoriam injungentis pœnam in se ipso exercendam, delinquens ipse teneretur esse accusator, Judex, reus, & executor: imo teneretur se ipsum spoliare rebus suis ante legitime acquisitis: quæ omnia nimis dura sunt, ac naturæ humanæ contraria.

Dixi in assertione: *nisi aliud in ipsa lege exprimatur*; si enim lex diceret, pœnam talem incurri statim ipso facto, *alia etiam declaratione non secuta*, tunc per se pœna ligaret ante omnem sententiam etiam declaratoriam. Similium legum varia exempla videre potes apud Reiffenstuel cit. n. 229.

613 Objic. 1. Juxta hanc assertionem nulla amplius esset differentia inter leges ferendæ, & latæ sententiæ, cum tam ad obligationem harum, quam illarum requiratur sententia judicis; sed hoc est absurdum: ergo. R. N. M. nam 1*mo*, quando leges pœnales sunt ferendæ sententiæ, debet primum per sententiam judicis infligi pœna: quando autem sunt latæ sententiæ, exigentes nihilominus externam executionem, tunc non debet per sententiam judicis infligi pœna; hæc enim jam per ipsam legem est imposita, sed debet solum fieri declaratio, quod crimen, cui annexa est pœna, sit commissum. *2do.* Pœna ferendæ sententiæ stringit solum a tempore latæ sententiæ: contra pœna, quæ ipso facto incurritur, etsi declarationem requirat, facta ista declaratione retrotrahitur fictione juris ad instans, & tempus criminis commissi, ita, ut pœna ipso jure imposita debeatur a die commissi criminis. Hinc bona hæretici *per sententiam judicis declarati* censentur ipso facto confiscata, seu fisco obligata a tempore commissæ hæresis, ita quidem, ut fructus ex talibus bonis interea percepti debeant fisco restitui, nec valeant alienationes ejusmodi bonorum, etiam ante declarationem criminis factæ, utpote quæ sunt factæ ab illo, qui non amplius habuit potestatem alienandi. Ita Reiffenstuel. Ex his

Deduces, Legem ejusmodi pœnalem, de qua hic est sermo, esse satis mitem ex duplici capite; 1*mo* enim, si per accidens a judice non

feratur

feratur ſententia de admiſſo crimine, tunc reus ad nullam pœnam luendam tenetur. 2*do*. ſecuta etiam ſententia declaratoria criminis, non obligatur reus, ſtatim bona ſua deſerere, eaque e. g. offerre fiſco; ulterius enim requiritur, ut ſententia illa authoritate judicis executioni mandetur, ac reo adimatur poſſeſſio illorum bonorum, quibus ob crimen ipſo jure privatus exiſtit, hæcque ab ipſo exigantur, & fiſco applicentur. Ratio hujus eſt: *tum*, quia admodum durum eſt humanæ conditioni, in ſe ipſo exequi ſententiam nemine cogente. *Tum*, quia hæc limitatio colligitur ex c. *Cum ſecundum*. 19. de hæret. in 6.

Objic. 2. Clerici beneficiati omittentes horas canonicas, poſt primos 6. menſes tenentur ad reſtitutionem fructuum beneficialium pro rata omiſſionis ante omnem ſententiam judicis declaratoriam, ut patet ex propoſitione 20. ab Alexandro damnata: ergo leges pœnales, etiam externam executionem requirentes, obligant ante ſententiam declaratoriam. R. D. c. Leges pœnales, quæ privant jure quærendo, & impediunt aliquem tantum a conſecutione alicujus boni, quod necdum habuit c. c. leges pœnales, quæ privant jure quæſito, quod quis jam habuit antecedenter n. c. Noſtra aſſertio loquitur de illis legibus pœnalibus, quæ privant re jam ſua, & jure quæſito, Clerici vero beneficiati non habent jus quæſitum in ratam bonorum beneficialium, horis canonicis reſpondentem, ante perſolutionem Horarum canonicarum, utpote quæ non conceditur ipſis, niſi ſub conditione Horarum canonicarum recitatarum.

§. III.

An ignorantia excuſet a pœna legis humanæ?

Aſſero 1. Ignorantia invincibilis, quæ excuſat hominem a cul- 614
pa, eum etiam excuſat a pœna per legem ſtatuta. Communis. P. 1*mo*. c. 2. *de Conſtit*. dicitur: *Rem, quæ culpa caret, in damnum* (id eſt, pœnam) *vocari non convenit*: ergo. P. 2*do*. *Ceſſante cauſa ceſſat effectus*. c. *Cum ceſſante*. 60. *de Appellationibus*; atqui culpa eſt cauſa pœnæ: ergo ceſſante culpa ceſſat pœna: conſequenter, ubi nulla eſt culpa contracta propter ignorantiam legis, ibi pœna locum non habet. Conſentit Regula 23. de R. J. in 6. aſſerens, ſine culpa aliquem non eſſe puniendum. Et hoc cum proportione etiam intelligendum eſt de lege pure pœnali; nam neque ille, qui penitus neſcivit

scivit legem ejusmodi mere pœnalem, & sic ob ignorantiam neque culpam politicam contraxit, ad pœnam videtur esse obligandus: uti recte monet Herincx T. de Legibus d. 5 q. 4. n. 26. Ex his

Deduces, illum, qui ob ignorantiam excusatur a culpa gravi, non posse, nec debere puniri pœna gravi, etsi interea peccarit venialiter. Ratio est: quia in hoc casu cessat fundamentum, & causa, ob quam gravis pœna imponitur; cessat enim culpa gravis.

Assero 2. Ignorantia solius pœnæ non excusat ab illa incurrenda, si censuræ, & pœnæ extraordinariæ, ac improportionatæ excipiantur. Reiffenstuel L. 5. Decret. Tit. 3. n. 321. Herincx jam cit. n. 29. Covarruvias, ac plures alii apud Reiffenstuel laudati, contra aliquos alios.

Assertio intelligenda venit de illo casu, quo quis scit, lege divina, naturali, vel humana esse prohibitam aliquam actionem, ignorat tamen pœnam specialiter *a lege humana* in committentes tale crimen statutam. v. g. fur aliquis bene scit, furtum esse graviter prohibitum a jure naturali, divino, & humano, ignorat autem pœnam suspendii in furantes esse statutam. H. N.

P. Assertio 1*mo*. Ignorantia solius pœnæ non tollit causam pœnæ, seu culpam: ergo neque tollit effectum culpæ, seu pœnam, tam ab hominibus, quam a Deo infligendam. P. 2*do*. Eo ipso, quod quis transgrediatur legem obligantem, se facit reum pœnæ proportionatæ huic transgressioni, & in eam implicite consentit, præcipue quia cuilibet malefactori aliunde est notum, crimina, & delicta contra legem commissa, posse, & debere proportionata pœna castigari: P. 3*tio*. Ex ipsa praxi omnium tribunalium, quæ malefactores pœnâ per legem statuta afficiunt, eos condemnando ad patibulum, rotam &c. etsi has pœnas determinate in sua delicta statutas esse, ignoraverint: ergo.

Dixi tamen 1mo. *Si censuræ excipiantur*; hæ enim non incurruntur ab eo, qui ignoravit, eas esse impositas a jure, ut aliunde jam constat. Dixi 2do. *Si pœnæ extraordinariæ excipiantur*; hæ enim probabiliter non incurruntur, etiam in foro externo civili, ab eo, qui eas invincibiliter ignoravit esse annexas suo delicto. Navarrus, Sa, Tamburinus, La Croix, & alii. Ratio est: quia videtur injustum, affligere aliquem pœna illa, cui se nullo modo subjecit, & in quam neque virtualiter, & implicite, minus formaliter, & actu consensit:

non

non formaliter; quia eam nescivit: neque virtualiter, & implicite; quia reus, & delinquens implicite censetur solum consentire in pœnam ordinariam, & proportionatam: ergo.

Objic. 1. pro contraria sententia, quam P. Stanislaus Karg in 615
Manuali Theologico - Canonico Legali de Irregularitate ex delicto, & consequenter de aliis pœnis ecclesiasticis, non vero civilibus, pro se allegans plures graves Theologos, sustinet P. 1. §. 2. n. 17. c. *Ut animarum.* De Constit. in 6. dicitur: *Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcunque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes: dummodo tamen, eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina.* Ex quo sic argumentari licet: Hoc capitulum continet favorem animarum: ergo ample est interpretandum, ita quidem, ut sensum faciat, quod non solum sententiæ censurarum, sed & omnes sententiæ, inhabilitates, ac pœnæ spirituales non stringant ignorantes: ergo ignorantia cujusvis pœnæ excusat ab ea incurrenda. R. cum Covarruvia, cit. capitulum esse intelligendum de illa ignorantia, quæ facit actum involuntarium, & excusat etiam a peccato; hæc enim simul excusat a pœna, quæ primum sequitur culpam, ut dictum est Assert. 1ma: non autem loquitur capitulum de illa ignorantia, qua sola pœna ignoratur, & quæ stat cum scientia prohibitionis ipsius actus.

Dices: Capitulum cit. loquitur de furto, quod aliunde scitur esse prohibitum a jure naturali, & divino: ergo capitulum non loquitur de illa ignorantia, quæ penitus causat involuntarium, & excusat a peccato: per consequens loquitur de sola ignorantia pœnæ, annexæ furto per statuta Ordinariorum. a. patet ex textu cap. c. etiam liquet; nam si furtum scitur esse prohibitum jure divino, & naturali, jam habetur sufficiens cognitio ad voluntarium, & peccatum. R. cum Covarruvia n. a.; nam quando capitulum adducit exemplum furti, non amplius loquitur de ignorantia, sed de puncto alio.

Hinc notandum est ex Summario allegati capituli, quod in eo duo dubia sint decisa: *primum* est, quod statuta Ordinariorum non ligent invincibiliter ignorantes: *alterum* est, quod statutum Episcopi subditum, existentem extra suam Diœcesin non liget. Pro primo dubio expediendo nullum casum specialem adducit Pontifex, scilicet Bonifacius VIII. Author istius capituli: pro secundo vero per parenthesin adducit casum furti. Id quod patet consideranti ipsum textum, qui post superius adducta verba ita habet: *Statuto Episcopi, quo (in omnes, qui furtum commiserint) excommunicationis sententia promulgatur, subditi*

diti ejus, furtum extra diœcesin committentes, minime ligari noscuntur; cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune. Ex quibus habes, quod casus furti in illo capitulo adductus, omnino sit impertinens ad primam ejus partem, & primum dubium de ignorantia.

Objic. 2. Censuræ ecclesiasticæ, scilicet excommunicatio, suspensio & interdictum, non incurruntur ab ignorante, eas esse annexas suo delicto: ergo idem est de aliis pœnis ecclesiasticis. R. N. c. Censuræ imponuntur tanquam medicinæ præservativæ, & admonitiones, quæ timore sui debent absterrere a culpa; atqui non possunt esse admonitiones, neque absterrere a culpa, nisi præcognoscantur: proinde etiam non incurruntur, nisi præcognoscantur. Item per censuras punitur contumacia, qua reus resistit potestati ecclesiasticæ, quatenus hæc aliquid sub censura prohibet. Neutrum fit in aliis pœnis, quæ non in medicinam, neque ob contumaciam specialem, sed in debitam, & proportionatam vindictam culpæ commissæ imponuntur: si ergo culpa est commissa, jam habetur causa sufficiens talium pœnarum.

Objic. 3. Ad hoc, ut aliquis mereatur pœnam, debet in eam aliqualiter consentire; sed ignorans, pœnam esse annexam, in eam non consentit: ergo. R. D. M. debet vel explicite, vel implicite in eam consentire c. M. explicite semper n. M. Satis implicite consentit in pœnam proportionatam delicto, qui voluntarie committit facinus, quod aliunde scit, proportionata pœna vindicari posse a Superiore.

616 Ex dictis fit 1*mo.* Ignorantiam, quæ non excusat a culpa gravi, ob quam imponitur, non excusare quoque a pœna. Ratio est; quia hæc ignorantia non tollit causam pœnæ, scilicet peccatum grave: ergo neque tollit ipsam pœnam.

Fit 2*do.* Neque regulariter ignorantiam crassam, ac vincibilem excusare a pœna, per legem dictata. Ratio est: quia hæc non excusat a culpa gravi: ergo. Dixi tamen: *regulariter*; excipiendus enim est casus, quo lex ad incurrendam pœnam requirit scientiam, aut dolum, v. g. dicendo: *Qui temere hoc fecerit, præsumpserit, scienter hoc attentaverit,* incurrat pœnam privationis beneficii; nam in tali casu ad pœnam incurrendam non sufficit culpa qualiscunque, sed quæ supponit scientiam, adeo, ut si quis ejusmodi legem transgrediatur ex ignorantia vincibili aut crassa, etsi sufficiente ad peccatum mortale, non incurrat similes pœnas. Ita Herincx cit. n. 27. Aliud est, quando quis similes leges violat *ex ignorantia affectata*; hæc enim in jure æquivalet temeritati,

tati, ac scientiæ, adeoque neque in simili casu a pœna excusat, ut docent Suarez, ac plures alii apud Herincx, qui & eorum sententiam valde probabilem censet contra Bonacinam.

Fit *3tio.* Assertionem nostram specialiter etiam locum habere in casu, quo transgressor scit quidem actionem suam esse prohibitam lege divina, vel naturali, ignorat autem, eam esse prohibitam lege quoque humana, neque scit pœnam a lege humana taxatam. Ita Scotus 4. d. 6. q. 8. n. 1. Suarez, Herincx &c. Ratio est: quia tunc adest culpa, quæ est causa pœnæ. Accedit, quod lex humana non solum intendat, punire formalem sui transgressionem, sed etiam violationem legis divinæ, aut naturalis, præsertim si cadat in materiam etiam a se præceptam, ut bene observat P. Herincx.

Fit *4to.* Irregularitatem ex delicto, item impedimenta matrimonii, quæ ob certa crimina sunt statuta, ut affinitas ex copula illicita, impedimentum uxoricidii, etiam a fortiori incurri ab eo, qui ignorat, ea esse annexa suo delicto, vel crimini. La Croix, & alii apud hunc contra aliquos alios. Ratio hujus est: quia irregularitas, & hæc impedimenta non sunt proprie pœnæ, sed potius sunt quædam inhabilitates a jure statutæ: & si forent pœnæ, non tamen essent medicinales, quæ contumaciam, & scientiam pœnæ prærequirerent: ergo etiam ab ignorantibus incurruntur.

Quæres: Unde cognosci possit, an lex aliqua sit pure pœnalis, 617 vel mixta, vel moralis? Ante responsionem nota, inter leges pure pœnales, & mixtas, ac morales magnam esse differentiam, prout colligitur ex dictis n. 577. H. N.

℞. *1mo.* Id colligitur primo ex verbis legis; si enim lex primo præcipiat aliquid, & postea statuat pœnam in transgressores, signum est, quod sit lex mixta, seu, quod simul obliget sub culpa in conscientia, & simul ad certam pœnam adstringat. v. g. si sic loquatur: *Præcipimus, ut omnes crastina die veniant ad templum, & qui non venerit, pendat in pœnam unum aureum.* Si vero directe nihil præcipiat, sed tantum pœnam dictet iis, qui actionem aliquam exercuerint, aut omiserint, tunc signum est, quod sit mere pœnalis: v. g. si dicat: *Qui crastina die ad templum non venerit, solvat unum aureum.* Ex quo

Habes 1mo. Si verba legis sunt præceptiva, & materia, circa quam talis lex versatur, pariter est gravis, probabilius est, legem esse moralem, vel saltem mixtam, proinde eam etiam sub culpa, & quidem gravi in conscientia obligare, saltem regulariter loquendo.

Habes 2do. Si verba legis non sint directe præceptiva, sed indifferentia, non esse legem moralem, aut mixtam, sed mere pœnalem, esto etiam, quod per eam gravis pœna injungatur transgressoribus. Ratio est: quia non est ratio interpretandi legem in majore rigore, quam verba ejus præseferunt. Accedit quod per legem pœnalem, etsi ea directe in conscientia non stringat, jam obtineatur finis legis, scilicet bonum commune, per observantiam ejusmodi legis procurandum.

R. 2do. Quando aliquid præcipitur sub censura, v. g. sub excommunicatione, semper est lex mixta. Ratio est: quia censuræ non solent infligi nisi ob peccatum, & culpam theologicam. Si autem aliquid præcipitur sub excommunicatione minore, sub interdicto ad breve tempus, obligabit solum sub veniali; quia est pœna tantum levis, quæ supponit solum culpam levem. Item, si aliquid præcipitur sub pœna quidem gravi, sed ferendæ sententiæ, non statim, nec semper obligabit sub peccato gravi, uti La Croix, Lugo, & alii sentiunt. Ratio hujus est: quia pœna ferendæ sententiæ sæpe tantum est ad terrendum.

R. 3tio. Optime etiam attenditur quoad hoc punctum sensus communis hominum, præsertim prudentum, ac consuetudo, quæ est optima legum interpres.

Articulus II.

Varia Dubia de aliquibus legibus in particulari.

Dubium I.

Quomodo obligent leges tributorum, & Vectigalium, Gabellarum, ac aliarum exactionum, quæ membris communitatum imponi solent?

618 R. 1mo. In hoc Doctores minime convenire: aliqui putant, has leges esse morales, vel saltem mixtas, & sic obligare sub culpa theologica in conscientia, proinde eos, qui similes leges transgrediuntur in materia gravi, v. g. vectigali non solvendo, peccare omnino graviter. Aliis vero placet, has leges esse tantum mere pœnales, & tantum transgressores, si deprehendantur, obligari ad pœnam statutam. Hinc pro praxi

R. 2do.

R. *2do.* Si Confessarius circa hanc rem consulatur ante factam transgressionem ejusmodi legis, & ante factam defraudationem vectigalis, tunc respondeat secundum priorem sententiam, & quantum potest, inculcet observantiam similium legum. Ita sapienter monent P. Elbl, Lugo, Sporer, Herincx, & alii. Ratio est: quia est valde probabile, quod subditi obligentur in conscientia ad solvenda tributa, vectigalia, Gabellas &c.; nam Respublicæ, Magistratus &c. possunt hæc exigere ad propriam sustentationem, quam subditi debent præbere, item ad portanda onera communitatum. Accedit satis clarus textus S. Scripturæ, obligationem hanc insinuans ad Rom. 13. ibi: *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis; ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.*

R. *3tio.* Post factam transgressionem, & defraudationem tributi non est facile aliquis condemnandus peccati mortalis, neque ad restitutionem obligandus: Ita Elbl, Herincx & testibus his alii.

Ratio hujus resolutionis est *1mo.* quia varii, iique (ut ait Herincx) gravissimi Doctores censent, leges vectigalium non obligare in conscientia, sed tantum ad mulctam, quam gravissimam deprehensi sæpius solvere debent. *2do.* Communis sensus populi non videtur apprehendere obligationem in conscientia quoad similia præstanda: imo & Principes satis indicant, se esse contentos, si violatores talium legum graviter mulctentur. *3tio.* Cum tot, & tantæ gabellæ moderno tempore sint impositæ, merito dubitare licet, an eæ omnes sint justæ: item, an ad debitum finem impendantur: quare facile dubium, aut omnino practice probabile fundatum judicium oritur de injustitia hujusmodi exactionum: atqui plures iterum censent apud Herincx de J. & J. D. 7. q. 6. n. 80. non esse obligationem solvendi tributum, quando subditus habet probabiles rationes judicandi injustum esse tributum: ergo.

Præstat etiam attendere dictamen conscientiæ, quod formavit defraudans tributum, & juxta hoc judicari debet peccasse, vel non peccasse. Videatur P. Elbl de Restit. Confer. 1. Cas. 1. Sporer, & alii de hac re scribentes.

Dubium II.

Quomodo obligent Leges in præsumptione fundatæ?

619 Leges *in præsumptione fundatæ* sunt illæ, quæ supponunt aliquid, v. g. aliquod periculum universale, vel factum aliquod particulare. Sic lex Tridentini, in matrimonio contrahendo requirens præsentiam Parochi, & duorum testium, præsumit adesse (generaliter, & communiter) aliquod grave periculum variorum incommodorum, si matrimonium clandestine, seu sine prædictorum præsentia contrahatur. Et hæc lex dicitur fundari *in præsumptione universali*; nam non attendit, quid in particulari fiat, sed quid in universali fieri possit: hinc esto, in particulari casu, quo Titius & Titia matrimonium clandestine ineunt, simile periculum alicujus gravis incommodi, vel fraudis non subsit, tamen matrimonium nec licet, nec valet; quia lex illud invalidans non fundatur in præsumptione facti particularis, sed periculi universalis, quod universale periculum semper manet, etsi in particulari casu non subsit. Aliæ autem leges fundantur *in præsumptione facti particularis*: sic lex præcipiens, ut obediatur sententiæ judicis, præsumit, hanc sententiam in particulari esse justam, & legitime latam: si autem a parte rei talis sententia non esset justa, tunc, seclusu scandalo, & aliis inconvenientiis, aliquis non teneretur obedire tali sententiæ, id quod ex responsionibus ad dubium amplius colligetur. Quare

620 Respond. 1mo. Lex fundata in præsumptione generali periculi obligat in conscientia, etiamsi in particulari casu præsumptio fallat. Est communissima omnium. Ratio est: quamdiu manet motivum legis, tamdiu manet obligatio legis; sed etiam tunc, dum in casu particulari fallit præsumptio, manet adhuc motivum legis, nempe præsumptio periculi universalis: ergo. Ex quo patet, quod Lex Tridentini, irritans Professionem religiosam, factam ante completum 16. ætatis annum, quæ innititur præsumptioni de defectu sufficientis judicii & prudentiæ ante illum annum, adhuc teneat, & vere invalidet Professionem etiam pro illo casu particulari, quo apud Professum malitia, id est, prudentia supplet ætatem.

Respond. 2. Lex in præsumptione facti particularis fundata non obligat in conscientia, quando illa præsumptio fallit, seu istud factum, vel circumstantia, quæ præsumitur, non subest. Communis Docto-

rum.

rum. Ratio est: quia Legislator ferens ejusmodi legem, vult tantum obligare sub conditione, *si illud factum præsumptum subsit:* ergo, si non subest conditio, non obligat lex ejusmodi. Ex quo

Resolves hunc casum. Titia, occultum habens impedimentum, cum Petro contraxit matrimonium: inde petit divortium, & denegat Petro debitum. Sed per judicem ecclesiasticum sub lata excommunicationis sententia jubetur reddere debitum, & cohabitare. Hæc igitur sententia esset nulla; quia niteretur falsa præsumptione facti particularis, nimirum absentiæ omnis impedimenti: hinc Titia nec deberet, nec posset eidem obedire, sed potius deberet excommunicationis sententiam sustinere, quam debitum reddere &c.

Dubium III.

De Lege irritante.

Ante resolutiones ex dictis supra n. 577. nota, quid sit lex irritans. H. N.

R. 1mo. Lex aliquem actum prohibens, eum hoc ipso non simul 621 irritat. Holzman, & alii. Ratio est: quia aliquis actus potest fieri illicite, & tamen simul valide: ergo potest fieri contra præceptum prohibens, non tamen hoc ipso potest esse irritus. Sic c. 16. *de Regularibus.* dicitur: *Multa fieri probibentur, quæ si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem.* Sic matrimonium cum voto simplici castitatis, aut cum alio impedimento præcise impediente contractum, est prohibitum, & illicitum, non tamen est irritum.

R. 2do. Lex irritans *aliqua* est *pœnalis*, quando irritatio statuitur in odium alicujus delicti. Sic impedimentum criminis statuitur in odium uxoricidii, vel adulterii cum promissione matrimonii &c. *Alia* est lex *mere irritans*, quæ non annullat actum in odium alicujus culpæ, sed ob bonum commune. Talis lex est annullans Professionem, factam ante 16. ætatis annum. Est & alia, quæ irritat *per sententiam judicis*: & hæc non obligat ante sententiam irritatoriam a judice latam. De hac lege hic non est quæstio, sed solum quæritur de iis legibus, quæ per se ipsas, & ipso jure annullant aliquid. De quibus

Respond. 3tio. Si lex irritat actum, & eum simul prohibet, seu expresse, seu tacite, tunc obligat in conscientia ad omissionem actus.

Ratio eſt: quia omnis lex prohibens obligat in conſcientia ad omiſſionem actus: ergo & iſta. Quare, qui cum impedimento dirimente contrahit matrimonium, vel Profeſſionem ante legitimam ætatem emittit, peccat. *Tacite* autem prohibet lex irritans actum, quando ſuppoſita irritatione ſecum trahit aliquam turpitudinem: ſic electio inſtituta contra formam canonicam, eo ipſo, quod ſit irritata, habet adjunctam aliquam turpitudinem; nam ſuppoſita irritatione vi juſtitiæ Electores ejusmodi formam obſervare tenentur.

Reſpond. 4to. Quando lex irritans non ſimul prohibet actum, tunc in conſcientia non obligat ad omiſſionem actus. Ratio eſt: quia ſola prohibitio ad omiſſionem actus obligare poteſt: ergo. Sic qui conderet teſtamentum invalidum ſine debita ſolemnitate, non peccaret in conſcientia; quia ageret contra legem mere irritantem, non autem ſimul prohibentem.

Reſpond. 5to. Omnis tamen lex irritans obligat, ut vi talis actus irritati nulli fructus, neque aliud commodum percipiatur, aut jus uſurpetur. Ratio eſt: quia talis actus, utpote nullus, non poteſt aliquem effectum parere, aut jus aliquod ad fructus, vel alia commoda tribuere.

Reliqua ad praxin pertinentia Caſiſtæ ſuppeditant abunde: hactenus vero dicta Theologo Scholaſtico ſufficere poſſunt.

O. A. M. D. G.



INDEX



INDEX

Rerum, & Verborum notabilium in hoc Tomo III. Comprehensorum.

A.

B.



Menda ſic Emenda.

Pag.	Lin.		Lege.
17	35	enima. - -	anima.
20	16	centena millium. -	millia.
29	16	vident. - -	videntur.
31	2	ſun. -	ſunt.
50	35	loquentis. *adde*	quam audientis
144	14	excuſaret. - -	accuſaret.
212	7	ecce. - -	etiam.
298	5	Bloſius. - -	Blaſius.
307	25	Fdei. - -	Fidei.
309	ultima.	convivicabit. -	convivificabit.
309	ultima.	vivicatio. -	vivificatio.
367	31	hunc. - -	hanc.
465	ultima.	gadium. - -	gladium.
553	26	voulntatis. -	voluntatis.
555	1	Bandi. - -	Bardi.
643	18	aliquando. - -	aliquanto.
643	23	circumcidi. - -	circumcidit.

Lectorem hic monere juvat: ante annum in Tom. II. pag. 322. cum menda emendanda commiſiſſem cuidam Hebraicæ linguæ haud perito, duo errores in hebraico textu non ſunt correcti pag. 322. linea 22. ubi in duabus vocibus ד loco ר eſt poſitum. Sic igitur ibi lege & emenda ברשית ברא

Similiter linea ſequente ſeu 23. alius error in textum Hebraicum latine ſcriptum irrepſit in verbum para, dum hujus loco eſt impreſſum pala.



R. P. KICK
THEOL: UNIVE[R]
TOMUS III.